
32
7 G
19



A

B

RABBI MOSIS MAJEMONIDIS
Liber
מורה נבוכים
DOCTOR
PERPLEXORUM:
Ad dubia & obſcuriora SCRIPTURÆ loca rectiùs intelligenda veluti CLAVEM continens,

Prout in PRAEFATIONE, in quâ de AUTHORIS vitâ, & OPERIS totius ratione agitur, pleniùs explicatur:

PRIMÙM ab AUTHORE in LINGUA ARABICA ante CCCCL. circiter annos in ÆGYPTO CONSCRIPTUS:

DEINDE à R. SAMUELE ABEN TYBBON Hiſpano in LINGUAM HEBRÆAM, ſtylo Philoſophico & ſcholaſtico, adeoque difficillimo, TRANSLATUS:

NUNC verò novè, *ad Linguæ Hebraicæ cognitionem uberiùs propagandam, ejusq; uſum & amplitudinem evidentius Chriſtianorum Scholis declarandam,* in LINGUAM LATINAM *perſpicuè & fideliter* CONVERSUS,

à


JOHANNE BUXTORFIO, Fil.

Additi ſunt INDICES *Locorum Scripturæ, Rerum, & Vocum Hebraicarum.*



BASILEÆ, Sumptibus & impenſis LUDOVICI KÖNIG, excudebat JO. JACOB GENATH. 1629.

JOHANNES BUXTORFIUS Jun.
BENEVOLO LECTORI
S.



UO sunt, quæ inprimis requiri videntur ab illis, qui antiquos Scriptores è tenebris eruunt & in lucem producunt. Primò, ut, quantum fieri potest, tùm Scriptoris historiam, vitam, conditionem eruditionem, virtutem, æstimationem & dignitatem; tùm iam Scripti argumentum, scopum, summamq́ breviter & plaè delineent ac demonstrent. Deinde, ut sui instituti, laboris, & uicquid adeò in illo edendo præstiterunt, rationem reddant. adem proinde & nobis, huic, quem nunc damus, Authori præitere operæ pretium visum fuit; idq́ tantò magis, quan- pauciores sunt, & quidem (ut Hebræi ex Propheta Jeremia p.3.v.14. lo jui solent) אחד מעיר ושנים ממשפחה Unus ex urbe & uo ex familia, *qui priscorum Hebræorum monumenta velleunt, vel legere possunt.*

Præsens itaque noster AUTHOR *vocatur* רבי משה בן מיימון *ABBI MOSES FILIUS MAJEMON, & per* ראשי תיבות *ve* capita dictionum, *h. e. abbreviatè* רמבם, *quod vulgò AMBAM efferunt. Natus est, secundùm communem Judæoum calculum, anno Mundi 4891. (qui secundùm nos est annus Nativitate Christi 1131.) Cordubæ, celebri Hispaniæ urbe, ipsâ esperâ Paschatis, quæ in diem Sabbathi inciderat, horâ tertiâ omeridianâ, uti refert* R. Abraham Zachut in libro Juchasin *131.col.2. Alii tamen, ut* R. Isaac in libro Jesod olam, *rejiunt ejus natalem ad annum 4895. cum quo convenit testimoium* R. Davidis *nepotis Authoris nostri, in codice quodam ipsius almudico repertum, de quo vide librum* Schalschelet hakabbalah *f.41.col.2. Majores ejus itidem videntur fuisse clari celebres. Sic enim illos recenset ipsemet in fine Commentarii*

super Mischnajoth (secundùm allegationem Hebræorum; nam in nostris exemplaribus impressis Hebrais nihil reperio); Ego, *inquit*, Moses filius Majemonis judicis, filii Josephi sapientis, filii Isaaci judicis, filii Josephi judicis, filii Obadiæ judicis, filii Salomonis, filii R. Obadiæ judicis &c. *De patre illius, quem insignem sapientem & judicem fuisse scribit R. Gedaljah p. 44. hanc sive historiam, sive fabulam ex antiquo fragmento refert; Ipsi scilicet, cum cœlibem vitam agere sibi proposuisset, in mediâ ætate Virum in somnio apparuisse, ac præcepisse, ut filiam lanionis cujusdam in urbe vicinâ habitantis in uxorem duceret, & cùm somnium vilipenderet, toties iteratum fuisse, donec in urbem illam se conferre constitueret: Ibi cùm esset, tamdiù somnium hoc rediisse, donec filiam illam sibi despondisset: Ex illo conjugio hunc R. Mosen, sed tantâ partûs difficultate, prognatum esse, ut vitam filii morte suâ mater redemerit. Pòst aliam uxorem duxisse, & plures quoq; liberos procreâsse. Indolem ejus quod attinet, ferunt, illum in pueritia tardi fuisse ingenii, nullamq; ad studia inclinationem habuisse, ita ut pater ipsum non modò verbis & verberibus malè sæpè exceperit*, (בן הקצב filium lanionis *cum indignatione eum appellando*); *sed etiam ingenii ejus pertæsus, ex ædibus tandem ejecerit. Ipsum à patre expulsum, in domum Synagogæ se contulisse, ibiq; obdormivisse ac pernoctâsse: experrectum animadvertisse, se alium planè Virum factum esse: conspectum itaq; patris sui fugientem, profectum esse in urbem quandam, in qua docuit* R. Joseph F. Megas, *& sub hoc præceptore illum studiorum suorum fundamenta jecisse, ac ad miraculum usque profecisse. Post multos annos* Cordubam *patriam caram rediisse, sed haudquaquàm paternas ædes visitâsse, verùm die quodam Sabbathi publicè ad stuporem usq; audientium concionatũ esse finitâ concione, patrem & fratres ejus ipsum accessisse, salutâsse, & magnâ cum benevolentiâ recepisse, &c. Hæc & alia plura de eo refert* R. Gedaljah *Sic scribitur in* Tzemach David *f. 55. col. 1. Rabbi Megam fuisse præceptorem Rabbi Mosis. At* Abraham Zachuth *refellit hanc sententiam, dum in Chronico suo, R. Mosen à patre suo didicisse & institutum*

m esse scribit. Quòd autem omnes unanimi consensu dicant, Megam ejus praeceptorem fuisse, & quòd ipsemet in quodam o scribat, se ab eo didicisse; ideò fieri se existimare, quòd ejus bros tantùm viderit, non autem vivum audiverit: fieri e- m non posse ex temporis circumstantia, ut ita se res habeat; bbi Megam quippè decessisse anno 901. & Rabbi Mosen natum e anno 891. ita ut decennio tantum eo major fuerit. Hûc etiam ert, quòd R. Moses in commentario super Mischnajoth ali- bi ita scribat; Collegi omnes libros, qui ad manus meas venerunt, ab expositionibus Domini parentis mei & a- rum, usq; ad R. Joseph Hallevi, cujus requies sit hortus den: nam viri istius animus admirandus fuit in expositio- Talmudis, nec unquam similis ipsi extitit. *Hinc enim vi- tur colligi posse, ipsum libris ejus tantùm usum esse.* R. Ge- ljah *praeterea narrat ex traditione haberi, ipsum cum praece- ore suo per duodecim annos continuos, metu praefectorum Ro- anorum, in speluncâ quâdam latitâsse, & ibi Legem Mosis ad- dicisse. In studiis ergo hoc pacto educatus, & virilem aetatem ecutus, liberis & ipse à* Deo *benedictus fuit, inter quos emi- it filius ejus R. Abraham, vir itidem sapientia & doctrina no- ine suo tempore excellens. Extat illius Epistola responsoria ad aestiones nonnullas à quodam R. Joseph F. R. Gersom ipsi pro- sitas, quae impressa est in libello Epistolarum ex toto penè Ter- rum orbe ad R. Mosen Majemonem perscriptarum. Ex eo sele- iores excerpsimus, & parentis nostri libro de conscribendis pistolis Hebraicis recenter adjecimus.*

Porrò, docent nos Historiae Hebraicae, illum ex Hispaniâ in Ae- ptum devolutum esse. In caussa dicit R. Gedaljah fol. 42. *. fuisse invidos & obtrectatores quosdam. Ibi dum commo- retur, discipulos statim, ex Alexandriâ potissimùm & Da- asco nactus est, Scholam erexit, atq; docendo summae eruditio- s suae famam longè latéq; per totum Terrarum orbem divulga- it. In libro* Schebhet Jehudah *scribitur, quòd circa annum 2. supputat. min fuerit Tzoanem in Aegypto, & sequentibus mporibus Sultani Medicus factus fuerit. Eruditionem sanè ha-*

buit variam & multiplicem. Simul enim & variarum linguarum, & plurimarum artium & facultatum erat callentissimus. Inter alias linguas perfectissimè calluit Hebraicam & Arabicam; sed cùm animadverteret, se his linguis inter Judæos duntaxat posse inclarescere, animum quoq; adjecit ad alias addiscendas, veluti Chaldaicam, Turcicam, & Medicam, in quibus indefesso studio intra paucorum annorum spatium perfectus evasit. Præter has videtur & Græcæ non ignarus fuisse; subinde enim in libris suis, Aristotelis, Platonis, Galeni, Themistii & aliorum libros citat, nisi fortè in Hebræum vel Arabicum sermonem translatos illos habuerit. In Schalscheleth hakkabbalah *f. 42. col. 2. asseritur, illum multa in Lingua Græca scripsisse.*

Artes quod attinet, Philosophicarum disciplinarum omnium, præsertim verò Mathematicarũ, fuit peritissimus, prout tùm particularia ejus scripta, tùm quæ sparsim in libris suis eruditè de illis disserit, evincunt. Testatur etiam alicubi in hoc ipso libro More, quantum emolumentum ex Mathematicarum disciplinarum cognitione acceperit. Extat Epistola ejus Hebraica de Astrologia ad Judæos Marsilienses perscripta, quam Latinè convertit Johannes Isaac Levita, edita Coloniæ anno Christi 1555. Hæc potissimùm inde commendatur, quòd cum Christianorum Relligione in ista materia eleganter conveniat.

Theologia in sua Relligione & fide Doctor fuit insignis, ac (quæ laus ipsi tribuenda) Fabulis & Traditionibus Talmudicis minimè addictus. Sic enim scribit in Epistola ad R. Josephum discipulum suum; Cave, ne tempus tuum teras in expositione & operosa consideratione Gemaræ; ego enim in illis multum temporis perdidi, & parum utilitatis hausi.

Jurisprudentiâ Judaicâ nullum peritiorem fuisse, quàm ipsum, evincit id, quòd totum Corpus Juris Hebræorum non solùm glossis illustravit, sed etiam ex confuso & intricatissimo ordine, è linguâ impurâ & variâ, in certum ordinem, perspicuos Aphorismos, linguâ Hebrææ purâ, stylo facili & eleganti redegit.

In Medicina incredibilem ferè experientiam ipsum habuisse accepimus. Hujus enim præcipuè caussâ à Rege Aegypti pro Medico

o accersitus, & admissus, in summo pretio & maximâ existi-
tione fuit habitus. Huc referendum, quod R.Gedaljah in
ronico suo scribit his verbis; Consuetudo tùm temporis re-
pta fuit in Aegypto, ut Rex certis diebus solium Regium
nscenderet, & juxta ipsum alia septem solia per gradus
llocarentur, quibus insidebant septem Viri in toto Regno
ctissimi, & in septem Artibus liberalibus, Grammaticâ
licet, Dialecticâ, Rhetoricâ, Arithmeticâ, Geometriâ,
trologiâ & Musicâ exercitatissimi. Illam consuetudinem
n Rex quodam die observaret, dubius fuit, quônam in
adu collocare deberet hunc Rabbi Mosen; cognoverat
m, illum in his artibus omnibus universos sapientes Ae-
pti vincere & superare. Cæteri Medici Regii hoc con-
cientes, invidiâ contra ipsum æstuare cœperunt, ac pro-
reà eum falsis criminationibus apud Regem detulerunt:
de res in disceptationem coram Rege, de re medicâ,
venit. Receperunt illi, se coram Rege ebibituros vene-
n quodcunq; , quod ipsis Rambam propinaturus esset,
lege, ut Judæus primò exhauriat, quod illi sint oblaturi.
nbam conditionem accipit, ac die quodam sereno di-
pulis suis negotium explicat, quibus summoperè res ista
plicuit. Ipse autem illos irrisit, ac præcepit medicinas
sdam parari, quas ei tùm ante, tùm post venenum as-
ptum exhibere debeant. Illi mox summâ fide & dili-
tiâ omnia præparârunt, jejunium indixerunt, & preces
suo præceptore ardentes ad DEUM fuderunt. Ipse in-
pidus coram Rege comparet, ac poculum à Medicis cæ-
s ipsi porrectum epotat. Quo facto, festinanter ad ædes
properat, ac à discipulis suis medicamenta fideliter ap-
ata accipit, quibus per DEI gratiam in vitâ conservatus
. Tertio die domum Regiam omnium cum admiratio-
epetiit, veneno instructus & ipse, reliquis Medicis Re-
propinandum. Venenum tremebundi sumunt, quo
dum exhausto decem ex illis in conspectu Regis mortui
rram concidunt. Quantam hoc factum gratiam, hono-
rem

rem & authoritatem Rambamo conciliaverit apud Regem omnesq; Proceres aulicos, dici non potest. *Sunt tamen, qui aliter hanc historiam recitent, videlicet:* Cùm Rex aliquando ægrotaret & Rambam solus ad eum curandum adhibitus esset, cæteri Medici, occasionem nacti, venenum injecerunt in medicamentum, quod à Rambamo pro Rege præparatum erat. Quo facto, Regem accedunt, & secretò monent, certò sibi constare, venenum immistum esse medicamento, quod Rambam Regi exhibiturus esset. Potione istâ à Rambamo Regi oblatâ, jubet Rex cani præsenti paululum de illa priùs gustandum præberi. Canis sumit, & repentè moritur. Rex prudentissimus suspicans scelus invidorum hic potuisse incurrere, in Rabbi Mosen non illicò irâ efferbuit. Rambam autem factus fuit sicut corpus absque animâ. Rex ad eum conversus: Vides, ait, te mortis Reum esse; nihilominùs propter alia tua in me bene-merita gratiosè concedo tibi, ut ipsemet mortem, quâ affici velis, eligas. Rambam trium dierum spatium ad deliberandum poscit. Re intereà cum discipulis suis communicatâ, significat eis, se hoc electurum, ut Medici Regis venas ipsi undiquaque aperiant, omnemq; sanguinem extrahant; sic enim futurum, ut anima placidè exeat. At verò ipsi medicamento instructi sint, quod eos parare jussit, ut fluente sanguine ipsi porrigant. Esse enim venam quandam in corde, quam à Medicis vulgò ignorari, & intactam mansuram sibi certo persuadeat. Factum est ita, & successu prospero in vita conservatus fuit. R. Moses surgens & prodiens, occultavit se in spelunca quadam, in qua per duodecim annos delituit, & ibi ingens Opus suum, quod יד *Jad* vocavit, *(propterea quòd in quatuordecim libros esset divisum)* conscripsit. *Hæc R. Gedaljah. De quibus judicium Lectori relinquimus. Certiora sunt, quæ ipsemet Author scribit in Epistola quadam ad* R. Samuelem Tybbon, *quòd nam scilicet in aula Regia Aegyptiorum munus gesserit, quantasq; rei Medicæ causâ occupationes & molestias habuerit. Scripserat ad eum priùs R. Samuel, eumq; de dubiis quibus-*

busdam consuluerat, ac tandem adjecit, se, cùm otium nactus fuerit, ipsummet eum conventurum, & coràm pleniùs de singulis cum eo acturum; *R. Moses inter cætera ita respõdit ipsi*: Quod de adventu tuo ad nos significâsti; veni benedicte DOMINI, benedictus esto inter omnes advenie͂tes. Gavisus sum equidem de eo vehementer: desidero etiam suavissimâ tuâ conversatione frui, faciemq; tuam videre; licet durum mihi videatur, quòd maris periculum subire necesse habeas. Verùm candidè tibi significo & suadeo, ne mei caussâ in periculum te conjicias; nihil enim aliud assequeris, quàm ut faciem meam videas: utilitatem aliquam in scientiis & artibus reportare, aut solus mecum conversari & confabulare, vel per unicam horam, sive interdiu, sive noctu, noli sperare. Immensa enim negotiorum meorum est moles, prout coràm intelliges. Ego habito in Aegypto, & Rex habitat in Alkaira, inter quæ duo loca distantia est duorum quasi terminorum Sabbathicorum. Consuetudo autem sive munus gravissimum mihi est apud Regem: ordinariè enim singulis diebus summo mane mihi est visitandus, sed cum vel ipse, vel aliquis liberorum, aut concubinarum ejus in morbum incidit, non licet mihi planè pedem inde referre. Ita totum ferè diem in Aula Regis consumo. Qui-netiam cum præfectus unus aut alter ægrotat, cura illorum mihi est demandata. In summa; singulis diebus summo mane ascendo Alkairam, ubi cùm nihil adversi offendo, statim à meridie sedem meam repeto. Eò reversus, & fame propemodùm enectus, ecce compita omnia referta invenio Gentilibus & Judæis, nobilibus & ignobilibus, judicibus & exactoribus, amicis & inimicis, qui tempus reditûs mei avidè exspectant. Ex equo descendens, manibus pro more ablutis, hospites omnes humiliter & officiosè saluto, & ad absolutum prandiolum meum patienter exspectare eos blandè moneo. Hoc fit quotidiè. Cibo sumpto, ad illos curandos, & remedia præscribenda prodeo. Sunt qui perdurant usque ad noctem; sæpè etiam, per fidem legis *(juramenti forma)* per plures

horas in densam usque noctem auscultando, loquendo, præcipiendo & præscribendo sum occupatus, ita ut quandoq; præ nimia lassitudine obdormiam, & sic defetiscar, ut vix loqui valeam &c. *Hinc apparet, quare plerumq; vocetur* המצרי *AEGYPTIUS; quia nempe in Aegypto habitavit, & maximam vitæ partem ibi transegit. Cæterum videtur & in Europæ terras pervenisse, si verum est, quod* R. Asarias *in libro* Meor Enajim *fol. 53. col. 2. scribit, inquiens;* Quod verò promisi, me sub finem hujus capitis scripturum aliquid de libro Legis, quem Esras exaravit, cujus ne memoria pereat, exscribam quod in Pentateucho quodam antiquo Manuscripto inter libros Salomonis Sason hic Ferraræ relictos inveni, hisce verbis: *Ego Moses F. Majemon zelo Dei Israëlis ductus, cùm vidissem libros Legis in Aegypto, quòd Parascha illorum clausa & aperta, majoresq; ordines, non, prout decet, scripti erant, dixi apud me,* Tempus est faciendi Domino: nam irritam fecerunt Legem tuam, *Psal. 119. 126. Composui ergo studia mea ad scribendum librum Legis Dei nostri; Quinq; videlicet libros Legis simul in quinternionibus, ut ex illis alii libri corrigi & emendari possent. Exemplar autem illud, ex quo ego transscripsi, omnes XXIV. Libros sacros continet, satisq; notum est, illud inde à temporibus Tannaim & Amorraim Hierosolymis fuisse, eiq; nos innitimur. Et cùm ad finem perduxissem librum meum, Deo ita disponente, excitavit me cor meum, ut proficiscerer ex Aegypto in Regnum Burgundiæ, quod est in Gallia, in civitatem* ייליון*, quæ est ad fluvium* שאונה*. Studiosè enim inquisivi & scrutatus sum, quòd ibi inveniretur liber Legis Dei, manu sanctâ Esræ Sacerdotis magni & Scribæ velocis exaratus. Tuli autem mecum Correctionem Scribarum, Paraschas apertas & clausas, majoresq; distinctiones, quas descripseram ex Bibliis Hierosolymâ allatis, & inveni omnia illic ad amussim convenire cum illo exemplari, quod mecum adduxi. Id quod maximo me affecit gaudio, ita ut voverim, singulis annis convivio solenni illum diem celebrare. Fuit autem dies 28. mensis Sif. h. e Aprilis. Porrò gloria Dei causâ laboravi, & excerpsi è libro illo omnes Dictiones defectivas, superfluas, litte-*

litteras magnas, parvas, variantes, inversas, ut librum Legis Dei constituerem absq; superfluitate & defectu. Ad meos reversus, scripsi, sicut oportet, librum Legis, & ex eo nunc transscribunt omnes. Recordare mei, Deus mi, in bonum. Huc-usq; verba ejus. Extra omne autem dubium apud me est *(addit R. Asarias)*, verba ista aliunde exscripta, neq; ipsius Rambami manu exarata esse. Ut nihil dissimulem, in oculis meis valdè mirabilia videntur. Si enim vera sunt, cur nullam hujus rei mentionem fecit in Halachot Sephre Thorah cap. 8. prout facti Ben Ascher meminit. Sed fortasse in fine dierum ipsius hoc contigit, posteaquàm librum istum publicavit &c. *Haec ex R. Asaria. Chronica alia nihil de eo commemorant.*

Lucubrationes ejus quod attinet, plurimae sunt illarum, quas omnes hic recensere, nec opus est, nec opis nostrae. Maximam ferè partem conscripsit linguâ Arabicâ, quae ipsi familiaris erat admodùm. De his R. Gedaljah ita scribit; Quod si vellem omnia ejus praeclara opera recensere, tempus me citiùs, quàm illa, deficeret. Plurimos enim composuit Libros, Halachoth, Constitutiones Juris, Quaestiones & Responsiones, ac denique Commentarios. Haec quia nota sunt, non opus est illa recensere. Verùm occulti sunt nobis multi in Theologia, in Philosophia, in Logica, in Medicina, & in Linguis multis, ut putà Arabica, Graeca, & Chaldaea. Testor ego, me vidisse multos libros Medicos in linguam Latinam translatos, nomen ejus prae se ferentes. Audivi etiam pro certo, in lingua Graeca & Arabica maximum illorum adhuc exstare numerum: Responsiones item, quas fecit Sapientibus urbis לוניל Lunel, in Aegypto, & aliis locis, quae nunquam ad nos pervenerunt, quas etiam possessores illorū nunquam publicare & divulgare voluerunt. *In praefatione* Mischnae *scribit, se cōmentarios scripsisse super* tres partes Gemarae, *sed illi nō extant hodiè. Praecipui, qui inter nos habentur in lingua Hebraea, sunt Liber* Jad, *qui &* Mischne Torah *vocatur*, More Hannevochim, Peruschim, *sive Commentarii super* Michnajoth.

Commentarios in Michnajoth *incepit scribere anno aetatis*

vigesimo-tertio, & absolvit eos in Aegypto, cùm triginta annorum esset.

Librum Jad *conscripsit duodecim annis pòst, ut tradit author libri Juchasin. In libro* Schalscheleth *legitur:* Librum Mischne Thorah conscripsit anno supput. minor. 936. à creatione Mundi, qui est annus millesimus centesimus septimus vastationis Templi *&c. Et mox:* In libro Jesod olam scribitur, quòd quinq; annos continuos in eo laborârit. *In Tzemach David par. prim. fol. 55. col. 2.* Rambam composuit librum Jad anno 930. Sic inveni cap. 9. in statutis Chiddusch hakkodesch. Fieri autem potest, ut non absolverit eum usque ad annum 939. h. e. duodecim annis post commentarium in Mischnajoth, secundùm librum Juchasin. *Hunc librum conscripsit linguâ Hebræâ purissimâ & elegantissimâ. Quid contineat, de eo vide Bibliothecã Rabbinicam Patris mei* ז״ל. *A plurimis Nationibus in maximo habebatur pretio, adeò ut juxta illum, veluti juxta jus authenticum, caussas controversas deciderẽt, ut videre est in Schalscheleth f. 41. col. 2. & 42. col. 1. A quibusdam tamen (ex invidia sine dubio) reprehendebatur, & quidem hoc potissimùm nomine, quòd Talmud tollat, multa ipsi contradicentia doceat, & nomina Sapientum, sub quorum nominibus Traditiones in Talmude continentur, supprimat. Contra hanc accusationem legitur Epistola quædam ejus Apologetica ad R. Pinchas judicem Alexandrinum, quam vide in Appendice illa Epistolarum aliquoties à nobis jam allegatâ, Librum* More Nevochim *scripsit anno ætatis 50.*

Iggereth thechijat hammetim, *sive Epistolam de resurrectione mortuorum, exaravit quinq; annis pòst.*

Quòd si autem multa scripsit, longè tamen majoris fuit lectionis, ut non solùm præsens hic liber, sed & alia ejus scripta testantur. Non solùm enim Hebræos, quos nancisci potuit, Authores evolvit, sed & Arabes, Turcas, Græcos, Aegyptios, Talmudicos, Philosophos, Ethnicos & alios, qui passim ab ipso allegantur. Testatur in Epistola de Astrologia, & alicubi in More Nevochim, se omnes de Idololatria authores antiquos, qui ad manus ejus deve-

devenerunt, diligenter perlegisse, & ex illis Praeceptorum Mosaicorum rationes addidicisse. *In praefatione* Mischnæ *scribit*, quòd perlegerit omnes libros Philosophicos. *Quósnam discipulis suis Authores legendos suaserit, de eo consulatur Epistola, quam ad filium suum scripsit, R. Abrahamum, & alia ad R Samuelem Tybbon. Ferunt quidam, illum adhuc ante mortem suam Cabbalam addidicisse. Sic enim scribit* R. Elia Chajim *in praefatione libri, quem vocat* אגרת חמודות Iggeres Chamudos; Vidi Epistolam quandam R. M. F. Majemonis, quam Hierosolymâ scripsit in Aegyptum, ad discipulū suum, in qua sic ajebat; *Posteaquàm veni in terrā gloriosam* (Hierosolymam), *inveni senem quendam, qui illustravit faciem meam in viis Cabbalæ: &, si olim scivissem ea, quæ nunc scio, multa scripsissem, quæ hactenus neglexi.* R. Jom Tof filius Abrahami *(cujus nomen abbreviatè scribunt* ריטבא*) in Commentario suo super librum* Jad, *in* Halachoth sive statutis Jesode Thorah *sub finem cap. 1. scribit*, se scire, & vidisse, quòd Rambam in fine dierum suorum Cabbalam intellexerit.

De morte ejus diversa videntur scribere. Nam illi, quos modò citavi, sentiunt, illum, cùm diù antè in Palæstina degisset & septuagenarius esset, ibi obiisse, & in Galilæa superiore sepultum esse, Schalscheleth *p. 43. col. 1. Contrà alii in Aegypto illum extremum suum diem clausisse volunt. Sic enim in libro* Juchasin *scribit* Samuel Schullam; Inveni in quaternione quodam, quòd clara sit arca emortualis R. Mosis, cujus memoria sit in benedictione, anno supput. min. 965. in Aegypto; & fleverunt eum Judæi & Aegyptii tribus diebus, vocaruntq; annū illum נהי נהיה *(h.e.* Lamentum Lamentationis, ex Mich. 2. 4. *quia vox* נהי *in numeris continet 65.).* Die septimo pervenit rumor Alexandriam, & die octavo Hierosolymam. Hierosolymis fecerunt planctum magnum, & indixerunt jejunium & ferias: Aedituus legit redargutiones illas; *Si in statutis meis &c. Levit. 26.* המפטיר *sive* Dimittens cœtum Ecclesiæ legit; *Et fuit verbum Samuelis ad totum Israëlem, &c. 1. Sam. 4.* & finivit; *Quia capta est Arca Dei, vers. 22.* Post-hæc tulerunt

cum in terram Israëlis,& inciderunt in via in latrones,quorum metu qui arcam ferebant, consternati, eâ derelictâ,fugâ sibi consuluerunt. Latrones illorum fugam conspicientes, accesserunt, & arcam in mare projicere voluerunt, sed omnibus viribus suis non potuerunt eam loco movere,licèt plures quàm triginta illorum fuerint. Itaque ajunt; Vir sanctus hic est procul dubio,& ad Judæos eunt, persuadentes illis, ut in locum suum illam deferant; quin-imo ipsimet Judæos comitantur, atque ita sepultus est in Tiberiade. Quidam vero dicunt, illum apud Patriarchas terræ mandatum esse in Chebron. *Hæc ex Additionibus Samuelis Schullam in Juchasin.* R. Asarias *scribit in libro* Meor Enajim *p.3.c.25. prope finem:* Inter libros Sapientissimi R.Esræ Mippanu Mantuæ habitantis, vidi *Commentarium Rambami super Massecheth Rosch Hasschanah,&c.* in cujus fine manu nepotis Rambami ita scriptum erat: *Rabbi Mosche author libri istius natus est patri suo, mense Nisan,die 14. Anno 1446. juxta supputationem Contractuum,in urbe Corduba: & obiit Anno 1516. Contractuum,die 2.mensis Tebbeth,h.e.Decembris. Illustravit ergo oculos captivitatis septuaginta annos, minus 83. diebus,&c. Vide &* Tzemach David *p 46.col.2.* Rambam ascendit ad Deum in Aegypto &c. *Sepulto honorificum monumentum erectum fuit,cui inter alia, ut in* Schalscheleth *memoratur,inscriptum fuit* מבחר האנושי *h e.* Selectissimus omnium Hominum. *Quidam autem homines inquieti,qui turbas illas de libro* More Nevochim *excitárunt,(de quibus mox agemus) venerunt, & illa verba correxerunt, in eorum locum substituentes,* מוחרם ומין *h.e.*Excommunicatus, Anathematizatus & Hæreticus. *Attamen istos pœnitentiâ postmodùm ductos,scribit R Gedaljah, & Epitaphium in integrum restituisse, quod videlicet mortuus sit Anno 965.supp.min. cujus signum memoriale est* בכי אבל כשח *h.e.*Fletus Luctus Mosis,*ex Deut.34 8. ubi duæ primæ voces literis numeralibus valent* L X V. *quo mortuus fuit.*

Virtutes & animi dotes quod attinet,pacis & concordiæ fuit studiosus,ab ambitione,contentionis,vindictæ studio alienus &c.

Qui

Qui de his aliquid nôsse vult, legat Epistolam ad discipulū ipsius R.Joseph, qua incipit כבר העיד וכו.

Unum adhuc restat, ut, quam post se famam (quæ sola, ex virtute & eruditione parta, post mortem ferè remanet) reliquerit, & quo loco omnibus inde seculis, tùm inter Judæos, tùm inter Christianos habitus fuerit, quoq; doceamus. Varia hujus rei documenta hinc inde habentur, è quibus non nisi pauca seligemus. Tritum est inter Judæos, & passim notum, quod Hebræi de eo dicunt, ממשה עד משה לא קם כמשה, *h.e.* A Mose *(Propheta scil.)* ad Mosen *(istum Aegyptium)* non surrexit sicut Moses *(iste, qui doctrinâ & eruditione Mosi legislatori æquiparandus esset). Adducitur ab* Elia Levita *in præfatione prosâ libri* Thisbi. *Quando nomen ejus abbreviatè scribunt cum adjunctâ pro more faustâ defuncti recordatione, hoc pacto* רמבם זל *quod legendum* רבי משה בן מימון זכרונו לברכה; *tùm frequentissimè litteras illas ita secare solent & componere,* רם במזל, *quod legi potest* רָם בְּמַזָּל *h.e. Excelsus in sydere, fausto, felici sydere natus, ut ita simul & ejus Nomen & Præstantiam ac Excellentiam denotent. Occurrit hoc passim in Hebræorum scriptis, ubi allegatur. Aliàs etiam communissimè ipsum appellant* מוֹרֵה צֶדֶק Doctorem justitiæ, אור הַגּוֹלָה Lumen captivitatis. *Ex Christianis celebrârunt ejus eruditionem illi, qui eam noverunt & ex scriptis penitùs cognoverunt. Duos adducam tantùm ex illis testes omni exceptione majores, quibus alios adjungere relligioni est, ne vel illorum fulgor obscuretur, vel fides elevari videatur. Præclarum illud totius Orbis lumen, & omnis eruditionis culmen* Josephus Scaliger *in Epist. quadam ad Isaacum Casaubonum ita scribit;* Ego non solum illum librum (More Nevochim), sed etiam omnia illius Magistri opera tanti facio, ut solum illum inter Judæos desiisse nugari dicam. *Vix unquam sine eximio aliquo elogio illius in scriptis suis (quod sæpè facit) meminit* Isaacus Casaubonus *in Exercitationibus suis contra Baronium, Exercitat. 16. num. 77.* Moses Majemonides (qui & Moses Aegyptius dicitur) solidæ atque ingentis doctrinæ vir, de quo videor id mihi posse verè dicere, quod Plinius olim de Dio-

doro

doro Siculo, primum illum inter suos desiisse nugari, *&c.*

Satis de Authore in genere dictum: quantum quidem nunc ex libris Hebrais, qui in manibus nostris fuerunt, investigare potuimus, in quibus licèt nonnulla fabulosa aut fictitia videntur, non tamen reticenda esse duximus, quia libri Hebraici, è quibus illa petita sunt, non à quibusvis haberi possunt, & tamen multi sunt, qui hæc libenter vident, eisq; delectantur.

Præsentem nunc librum quod attinet, non solùm ab Authore ipso, sed & ab aliis viris doctis semper præ reliquis ejus scriptis in pretio fuit habitus. Conscripsit eum anno ætatis quinquagesimo, ut Chronica Hebræorum referunt, linguâ Arabicâ, in gratiam cujusdam sui discipuli R. Josephi, *prout non solùm Epistola dedicatoria operi præfixa, sed & aliæ Epistolæ, quæ etiamnum extant, fidem faciunt. Argumentum & scopus libri est, ut Manuductio & Clavis veluti sit ad rectam intelligentiam Verborũ, Vocabulorum, Phrasium, Metaphorarum, Parabolarum, Allegoriarum, omniumq; adeò earum rerum, quæ in sacra Scriptura, secundùm sensum literalem aliquid alieni, heterodoxi, paradoxi, absurdi, docere, vel exiguam aut nullam utilitatem habere videntur. Atque hinc etiam Nomen libro impositum,* מורה נבוכים Doctor perplexorum; *quòd in eorum subsidium conscriptus sit, qui circa illa vocabula, phrases, res,* נבוכים *h.e.* perplexi *redduntur, ita ut hæreant, an secundùm sensum literalem, an verò figuratè & metaphoricè illa capere & intelligere debeant. Allusisse autem videtur hoc titulo ad id, quod Exod. 14. v. 3. Deus ad Mosen ait, Pharaonem, quando visurus sit, Israëlitas versùs mare rubrum iter suum instituere dicturum,* נבוכים הם Perplexi *vel* confusi sunt ipsi in terra. *Quemadmodum ergo Moses olim eos, qui (judicio Pharaonis)* נבוכים perplexi *fuerunt, deduxit, & per mare rubrum viam ipsis monstravit: ita, vult dicere, se veluti alterum Mosen in hoc libro in veritatis viam directurum eos, qui circa mare illud magnum Verbi* DEI *obambulant, &* perplexi *sunt. Hinc explicantur ab ipso omnis generis locutiones & rationes loquẽdi impropriæ, de Deo, de Mundi creatione, de Parabolis, Metaphoris, Hyperbolis, Allegoriis Prophetarum: hac de caussa attin-*

attingit Visionem Ezechielis, Historiam Jobi, & alia similia. Ex hac porrò occasione, non solùm infinita & innumera penè Scripturæ loca argutè ab ipso explicantur & illustrantur; sed etiam Loci quidam communes pleniùs pertractantur, quales sunt, de Dei nominibus & attributis, de Mundi ortu & interitu, de Prophetis & Prophetia, de Providentia Dei generali, & Scientia ejus particulari. Quia verò à multis tùm temporis asserebatur, Præcepta Mosaica nullo deliberato consilio, nullas certas ob caussas à Deo data esse, sed solùm ex mero ipsius beneplacito & voluntate proposita; ideò & contra hos disputat, tùm in genere, tùm in specie, Præcepta singula suas habere caussas & rationes ostendens. Tandem sub finem libri etiam de illis rebus agit, quæ secundùm sensum litteralem in Scriptura nullam utilitatem habere videntur, docens, quomodo & illa non frustrà scriptis consignata fuerint. De his autem non ita agit, ut absolutè & plenè omnia & singula pertractet, sed singulorum generum quædam solùm adducit & proponit, secundùm quæ reliqua dijudicari possint ac debeant. Sed de his Author ipse in sua Præfatione disserit.

De modo autem, secundùm quem Author ista omnia explicat, sciendum illum nequaquam vel Cabbalistarum, vel Talmudicorum more agere, aut illorum expositiones afferre, sed potissimùm ex Scripturâ ipsâ, Philosophiâ, & sanâ ratione disputare. Quæ unica res sine dubio nonnullorum Judæorum odia, & turbas illas in Gallia, ejus caussâ excitatas, peperit. Nam cùm illi Philosophiæ ignari & Talmudicis fabulis nimis addicti essent, illum novi quid in hoc Libro moliri existimârunt, atque adeò pro hæretico ferè habuerunt. Vivente ipso, jam à quibusdam contradictum illi fuisse liquet ex Epistola quadam ipsius ad R. Joseph, quæ incipit כבר העיר*. Sed mentio hic potissimùm facienda illorum motuum, qui in Gallia excitati fuerunt, posteaquàm à R. Samuele Aben Tybbon in linguam Hebræam liber translatus, & in Galliam aliasq; Nationes deportatus & divulgatus fuisset. Seditionis illius faces fuerunt, quidam* R. Schelomoh fil. R. Abrahami *Montispessulani, cum duobus*

***

suis discipulis, R. Jonâ *(qui tandem à Judaica religione, ut scribunt, defecit) &* Davide filio Saulis, *cujus nomen* דוד בן שאול, *per Gematriam cõverterunt ad ipsius ignominiam in* ממזר בן חנדה *h.e.* Spurius filius menstruatæ; *numerus enim litterarum æquipollet. Hi odio & invidiâ ardentes, surrexerunt Montispessuli, pluresq; alios excitarunt & in partes suas pertraxerunt contra R. Mosen nostrum, variis calumniis eum proscindendo, & omnis generis occasiones, ad librum hunc diffamandum, rejiciendum, adeoq; flammis devovendum, arripiendo & conquirendo. His injuriis permoti* Sapientes *diversorum locorũ & Synagogarum in Gallia Narbonensi, tres istos seditiosos excõmunicarunt. Illi, videntes rem suam non benè sibi cum vicinis succedere, ablegârunt quendã cum literis in alias Galliæ partes ad Sapientes, qui illic erant, & tantũ effecerunt, ut hi vicissim Excõmunicationes & Anathemata mitterẽt Synagogis Galliæ Narbonensis, omnesq; illos, qui peregrinas artes & linguas addiscerent, vel R. Mosis libros legerent, tanquam hæreticos, proclamarent. Narbonenses, ignẽ seditionis periculosum accensum conspicientes,* R. Davidem Kimchium *senem è toto Sapientum suorum numero elegerunt, ut ad singulas Synagogas Regni Cataloniæ & Arragoniæ proficisceretur, ac apud illos instanter peteret, ut omnes & singulæ Urbes, Provinciæ & Synagogæ congregarentur, & de hoc dissidio componendo, malitiosisq; istis hominibus reprimendis, deliberarent & consultarent.* Kimchius *iter ingressus, perficere illud non potuit, sed adversâ tempestate ac morbo præpeditus, in medio itinere substitit. Quod tamen coràm agere nequivit, id litteris suis præstitit. Brevi etenim non solùm à præcipuis illorum Regnorum Rabbinis, sed & ab universis & singulis Synagogis communi consensu solennes Excommunicationes & Anathematum fulmina transmissa fuerunt, quibus tres suprà commemorati Viri icti & prostrati fuerunt: paucis tamen, inter quos primas tenuit* R. Joseph filius Alphachar, Medicus, *à R. Salomonis & asseclarum ejus partibus stantibus & permanentibus. Nec mirum; Vetus enim proverbium est* כל אומנא סני בר אומנותיה Omnis artifex odit filium artificii sui. *Ad has res sapientes* Galli *tremore*

more & timore correpti fuêre, ita ut facti sui ipsos pœnituerit, puduerit, & à Provincialibus veniam petiverint, humillimèq́ se erga illos excusârint. R.Schelomoh *à Gallis se derelictum, atque ad suum scopum pro voto pervenire non posse videns, ad Christianos se recepit, & primò quidem vilissimos & abjectissimos quosq́ è communi plebe accessit, illisq́ persuasit, varios inter Judæos exsurgere hæreticos, qui perniciosas quasvis opiniones è R.Mosis Majemonis scriptis imbibant: quandoquidem suos hæreticos comburere soleant, se optare, ut & contra ipsorum hæreticos eodem modo procedant, & præcipiant, ut isti Libri comburantur, Liber videlicet* More, & *Liber* Maddah. *Neque hîc quievit, sed ad Ecclesiastici quoque ordinis Proceres se contulit, eodemq́ modo cum illis locutus est, ita ut negotium tandem ad Cardinalem, qui tùm ibi Ecclesiis præerat, devenerit, ac Judæos in maximum periculum, maximamq́ ignominiam præcipitârit. Hæc est brevis & summaria Historiæ illius narratio, prout eam ex Epistolis ipsis authenticis & Anathematis commemoratis excerpere potui. Longum & tædiosum nimis foret singulas circumstantias hîc persequi. Qui ea scire & legere volet, is consulat Epistolas illas, quas sæpius jam citavimus. De hac re loquitur* Augustinus Justinianus Episcopus Nebiensis, *in Præfatione sua in hunc librum ita scribens:* Cęterùm fuit Author iste candidus, minimèq; superstitiosus; plus certè veritati addictus, quàm næniis importunis neotericorum Judæorum: quo factum est, ut Judæi omnes Galli in unum conspirârint, Librumq; incendio devoverint, quòd nimiùm videretur favere Christianorum hæresi. Verum non potuerunt perversæ alioqui mentis homines perficere quod commenti erant. Habebatur namque Liber non in Gallia tantùm, sed per totum fermè Orbem in multa exemplaria propagatus. *Porrò, quàm-primùm liber iste Arabicè ab Authore conscriptus, inter Judæos in Oriente innotescere & nomen obtinere cœpit, cupiverunt, ut in linguam Hebræam in eorum quoq́ usum trãsferretur, qui Arabicè nesciunt. Hinc quidam eruditione & sapientiâ insignes viri,* Vallis *præcipuè* Jericho, *à* R.Samuele filio R.Je-

hudę Aben Tybbon, *qui natione Hispanus erat, sed Jerichunti habitabat, instanter flagitârunt, ut propter egregiam, quâ imbutus erat, utriusq;, tùm Arabicæ, tùm Hebraicæ, linguæ peritiam, hoc onus in se susciperet, atque ingenti hoc beneficio ipsos obstringeret. Morem gessit is, & quandoquidem in vivis adhuc Author erat, eum de rebus dubiis per litteras consulebat. Ipso etiam Authore adhuc vivente Versionem suam absolvit, à quo ut genuina, vera & syncera approbata fuit. Testantur hac de re non solùm Præfatio istius R. Samuelis Aben Tybbon, quam Operi præfecit, sed & aliæ tùm ipsius, tùm R. Mosis Epistolæ, quæ adhuc hodiè extant, & de hac re adiri possunt. In* Juchasin *scribitur, illos petiisse à R. Mose, ut ipsemet transferret eum in Linguam Sanctam: sed respondisse, sibi nunc non esse integrum, verùm esse inter ipsos sapientem R. Aben Tybbon, de quo certus sit, quòd illud sit præstiturus. At hoc non quadrat cum eo, quod Rambam ipse scribit in Epistola sua ad R. Aben Tybbon, quæ incipit* לפי שכלו וכו *: Ibi enim scribit, sibi non constitisse, patrem ejus filium reliquisse, donec epistolam ipsius accepisset, &c. Post ipsum transtulit eum quoque* R. Jehudah Alcharisi, *prout in Commentariis passim citatur: sed illius translatio non fuit approbata. Sic enim scribit* Abraham Zachuth in libro Juchasin ; העתקת אל חריזי אינה ראויה *h.e.* Translatio Alcharisi non est congrua. *Sequentibus temporibus etiam in Linguam Latinam conversus fuit. In* Schalscheleth *p.63. mentio fit cujusdam* R. Mantenu *Itali, qui librum More in linguam Latinam convertit. An is author sit illius versionis, quæ ab Augustino Justiniano Episcopo Nebiensi edita est superiori seculo, & Parisiis impressa à Jodoco Badio Anno 1520. dubito. Nam videtur ille vixisse circa annum 320. h.e. ante septuaginta circiter annos: illa autem à Nebiensi edita longè esse antiquior. Eam verò quod attinet, Viri summi* Josephi Scaligeri *judicium potiùs quàm meum hîc referre malo. Is in Epist. quadam ad Casaubonum ita scribit;* More Novochim non potest satis laudari. *Et mox,* Habeo illum librum manu-scriptum sermone Arabico, charactere Judaico. Quidam doctus Judæus conver-

tit eum Hebraicè, quem & nos quoq; habemus. Sed qui Latinè vertit, Hebraica, non Arabica, convertit, & quidem ſæpè hallucinatur, neq; mentem Authoris aſſequitur. *Paullò pòſt*; Magna ſeges mendorum eſt in Latino. Præter illa, quæ ab inſcitia Interpretis peccata ſunt, acceſſit & inſcitia Librariorum aut Typographorũ. Nam ferè ſemper legitur, *ſpecialem*, ubi *ſpiritualem* legendum erat. Ex compendio natus eſt error. Ex eodem fonte manavit *Prophetiæ* pro *Philoſophiæ*. *Bonitatem*, ubi *Brevitatem* legendum erat, *cap.32.lib.1.* Sequenti capite, *altitudo naturalis*, ſcribendum *aptitudo*. Infinita poſſem ejusmodi referre, ſi locus & tempus poſtularet. *Hæc Scaliger. Ita reverà eſt, ut incomparabilis iſte Heros ſcribit; Infinitis liber ille ſcatet mendis & erroribus, quorum plurimi ex inſcitia Librariorum, qui Scripturæ veteris compendia & characteres non probè intellexerunt, non pauciores ex inſcitia Authoris promanârunt. Centenos poſſem producere locos, in quibus ille contrarium planè ejus ponit, quod Author voluit. Totidẽ, in quibus voces, lineæ, periodi integræ omiſſæ. Innumeros, in quibus ex diſtinctionum corruptione ſenſus vel nullus omninò, vel confuſus: nam ſæpiſſimè, ubi ſenſus diſtinctionem vel colon aliquod requiſivit, ſermo eſt continuatus: ubi continuari debuit, diſtinctio aliqua poſita. De vocibus depravatis nihil dicam. Loca Scripturæ, neq; ad mentem Authoris expreſſa, neq; etiã indicata ſunt. Acceſſit ad hæc omnia ſermonis & ſtyli pro temporum illorum ratione impuritas, obſcuritas, difficultas. Ingenuè hoc teſtari poſſum, in locis dubiis ſemper clariorem adhuc textum Hebræum mihi fuiſſe: tantum abeſt ut multum opis inde acceperim. Porrò, non prætereundum hîc, quod iterum Cl.* Scaliger *in Epiſt. quadam ad* Stephanum Ubertum *huic Libro dedit teſtimonium*; More Nevochim, *inquit*, Arabicè à R. Moſe ben Majemon conſcriptus, literâ Judaicâ nondum editus, cujus Hebraicam quoq; interpretationem habemus, Liber plenus bonæ frugis, abſtruſæ eruditionis, & Theologis Chriſtianis apprimè neceſſarius. *In alia Epiſt. ad* Richard. Thomſon. Quantâ lætitiâ me affecerint tuæ cum libro Mo-

re hannevochim, alio argumento, quàm epiſtolâ tibi probandum eſſet. Scito igitur, pluris mihi eſſe Librum, quàm ſi ἰσόμετρον χρυσοῦν miſiſſes. *Idem in Elench. Trih. erc ſ. cap. 20.* Quod etiam diſertè in divino Opere ſuo Arabico More hannevochim diſputat Rambam. *Iſaacus Caſaubonus in Exercitationibus ſuis contra Baronium, Exercit. 15. n 13:* Moſes Majemon in More Nebukim admirandæ doctrinæ ſcripto *&c.* *Auguſt. Juſtinianus in Præfat. ad Stephanum Poncherium Senonenſium Archiepiſcopum;* More Nevochim opus ſanè reconditæ & minimè trivialis doctrinæ, in quo multa rationibus demonſtrantur Philoſophicis, plurima adducuntur, quæ mirè conducunt & faciunt ad intelligentiam Sacrorum librorum. *Et ſub finem;* Percipies porrò, illum, quæ ſunt religionis, religiosè, quæ philoſophica, philoſophicè, quæ Talmudica Talmudicè, ac demum, quæ ſunt divina, divinè tractare. *Sed pluribus teſtimoniis adducendis ſuperſedeo,* פוק תחי ליה בקנקניה, Prodi, odorator ipſemet in cantharum ejus, *dicebant olim priſci Hebræi ſermone Babylonico, Bava baſra fol. 22. col. 1.*

Ad hunc autem Librum de novo recenſendum, & genuinâ interpretatione donandum, varia ſunt, quæ me impulerunt & invitârunt. Cùm enim ante ſex circiter annos Nebienſis exemplar in manus noſtrâs incideret, atq; exinde magnam utilitatem ex collatione cum Hebræo nos conſecuturos ſperaremus, tantam & obſcuritatem & pravitatem ab initio ſtatim deprehēdimus, ut non ſolùm nullum ferè ex illo ſenſum aſſequi, ſed vix Hebræi codicis veſtigia deprehendere potuerimus. Quæ res non ſolùm illius nauſeam, ſed & novi moliminis conatum & appetitum excitavit. Quia enim tantoperè paſſim à Viris in his literis eruditis præ omnibus aliis libris eum commendari & celebrari vidi, pro innato, quo erga has linguas amore feror, (nam רחילא בתר רחילא אזלא וברא בתר עובדיה דאבותי, Ovis poſt ovem, & filius ſequitur opera patris ſui, *ajunt Hebræi), nullam me perditurum operam mihi perſuaſi, ſi, ipſorum judicio fretus, illum non ſolùm evolverem, ſed & (quia eâdem ferè operâ fieri potuit)*

novâ

novâ versione illustrarem, ac commune bonum facerem. Opus igitur divino cum Numine aggressus sum, sed propemodùm humeris meis impar deprehendi. Subinde enim obstacula mihi se exhibebant, quæ me deterrebant & in cœpto opere retardabant. Nam præter materiæ difficultatem (sunt enim Philosophica inter Hebræos intellectu difficillima) & stylus verè perplexus *est: cujus rei caussam hanc esse arbitror, quòd illum ad Exemplar Arabicum eamq; linguam Author attemperârit. Unde factum, ut & novas Voces, & Phrases in Hebraum idioma introduxerit. At verò tùm adminiculis, quæ ad manus erant, adjutus, tùm Virorum doctorum judiciis & monitis in proposito confirmatus, tandem Divinâ assistente gratiâ ad finem Opus perduxi. Usus enim sum Exemplari tùm impresso, tùm in pergameno manuscripto. Impressum exemplar editum est Savionetæ, & adjunctos habet trium Rabbinorum commentarios,* Ephodæi, Schem Tobh, *(qui nescio an idem sit cum illo* Calo Calonymo Hebræo, *qui Averrois Metaphysicam transtulit, ut in præfatione illius commemoratur:* Calonymos *enim Græcis idem, quod* Schem Tobh *Hebræis) &* Craskasi, *qui non rarò lucem mihi attulerunt & auxilio fuerunt. Et quando impressum Exemplar menda fortassis habebat, (prout non pauca deprehendi) opportunè tùm mihi affuit manuscriptum exemplar, ex quo illa corrigere promptum erat, præsertim verò pag.146.*b. *ubi aliquot lineæ omissæ fuêre, quas sanè absq; hoc subsidio divinare & conjectare nemo potuisset. Licèt autem non ab omnibus, tùm de ipso libro, tùm de meo hocce labore, idem judicium latum iri probè sciam, hoc præsertim tempore, quo non solùm propter armorum strepitus Leges silent, & studia prostrata jacent, secundùm illud Hebræorũ* אם ספרא לא סייפא ואם סייפא לא ספרא *h.e.* Si litteræ, non arma: si arma, non litteræ, in Avoda Sarah *pag.10.c.1. sed & singulari fato, hæ litteræ, dum ad summum ferè pervenerunt, in imo simul jacent: attamen propterea non supprimendum esse censui. Ut non nobis solùm, sed posteritati maximè arbores plantamus, ædes exstruimus; sic & hîc illius ratio habenda, in qua erunt, qui hæc aliquando studiosiùs requirent & deamabunt. Nec tamẽ du-*

bito, quin & nunc futuri sint, qui æquiùs de eo sint judicaturi, & illius usum perspecturi; ii videlicet, qui paullò profundiùs in Philologiã Hebraicam se demiserunt; לבות חחכמים יש להם עינים רואות מה שאין רואים הפתאים Corda sapientum oculos habent, quibus cernunt ea, quę simpliciores non vident, *inquit hic noster Author in Epistola de Astrologia. Si non absolutè vel ad farinam, vel ad salutem sunt necessaria; scire tamen illa & intelligere nihil nocebit. Si non sunt sapientia ipsa, sint* פרפראות לחכמה *h.e.* delitiæ, condimenta, vel ornamenta sapientiæ & doctrinæ, *ut R. Eliezer de scientiis Mathematicis loquitur in* Pirke Avos *cap. 3. Si non omnia bona sunt & præstantia, erunt aliqua: ac proinde legamus ea, prout* R Meir *Rabbinorum libros esse legendos monuit;* רימון מצא תוכו אכל קליפתו זרק Qui malogranatum *(dicebat)* invenit, comedat meditullium, & corticem abjiciat, *in Chagiga fol. 15. col. 2. Ea quod attinet, quæ fortè Religioni Christianæ contraria in eo videri possint, qualia nonnulla virgulâ censoriâ in margine tetigimus, non sunt multa, nec amarulenta. Rejicere & resecare non videbatur consultum. Authorem castrare noluimus. Nemo illa ita interpretabitur, ac si à nobis approbarentur; nemo etiam illis seducetur. Non nisi à doctis istiusmodi libri leguntur, qui firmiori judicio sunt præditi. Et in Ethnicorum libris talia reperiuntur, qui tamen è Scholis nostris ideò non exterminantur. Ut ut multa contineat, quæ etiã apud nostros, & fortè planiùs & pleniùs reperiuntur: alia tamen plurima quoq; habet peculiaria, quæ observatione sunt dignissima. Varia sunt, quæ ante hac, & huc-usq; Viri docti ad bonarum litterarum illustrationem inde protulerunt. Erunt fortè & imposterum, qui id facient, & meliùs facere hac versione adjuti poterunt. Prætereà si nihil aliud haberet, hanc tamen utilitatem non contemnendam præstat, quòd immensos in Hebraica lingua progressus inde facere poterit, qui cum Hebræo conferre volet. Nulli meliores sunt præceptores ad Rabbinica legenda, quàm scripta talia, quæ in linguam aliquam vulgarem translata, ad Hebraica intelligenda nos veluti manu ducunt. Nam si vocis & sententiæ alicujus sensus nobis sit manifestus; facilè etiam constabit*

bit de legendi ratione, & punctis adjiciendis. In transferendo eam rationem observavi, ne nimis longè ab Hebraica dictione recederem, non etiam mordicùs nimis illi adhærerem, ne vel sensus fieret obscurior, vel fontis gratia & scaturigo periret. Stylum materiæ attemperare coactus fui, quæ cùm Philosophica sit & scholastica, talem quoq; sermonem postulavit. Quòd si alicubi fortè erravi, cogitandum, in tàm vasto Opere fieri aliter vix posse, ac propterea condonandum. Alia ratio est, cùm sententia vel periodus aliqua tantùm ex Hebræo transfertur; alia, cùm integer tractatus. Si sermo & stylus non ubiq; est ad palatum & Hebraismum redolet, sciendum, iis hic etiam indulgendum fuisse aliquid, qui in linguæ Hebrææ studio exinde proficere cupiunt, ne in collatione impediantur. Et certum est, vix ita pura esse posse ea, quæ ex alia lingua & ab alio sunt translata; in his præsertim linguis, quæ non sunt usuales, sed ex libris addiscuntur: semper aliquid ex stylo Authoris & linguæ originalis adhæret. Sæpè etiam singulares subsunt emphases & energiæ, quas libenter retinere & doctis intelligendas ac dijudicandas proponere voluimus. Majoris jucunditatis gratiâ non solùm notis marginalibus, sed & Indicibus Librum illustravi. Locorum Scripturæ Indicem, qui in Hebræo codice erat, retinui eo modo & ordine, quo illic reperitur, sed Latinè translatum, & adjectis librorum, capitum, & versuum notis, quæ ibi desunt. Animus quidem erat, Hebraicum quoq; textum & notas adjungere, & è re fuisset, sed certæ sunt caussæ, quæ illud nunc impediverunt. Ubi videbo, quo vultu hæc accipiantur, & illa desiderentur, poterit adhuc fieri, si Deus gratiam, vires & valetudinem proroget. Script. Basileæ x. Kal. Mart. Anno

cIɔ Iɔ c XXIX.



****

שיר בשבח הספר להחכם רבי רפאל יוסף מטריווייש :

אלדינו הלא דבר במשה ומילתו עלי ספר חקוקה
וכל חכמה חדשה גם ישנה בתוך מורה ובפרקיו דבוקה
לפנים כל אנוש תועה בתוכו ובינתו מבולקה ובוקה
לכל רואים פלאים הם דבריו ומסתריו כמו פרצה דחוקה
באופן נגעל ספרו ונדחה אלי מקום אשר אין בו בדיקה
עדי יום זה אשר הודפס מבואר אזי הזהיר והאיר כאבוקה
רבי שם טוב ואפודי וקרקש פרישתם סביבותיו מתוקה
ראו אישים צאו חושים ודרשו בכל פנות בכל דרך רחוקה
קנו מורה בלי עצלה ורפיון ולמה יהיה לכם לפיקה
ביום זה תלכדו גיל עד ודמות ותבינו צפון מצות וחוקה
הלא מתת אלדים זאת כגשם נדבות היא ומורה לצדקה :



PRÆFATIO AUTHORIS.

DICIT Samuel Filius Rabbi Aben Tybbon; *Sic scripsit Author ad discipulum suum præstantissimum Rabbi Joseph Filium Rabbi Jehuda, cujus requies sit in horto Edenis.*

Ex quo tempore primùm ad me pervenisti, & nomen tuum in discipulorum meorum catalogum referre voluisti, incredibile est, quanti te semper fecerim, tùm ob singularem tuam in studiis industriam, tùm ob summum tuum ad res speculativas, quod ex carminibus tuis percipere potui, desiderium. Fuit autem, cùm litteræ & carmina tua elegantissimè composita, Alexandriâ mihi reddita fuissent, & priusquàm vis & acumen ingenii tui mihi explorata essent, ut cogitarem, desiderium & appetitum tuum majorem fortè esse apprehensione tuâ. At postquàm apud me te exercuisti in studio Astronomico, & reliquis disciplinis Mathematicis, (quarum fundamenta jam aliqua ab alio hauseras,) suprà quàm dici potest de te gavisus sum, propter excellentem, quam in te deprehendi, ingenii bonitatem, & naturalem ad Artes istas liberales animi tui inclinationem, faciléq; permisi, ut in illis instruereris, eò quòd jam tùm cognoscerem & præviderem, quisnam & qualis futurus esses. Cùm etiam fundamenta Logica à me didicisses, multùm meam de te conceptam spem & exspectationem adauxisti, adeò ut dignum te censuerim, cui Secreta librorum Propheticorum revelarem, ut ea in illis posses notare & observare, ad quæ perfectos respicere & animum advertere convenit. Itaque incepi digitum quasi in quædam intendere, & summatim ex illis nonnulla tibi proponere. Cùm verò ulteriùs à me peteres & flagitares, ut accuratiùs res Theologicas, mentemq; Loquentium sectæ tibi explicarem, ac quid de illorum rationibus & probationibus sentirem, an scilicet sint demonstrativæ nec'ne, indicarem; cúmq; viderem, te doctrinæ illorum gustum ab alio jam accepisse, & ita, ab unâ parte, rei difficultate te terrente, ab alterâ, animi tui generositate ad res excelsas & arduas te sollicitante, perplexum esse, nolui honestissimæ & æquissimæ tuæ pe-

titioni hac in parte deesse; sed monui potiùs, ut methodicè & ordine omnia & singula addisceres, atq; ita non superficiariam, sed solidam rerum cognitionem tibi compararés, & quotiescunq; toto illo tempore, quo unà conversabamur, dubius aliquis Scripturæ locus occurrebat, vel dictum Rabbinorum, quod paradoxum aliquid docere videbatur, in id omnibus viribus incubui, ut verum ejus sensum tibi explanarem. Quando autem DEO OPT. MAX. visum fuit, nos separare, tuq;, quò fata tua te trahebant, concessisses, ingrata ista separatio, & suavissimæ conversationis tuæ memoria me excitârunt ad præsentem Librum (de quo te præsente non cogitabam) tibi, tuiq; similibus, ut ut pauci sint admodùm, conscribendum, qui & in certa capita est distinctus, & methodicè eleganterque ordine omnia & singula pertractat. VALE.

Dicit Samuel Filius Juda F. Tibbon, sic ait Author;

Psalm.143.8. *Notam fac mihi, ô DEUS, viam, in qua incedam, nam ad Te attollo animam meam.*

Proverb.8.4. *Ad vos, ô Viri, clamo, & vox mea ad filios hominum.*

Proverb.22.17. *Inclina aurem tuam, & audi verba Sapientum, & appone cor tuum ad scientiam meam.*

Summa & argumentum Libri. LIBRI hujus summa & argumentum consistit, *primò*, in explicandis quibusdam *Nominibus*, quæ in scriptis Prophetarum occurrunt. Illorum Nominum alia sunt *Homonyma & æquivoca*, quæ simplices & imperiti intelligunt secundùm quædam tantùm illorum, de quibus dicuntur: alia sunt *Metaphorica*, quæ vulgus hominum capere solent in prima & naturali significatione, à qua sunt translata: alia sunt *Analoga*, de quibus quandoq; credunt, quòd sint Univoca, quandoq; quòd sint Aequivoca. Non est autem nobis propositum, illa vocabula explicare pro vulgo, vel tyronibus in speculatione, vel pro illis, qui student tantùm in sapientia Legis, (nam Libri hujus, & aliorum hujus generis, intentio est, docere sapientiam Legis secundùm veritatem & ex fundamentis); sed propositum nobis est, instruere virum in Lege nostra peritum & exercitatum, veram illius fidem tenentem, in doctrina & vita perfectum ac inculpatum, Philosophiæ gnarum, intellectu deniq; sanum, cui sensus Legis litterales nonnunquam movent scrupulos, qui vel ex se & proprio studio, vel ab alio proprium Vocabulorum illorum Æquivocorum, Metaphoricorum & Analogicorum, sensum intelligit, atq; inde *perplexus* redditur, an intellectum suum sequi, & illum Vocabulorum sensum,

quem

quem ipse addidicit, abjicere debeat, (quod faciens existimabit se abjicere fundamenta Legis); an verò illum sensum debeat amplecti post-habito intellectu suo, (quod faciens depravationem vel detrimentum aliquod Legi se inferre arbitrabitur), & ita in cogitationibus istis imaginariis hærens, anxius & sollicitus, quomodo se inde extricare debeat, ignorat.

Deinde versatur hic Liber, in Explicatione abstrusarum & arcanarum *Parabolarum*, quæ in scriptis Prophetarum occurrunt, de quibus non expressè dicitur, quòd sint Parabolę; sed ita proponuntur, ut indoctis & imperitis videantur esse intelligendæ secundùm sensum ipsarum litteralem, neq; aliquid aliud sub illo cortice latére appareat: veruntamen à Viris doctis & intelligentibus expensæ & examinatæ secundùm sensum litteralem, scrupulum statim & nodum in animis ipsorum relinquunt. Hinc quia, dum illas Parabolas in hoc Libro explicamus, scrupuli & nodi isti solvuntur, *More Nevochim*, h.e. *Doctorem Perplexorum* appellare illum voluimus; non quidem quòd omnia, sed quòd maximam partem dubiorum illorum gravissimorum adimat & auferat.

Cur Liber vocetur More Nevochim, *h.e. Doctor perplexorum?*

Non est autem, quòd quis perfectam & absolutam Vocabulorum & Parabolarum, quas tractandas suscipio, explicationem ac declarationem à me desideret, aut expectet; (id enim ne sapientissimus quidem & disertissimus ore & linguâ suâ efferre posset, nedum calamo & libro comprehendere): quod ideò moneo, ne stultis & indoctis, qui tamē sibi egregiè videntur sapere, Liber hicce meus scopus veluti sit & signum, in quem inscitiæ & ignorantiæ suæ sagittas conjiciant. Et de istis rebus egimus jam-pridem in magno nostro Opere Talmudico, ubi inter alia quoq; & hoc monuimus: *Opus Bereschit* esse sapientiam Naturalem; *Opus Mercavah* sapientiam Divinam: & ibidem quoq; dictum illud Sapientum nostrorum adduximus, *In Opere Mercavah ne coram unico quidem, nisi fuerit sapiens, intelligens, & tùm tradent ei summa tantùm & generalia capita.* Quare non est, quòd & hîc aliud, quàm summa & generalia capita exspectes, & illa quidem non certo ordine tradita, sed hinc inde per totum librum dispersa, & aliis rebus, quas declaramus, quasi immixta. Intentio enim mea est, extrahere quidem & elicere è sapientia Divina, seu *Opere Mercavah* ea, quæ maximè sunt realia, sed ita, ut simul occultentur & abscondantur, ne contra intentionem Divinam agere videamur, à qua discedere summum nefas ducimus. Nam videmus, quòd in ea, quæ singularia sunt in Apprehensione DEI, ce-

Psalm.25.14. lentur & abscondantur, sicut David dicit: *Secretum DOMINI timentibus eum.* Quin-imò prohibitum quoq; est sapientiam Naturalem penitùs publicare & manifestare, suntq; in illa quædam principia, quę neminem claris & apertis verbis docere licet. Unde de hac dicunt Sapientes nostri, *Et non in opere Bereschit duobus.* Quòd si autem quis illas res omnes libro describere & explicare vellet, perinde faceret, ac si mille & ampliùs hominibus illas explicaret. Atque hinc videmus, apud Prophetas ista etiam sub Parabolis esse proposita, & Rabbinos nostros, juxta Sacrorum librorum stylum & consuetudinem per ænigmata & figuras de illis loqui solere. Caussa est, quòd inter illam (*sapientiam sc. vel Theologiam Naturalem*) & sapientiam Divinam magna sit affinitas & convenientia, nec exiguam Mysteriorum scientiæ Divinæ partem constituat.

Gradus Apprehensionis Dei in hominibus. Profunda autem illa Mysteria quod attinet, noli existimare, illa perfectè & ad amussim ulli Homini esse cognita: nequaquam; verùm quandoque veritas nobis lucere & splendere videtur instar lucis vel diei, posteà verò iterum occultatur vel à Natura, vel à Consuetudine, ita ut ad priores nostras tenebras ferè revertamur, & similes simus iis, quos in densissimâ noctis caligine fulgura subinde irradiant. Hoc pacto quibusdam ita crebrò coruscare & sese invicem solent consequi, ut nullum quasi animadvertere possint intterstitium, sibique in continuâ luce versari videantur, & nox illis sit instar diei. Talis est magnus gradus illuminationis Prophetarum, de quo dicitur, *Tu autem sta hic mecum.* Item, *Quia radiavit lux faciei ejus.* Aliis ita coruscare solent fulgura, ut longum sit, inter unum & alterum, spacium ac intervallum. Et talis est communis gradus majoris partis Prophetarum. Aliis unicum tantùm totâ nocte fulgur apparet. In hoc gradu sunt illi, de quibus dicitur, *Et prophetârunt, & non addiderunt.* Aliis accidit, ut unicum fulgur per diversas coruscationes magno vel parvo intervallo distantes appareat, (*hîc est verborum Authoris sensus, juxta* Schem Tobh). Inveniuntur etiam quidam, qui planè non perveniunt ad talem gradum, ut tenebræ ipsorum à fulgure illustrentur, sed tantùm à corpore aliquo puro, lucido ac splendido, ut lapide, gemmâ, vel similibus, quę in tenebris lucem solent spargere. Et hæc lux quoq;, quamvis tenuis & exigua, quibusdam non semper & continuè, sed interruptè apparet, quandoque lucens, quandoq; non, instar flammæ vel aciei gladii versatilis. Et hi sunt gradus, secundùm quos Homines distinguuntur in Apprehensione Dei. Qui verò nullam omninò lucem vident, sed perpe-

Deut.5.31. Exod.34 29. Num.11.25.

perpetuò cœcorum inſtar palpitant, ſunt illi, de quibus dicitur, *Non ſciunt,neq; intelligunt,in tenebris indeſinenter ambulant,* & abſcondita eſt ab illis veritas,licèt luce meridianâ clarior ſplendeat ac luceat, ſicut alibi legimus, *Non viderunt lumen lucidum, quod eſt in Cœlis.* Et hi ſunt vulgus populorum, quorum nullam rationem in hoc Libro habuimus.

Pſalm.82.5. Jobi 37.21.

Porrò ſcias,quòd perfectorum quoq; aliquis,ut ut vellet,nō poſſet tamen vel minimam Myſterii alicujus partem ſecundùm eum gradum,quem ipſe habet, perfectè & ſecundùm ordinem, ore vel calamo, ut reliquas diſciplinas explicare. Verùm idem hîc ei, cùm alios docere volet,eveniet,quod illi accidit,cùm ipſemet didicit; ut ſc.aliquid nunc ei videatur clarum & apertum, mox iterum obſcurum & occultum,quaſi rei natura ita eſſet comparata. Proptereà quando Sapientes voluerunt aliquid in hoc argumento docere & proponere, per Parabolas & ænigmata tantùm id fecerunt,idq; multipliciter & variè admodùm. In quibusdam proponunt rem, quam docere volunt, in principio Parabolæ, in aliis in medio, in aliis deniq; in fine illius, quando ſcilicet non inveniebant aliquam, quæ tota à principio ad finem rei propoſitæ conveniret. Quandoq; res ſubjecta,licèt una ſit,diſperſa habetur in pluribus Parabolis,longè etiam à ſe invicem diſtantibus. Aliquando, quod profundius eſt, Parabola una, Parabola eſt rerum multarum, ut initium illius huic, finis verò alii rei conveniat. Aliquando tota aliqua Parabola ad duas res, ſed propinquas, ſpectat & pertinet. Itaque qui ſine Parabolis & ænigmatis docere vult,is in verbis ſuis tantis profunditatibus & metaphoris uti cogetur, ut illæ æquè obſcuræ ſint futuræ atque Parabolæ & ænigmata: ita ut videantur hîc Sapientes ſingularem inſtinctum Divinum ſequi, quemadmodum diſpoſitiones ſuas naturales ſequuntur in actionibus naturalibus. An'non vides,quid egerit Deus Sanctus & Benedictus, quando nos perfectos reddere, & mores actionesq; noſtras Legibus ſuis practicis dirigere corrigereq; voluit? Quia enim hoc non benè poterat fieri ſine præeuntibus quibusdam ſententiis intellectualibus, quorum principium eſt Apprehenſio Creatoris captui noſtro conveniens; & hæc non poterat percipi niſi ope ſapientiæ Divinæ; ſapientia autem Divina non poſsit acquiri, niſi poſt ſapientiam Naturalem, (nam ſapientia Naturalis eſt contermina ſapientiæ Divinæ, eamque ordine doctrinæ præcedit, ut iis notum eſt, qui in hoc ſpeculationis genere ſe exercent); ideò principium librorum ſuorum Sacrorum exorſus eſt ab Opere

Cur & quomodo per Parabolas & ænigmata loquātur Sapientes?

Cur Deus ab Hiſtoria Creationis Sacram Scripturam inchoarit?

Bere-

Bereschith, h.e. à sapientia Naturali,& tùm propter excellentiam ac præstantiam illius, tùm propter insufficientiam & imperfectionem nostram ad apprehendenda ista,indicavit nobis res illas profundas, quas sapientia Divina indicare coëgit, per Parabolas, ænigmata,& verba abstrusa valdè, sicut dixerunt Rabbini nostri piæ memoriæ: *Indicare opus Bereschit Carni & Sanguini non est possibile, idcircò absolutè dicit Scriptura, In principio creavit Deus*; quibus verbis admonere voluerunt, res istas esse absolutas, clausas, nec apertè explicatas, sicut
Eccl.c.7.25. ait Salomon; *Procul est, quod factum est, (h.e. sapientia Naturalis),& profundum profundum, (sapientia Divina scil.) quis inveniet illud?* Prætereà etiam ubiq; usus est (*Deus scilicet*) vocabulis Homonymis, ut vulgus pro captu suo & tenuitate ingenii sui uno, & perfectiores alio sensu illa intelligerent. Hæc omnia quod attinet,promisimus jam pridem in Commentariis nostris Talmudicis, nos illa explicaturos in Libro de Prophetia,& in Libro Conciliationis,in quo polliciti sumus Expositionem Allegoriarum omnium dubiarum, quæ primâ fronte remotæ videntur esse à veritate,& è via intelligibilis exire. Posteaquàm autem ante multos annos Libros illos incepissemus, & jam pauca quædam conscripsissemus,non videbatur nobis rectum,quòd illâ viâ aggressi essemus explicationem istam. Vidimus enim,si persisteremus in occultandis & ulteriùs involvendis illis, quæ occultanda sunt, in Parabolis nos non egressuros priorem viam & modum,sed individuum unum pro alio ejusdem speciei permutaturos, *(h.e. nos nihil novi præstituros)*: quòd si verò explicaremus illa, quæ explicatione indigent, operam nostram parùm convenientem & decentem futuram; quia videremur Allegorias & Secreta Prophetarum Populo velle revelare. Prætereà vidimus, si in Allegoriis illis speculetur imperitus & indoctus aliquis è plebe, quòd nullum sit planè concepturus scrupulum: indocto enim, & Naturæ rerum ignaro, nihil novi est, credere illa esse quæ esse nequeunt, sed sunt impossibilia; quòd si verò in illis speculetur Vir aliquis perfectus & eximius, illum vel accepturum eas secundùm sensum ipsarum litteralem,& ita sinistram tantùm de Authore concepturum opinioně, eumq; pro imperito reputaturum,& hac ratione fundamentis fidei nihil detrimenti illatum iri; vel crediturum, illas internum habere sensum, sicq; in tuto navigaturum, & nil nisi bonum de Authore quoq; illarum cogitaturum, sive illud internum noverit ac intelligat, sive non nôrit.

Quocirca cùm in hoc Libro mihi proposuerim,unâ Expositionis

viâ exponere rationem Prophetiæ illiusq; graduum, & explicationem Parabolarum librorum Propheticorum, propterea destiti à reliquis duobus Libris, & satis duxi breviter de fundamentis Fidei, & generalibus articulis agere, ad eum ferè modum, quem in Opere nostro magno Talmudico observavi, nisi quòd in hoc Libro mihi res est cum eo, qui Philosophiæ principiis est imbutus, qui scientias veras novit, verbis Legis credit, & in sensu illorum perplexus est, propter vocabula æquivoca, analoga & metaphorica, quæ in eis occurrunt. Adducemus tamen in eo quandoq; caput aliquod, in quo nullius Vocabuli æquivoci fiet mentio, sed quod vel fundamentum tantùm nobis sternet ad aliud, in quo de significatione alicujus Vocabuli agetur, quam in illo capite nolo tangere: vel Parabolam aliquam exponet, aut de re quapiam monebit, quòd sit Parabola: vel deniq; continebit expositionem rerum quarundã incognitarum, in quibus, propter homonymiam vocis, id, quod veritati repugnat, creditur, ut cùm id, quod Parabolę loco adducitur, sumitur pro re per illam significatâ, vel significatum per Parabolam, pro Parabola ipsa. His ergo sic præmissis, subjungam nunc Propositionem quandam, quæ ita habet.

Scito, clavem Intelligentiæ & scientiæ veritatis omnium eorum, quæ à Prophetis dicta sunt, esse Intelligentiam sensûs & verborum Parabolarum. Nôsti enim id, quod dicit Deus apud Hoseam, *Per manus Prophetarum propono similitudines.* Item illud, *Aenigmaticè loquere ænigma, & parabolicè loquere parabolam.* Nôsti etiam, quia tàm crebrò Prophetæ parabolis utuntur, dixisse Prophetam, *Ah ah Domine, ipsi dicunt mihi, An non parabolicè loquitur parabolas iste?* Non ignoras insuper, quid Salomon dicat ab initio Proverbiorum suorum, *Ad intelligendum parabolam & eloquutionem, verba Sapientum & ænigmata eorum.* Sic legimus apud Sapientes nostros in Medrasch; *Cui rei fuerunt similia verba Legis, antequam exsurrexisset Salomon? Puteo, cujus aquæ sunt profundæ & frigidæ, ut Homo nequeat de illis bibere. Quid fecit prudens & ingeniosus quupiam? Colligavit funem funi & filum filo, atq; ita hausit & bibit. Ita progressus est Salomon de parabola ad parabolam, & de verbo uno ad aliud, donec penetrârit in ipsam Legis fossam vel cisternam.* Hactenus illi. Per *verba* autem illa Legis, quorum mentio fit in Medrasch, & ad quorum intelligentiam penetrare nos dicimus per intelligentiam Parabolarum, non intelliguntur, ut cuivis constat sanâ mente prædito, verba Legis de ritibus & ceremoniis, ut, de Tabernaculis conficiendis, de ramis Palmarum, de quatuor Custodibus, & similia: sed intelligentia rerum profundarum & occultarum. Sic dicunt ibi-

Intelligentia parabolarum clavis intelligentiæ.
Hos.12.11.
Ezech.17.2.
Ezech.20.49.
Proverb.1.6.
Verba Legis similia puteo profundo.

dem; *Quemadmodum si quis siclum vel margaritam pretiosam amisit in intimo domus suæ, candelam unius oboli accendit, eamq; iterum reperit: sic Parabolæ nihil omninò sunt nullius q; pretii, & tamen per eas videmus & cognoscimus verba Legis.* Hæc sunt iterum verba ipsorum, in quibus animadverte, quomodo interius vel intimum verborum Legis veluti margaritam, sensum autem litteralem Parabolæ, nullius omninò pretii esse ostendant; quomodo etiam sensum interiorem Parabolæ, sub litteræ externæ cortice latentem, assimilent margaritæ pretiosæ in domo obscurâ, clausâ, multâ supellectili, multisque instrumentis refertâ, amissæ. Quemadmodum enim Homo amissam margaritam quidem in domo esse novit, sed non videt eam, nec novit ubi sit, & quasi penitùs ex ipsius potestate est elapsa, quia ab usu ejus arcetur, donec accendat candelam; ita eadem quoq; ratio est intelligentiæ, quam nobis suppeditant Parabolæ.

Parabolæ similes candelæ vili, quâ pretiosa margarita invenitur.

Proverb. 25. 11. Dicit Sapiens; *Mala aurea cum* maskijoth *figuris argenteis, est verbum dictum suis modis*, ad cujus dicti explicationem attende.

Maskijoth sive Figuræ illæ, sunt corpora sculpta, sculpturis perplexis vel reticulatis, subtilibus, & perforatis ad-instar operis aurifabrorum; vocanturq; ita, quia per illa Visus transit & penetrat. Nam verbum Hebræum *Nischkaph* vel *Hischkiph*, Prospicere, Respicere, in Targum transfertur per *Isteche* אסתכי (unde illud *Maskijoth* derivatur) Dicit ergo, Mala aurea, operi tali argenteo, reticulato, & perforato inclusa, Parabolam esse Verbi suis modis dicti. Quod quàm sit admirandum & egregie dictum, quæso adverte. Ait; In Verbo, quod duplicem habet faciem, h. e. in quo est aliquid apparens quod videtur, & aliquid absconditum, requiri, ut externum & apparens sit instar argenti, interius autem melius externo, ita ut inter illud, & externum, ea sit proportio, quæ est auri ad argentum: deinde, ut externum ita sit comparatum, ut posit Lectorem attentum de eo, quod interiùs est, docere. Sicuti enim mala istiusmodi aurea reticulis argenti perforatis obducta, cùm de longinquo & sine attentione conspiciuntur, videntur esse merè argentea, propiùs autem inspecta à viro acuto visu prædito, ostendunt quid intùs conclusum habeant, aurum videlicet; ita quoq; in Parabolis Prophetarum beatæ memoriæ, externum & apparens continet quidem sapientiam, quæ multiplicem habet utilitatem in conservanda & dirigenda Hominum societate, interiùs verò continet sapientiam, quæ nos

משכיות

Alia similitudo; quomodo Parabolæ comparata esse debeant.

nos erudit de iis, quæ in Relligione sunt credenda & amplectenda.

Parabolæ autem Propheticæ duplicis sunt generis. In quibusdam enim singulæ voces rem aliquam peculiarem denotant: aliæ verò sunt, ubi tota Parabola rem significatam totam exhibet, in quibus multa quidem habentur verba, sed non singula pondus habent, & rei significatæ aliquid addunt; verùm inserviunt tantùm ad elegantiam, vel, ut rem tantò magìs occultent & involvant, sequunturq; verba rationem rei illius, unde parabola est desumpta. *Parabolarum duo sunt genera.*

Primi generis Parabolarum exemplum est; *Et ecce, scala erecta erat super Terram, & caput ejus tangebat Cœlum.* Nam vox *Scala* docet de re una; *Erecta erat*, de alia; *Et caput ejus tangebat Cœlum*, de tertia; *Et Angeli Dei*, de quarta; *Ascendebant*, de quinta; *Et descendebant per eam*, de sexta; *Et ecce Dominus stabat super illam*, de septima. Ex quo vides, singulas hujus Parabolæ voces, rei per eam significatæ aliquid addere. Genes. 28. 12.

Secundi generis exemplum est: *Per fenestram domus meæ, per fenestellas prospexi, & vidi inter simplices, consideravi inter filios juvenem carentem corde, transeuntem per plateam, juxta angulum ejus, & per viam domus ejus gradiebatur, in crepusculo, in vespera diei, in tenebris noctis & caligine, & ecce, mulier in occursum ejus, ornatu meretricio & cauta corde, quæ tumultuosa erat & perversa, &c. nunc foris, nunc in plateis, &c. & apprehendit eum, &c. Sacrificia pacifica sunt mihi, &c. idcircò egressa sum in occursum tui, &c. Ornamentis ornavi lectum meum, &c. Veni, inebriemur amoribus, &c. quia non est vir in domo sua, &c. Ligamen argenti tulit in manu sua, &c. Declinare fecit eum multitudine dulcedinis sermonis sui.* Ex omnibus enim istis nihil aliud discimus, quàm non sequendas esse illecebras voluptatum corporalium, quarum omnium caussam materialem comparat fœminæ meretrici, & adulteræ maritũ habenti, super quam Parabolam exstruxit totum suum Librum. Explicabo autem in capitibus quibusdam istius Libri sapientiam illam, quâ Materiam comparat cum Uxore adultera: cui item Librum suum obsignet & claudat laudibus Mulieris strenuæ, quæ non scortatur, sed ornatu domus suæ, & marito suo contenta est. Nam omnia impedimenta & obstacula, quæ Hominem in perfectione sua postrema impediunt, omnes imperfectiones, omniaq; peccata non aliunde, quàm à parte materię proveniunt, sicut alibi in hoc Libro exponam. Atque hæc est summa totius Parabolæ, ut non sequatur Homo sensualitatem, h.e. materiam suam tantùm. Materia enim Hominis proxima, eadem est cum materia reliquorũ Animantium. Posteaquàm ergo tibi hoc exposui, & secretum istius Parabolæ revelavi, non est Proverb. 7. 6. *Materia similis adulteræ.*

quòd velis omnia ea, quę in Parabola habentur, invenire quoq; in re significatâ: verbi gratiâ, quid sibi velit, quòd dicitur, *Sacrificia Eucharistica sunt mihi, &c.* quid item significetur, cùm dicitur, *Ornamentis ornavi lectum meum:* quod item incrementum rei significatæ accedat, cùm ait, *Nam non est vir in domo sua, &c.* Omnia enim ista verba sequuntur sensum litteralem Parabolæ, & ad illum tantùm pertinent. Nam omnibus istis rebus solent scortantes & impudici homines inter se uti. Hoc ergo diligenter observa; est enim fundamentum magnum ad ea, quæ tibi explicare volo. Proinde cùm videbis, me in aliquo capite explicare Parabolam aliquam, & in genere summam & scopum illius tibi indicare, noli postulare rationem & applicationem omnium verborum & rerum in Parabola contentarum, ad rem significatam. Nam si id feceris, in alterutrum duorum horum incides: vel declinabis à scopo & intentione Parabolæ; vel defatigabis te in quærenda explicatione illorum, quæ explicari nequeunt, & ex hoc studio incides in væsaniam & vanitatem, inter multos nostro hoc tempore adeò familiarem, qui conantur quædam invenire & eruere è verbis Authorum, de quibus Authores ne unquam quidem somniârunt. Tuum autem propositum in majori Parabolarum parte esse debet, ut scias summam illius rei, de qua te author Parabolæ cupit erudire: in aliis verò sufficiant tibi ea, quæ à me audies, quòd sc. hoc vel illud sit Parabola, licèt nihil ulteriùs tibi exponam. Nam si scias esse Parabolam, facilè poteris conjicere, cujus rei sit Parabola, & proinde verbum illud meum, quo dico, quòd sit Parabola, idem efficiet quod is, qui id removet, quod inter visum & objectum visûs est interpositum.

PRÆCEPTUM HUJUS LIBRI.

Quâ ratione Liber iste sit legendus.

Si vis consequi, & ad unguem vel ad amussim addiscere ea omnia, quæ in hoc Libro continentur, perlegenda sunt tibi ordine singula ejus capita, neq; satis esse tibi ducendum, summam generalem capitis alicujus intelligere, sed observanda & consideranda quoq; tibi est unaquæq; vox, licèt nó sit de intentione capitis illius: (non enim fortuitò usurpata sunt & adhibita vocabula, sed summâ cum accuratione & magnâ diligentiâ: sollicitè etiam cautum est, ne dubii alicujus explicatio intermittatur, nullumq; verbum alieno in loco dicatur). Prætereà vide, ne persequaris eum cogitationibus tuis, (h.e. *ne obiter & superficialiter eum percurras & legas*), nam id si facias, nocebis mihi, & tibi nihil proderis; verùm necesse est, ut exinde discas, quę sunt necessaria & utilia, & à capite ad calcem evolvas eum; sic

sic enim extricabit te è multis & magnis dubiis circa Legem, quæ intelligentes omnes exercere solent.

Porrò, adjuro per Deum Benedictum omnes, qui Librum istum meum lecturi sunt, ne ex eo vel unicum verbum alii explicet & exponant, nisi ea, quæ jam exposita sunt ab aliis sapientibus & notis Doctoribus Legis nostræ, qui me præcesserunt: qui verò talia, quæ à nullo ante me dicta sunt, inde addiscet, ne quisquam alteri revelato. Nullus etiã præsumat respondere vel contradicere verbis meis, quia fieri potest, ut quis meam mentem non intelligat & assequatur, sed potius contrarium; & ita damno ac injuriâ me afficeret, pro eo, quod ego ipsi prodesse cupiebam, malumq; mihi pro bono retribueret. Legat eum & judicet de eo, ad cujuscunq; manus pervenerit, & siquidem ab ægritudine cordis aliquem etiam in minimo curaverit, gratias agat Deo, & quod inde hausit, in usum suum retineat. Quòd si quis nullum planè ex eo emolumentum capiat, illi esto, ac si nunquam esset compositus & in lucem emissus: si verò alicui perniciosum & minùs rectum quid continere videatur, is omnia in meliorem partem interpretetur. Nam si id teneamur facere & observare erga quosvis è vulgo & plebejos, quantò æquius est, ut idem quoq; faciamus erga Doctores & Sapiẽtes nostros, qui nostram utilitatem in veritatis cognitione promovere pro virili suâ satagunt. Certò autem scio, nullos tyrones, qui nihil adhuc in speculatione intelligunt, futuros, qui non ex aliquibus hujus Libri capitibus commodum sint percepturi: perfectos verò, qui scrupulos aliquos habent, omnes, & ex omnibus ejus capitibus non pœnitendos fructus reportaturos, sed tales, qui ipsos sunt exhilaraturi, suavesq; & dulces auribus ipsorum futuri. Vertiginosos verò quod attinet, quorũ cerebrum est pollutum, & vanis futilibusq; ac falsis opinionibus, quas tamen veras esse autumant, repletum, quiq; sibi imaginantur, se magnos esse Philosophos ac Theologos, cùm tamen ne guttam quidem scientiæ habeant, quæ Sapientiæ titulum in rei veritate mereri posset, illos scio fugituros à multis, contra multa etiam objectiones moturos. Quia nempe nihil quicquam intelligunt, & quia per illa scoriæ adulterinarum ipsorum monetarum produntur, quæ thesaurus sunt & peculium illorum, paratum eis ad angustias ipsorum. *Obtestatio ad Lectorem.*

Deus vero Benedictus novit, quantoperè timuerim conscribere ea, quæ explicare & consignare volui in hoc Libro. Nam quia talia sunt, de quibus nullus ex gente nostra in hac captivitate quicquam scripsit hactenus, quâ ratione primus ego prodire in hac palæstra

audeo? Verùm suffultus sum duobus principiis; primò, quòd de
Psalm.119.126. istiusmodi negotio dictum sit, *Tempus est faciendi DOMINO: irritam fecerunt Legem tuam,&c.* Secundò, eo quod Sapientes nostri dicunt, *Omnia opera tua fiant ad gloriam DEI.* His duobus,inquam,principiis innixus, suscepi istius,quem exhibeo, Libri compositionem.

In summa: Ego ita sum comparatus, ut licèt videam, me premi, angustari, & aliter veritatem,quæ demonstrari potest, docere non posse,nisi ut vix uni bono & laudato viro placere,econtrà verò mille imperitis & stultis displicere cogar, malim tamen uni illi, contemptis reliquorum ludibriis,placere,illumq; ex perplexitatibus & dubiis suis eruere,donec perfectus evadat.

ALIA PRÆFATIO.

Quænam sint caussæ contradictionum, quæ hinc inde apud Scriptores reperiuntur?

Caussæ contrarietatum & contradictionum, quæ in Libro & Tractatu aliquo reperiuntur, sunt septem.

Caussa prima est, cùm Author aliquis diversorum Authorum, qui diversas sententias tuentur, opiniones adducit, & nomina ipsorum reticet, nec unamquamq; suo Authori attribuit. Tùm enim in illius Libro videtur esse contrarietas vel contradictio, quia ex duabus illis sententiis vel propositionibus una est hujus, altera alterius.

Secunda caussa est,cùm Author libri alicujus sententiam quandam defendit, eamq; posteà mutat, & utraq; in Libro ipsius scripta extat.

Tertia est, quando non omnia intelliguntur secundùm sensum litteralem,sed quædam litteraliter, quædam parabolicè,internũ & occultum sensum habentia: vel quando ambæ propositiones, quæ videntur esse repugnantes & contradictoriæ,sunt Parabolæ; cùm enim litteraliter intelliguntur,tùm una alteri repugnat vel contrariatur.

Quarta,cùm conditio aliqua subest rei,quæ nõ exprimitur in loco suo pro necessitate: vel cùm sunt duo diversa subjecta,quæ nõ explicãtur,tùm etiã videtur esse in verbis repugnantia,cùm tamẽ nulla sit.

Quinta, est ordo doctrinæ & institutionis. Si fuerit res aliqua abstrusa & intellectu difficilis admodùm, ac de ea necessariò sit agendum, sumendaq; sit principii loco in explicatione rei alterius facilioris, tùm necesse est, ut hæc priorem præcedat, (quia semper incipiendum est à facilioribus), & tamen opus etiam erit,ut leviter & crassiore Minervâ declaret Præceptor priorem. Verùm nequaquam accuratè & ἀκριβῶς id faciet, sed relinquet eam, prout discipulus vel auditor illam sibi imaginatur, donec intellexerit id, quod nunc ipsi inculcatum voluit, posteà autem ejus naturam & veritatem pro dignitate in loco convenienti pertractabit.

Sexta,

Sexta, est occultatio contradictionis, ita ut non nisi post multa principia appareat & animadvertatur: & quò pluribus principiis opus est ad eam demonstrandam, tantò magìs abdita est & occulta. Atq; hoc pacto ignorat eam Author, & existimat, duas primas propositiones sibi invicem non repugnare: verùm si unaquæq; seorsim assumitur, eiq; propositio conveniens alia adjungitur, & legitima ex illis conclusio conficitur; hæcq; conclusio iterum propositionis loco sumatur, & ei alia conveniens conjungatur, ac ex his rursum concludatur, sicq; consequenter, post multos syllogismos eò tandem devenietur, ut inter duas postremas conclusiones repugnantia sit vel contrarietas. Et talia latent sæpè sapientissimos & eruditissimos Scriptores. Quòd si verò manifestè duæ propositiones sibi contradicant, ita ut Scriptor vel Author prioris oblitus fuerit, cùm scripsit posteriorem, error & lapsus est nimis magnus, neq; illum Authorem inter eos numerandum censeo, cujus Libri legi mereantur.

Septima, est necessitas loquendi de rebus nimis profundis, in quibus oportet quædam occultare, quædam revelare. Sic enim quandoq; necessitas postulat, ut loquendum sit hîc secundùm unam propositionem, & mox alibi secundùm propositionẽ aliam priori contrariam & repugnantem. Hîc autem cavendum est, ne vulgus animadvertat locum contradictionis, operaq; Authori danda, ut omnibus modis eam occultet.

Repugnantiæ & contradictiones, quæ inveniuntur in *Mischna* & *Bareithoth*, sunt juxta primam caussam, sicut frequentissimè apud illos reperies, *Repugnat principium fini* vel *primum ultimo*: solutionis autem loco, *Principium est Rabbini N. finis Rabbini N.* Sic dicunt sæpè, *Vidit Rabbi verba Rabbi N. & absolutè judicavit nobis secundùm eum*: &, *Vidit verba Rabbi N. & pronunciavit absolutè secundùm eum.* Alibi etiam reperies, *Communis sententia est secundùm Rabbi N. Mischna est à partibus Rabbi N.* & sic sæpiùs, quàm ut omnia recenseri possint. *Contradictiones in Mischna quales sint.*

Repugnantię aut Contrarietates, quę reperiuntur in Talmud, sunt secundùm caussam primam & secundam. Ita invenies illos sæpè dicentes, *Sic & sic est opinio secundùm Rabbi N.* &, *Sic & sic est opinio secundùm Rabbi N.* Item, *Statuit secundùm illum in uno, & dissensit ab eo in uno.* Item, *Duo Amorajim sunt, sed sententia est secundùm Rabbi N.* Et hæc exempla omnia sunt secundùm primam caussam. Secundùm caussam secundam sunt ista, *Recessit Raf ab ista sententia*; Item, *Et scrutatus est. quænam è duabus sententiis esset postrema.* Sic dicunt; *Responsio prima Raf Asse dicit nobis sic & sic: responsio posterior dicit nobis sic & sic.* *Contradictiones Talmudis quales.*

Repu-

Contradictiones quæ in Prophetis esse videntur, quales sint. Repugnantiæ & contradictiones, quæ videntur esse in sensu literali quorundam locorum Propheticorum, omnes sunt secundùm caussam tertiam & quartam. Et harum gratiâ adduxi totam hanc præfationem. Sic nôsti, sæpè Rabbinos scribere, *Scriptura una dicit sic & sic, & Scriptura alia aliter.* Et sic contradictionem primò ostendunt, deinde explicant, quòd desit & subintelligatur conditio quædam, aut quòd subjectum sit permutatum: ut cùm ajunt; *Salomon, verba tua non repugnant tantùm verbis patris tui, sed etiam sibi invicem contradicunt, &c.* Atq; hæc inprimis, & majori ex parte, occurrunt apud Prophetas, quando judicia Dei annunciant, vel in corruptos mortalium mores invehuntur. Nostri autem propositi est, de illis tantùm monere, in quibus apparens est contradictio in rebus Fidei & Religionis, prout etiam quædam illorum sum expositurus, quia sunt quoq; de arcanis Legis. Quòd si verò apud Prophetas invenias contradictionem juxta septimam caussam, tùm consideratione & exploratione opus est, neq; temerè & inconsideratè aliquid decernendum aut pronunciandum.

Contrarietas apud Philosophos qualis. Contrarietas, quæ apud Philosophos veros reperitur, est secundùm caussam quintam.

Aliorum Scriptorum contradictiones unde. Ea, quę apud reliquos Scriptores & Commentatores invenitur, est ex caussa sexta. Et hujus generis contradictiones multas invenire licet in Medraschoth & Haggadoth, unde dicũt, אין מקשין בהגדה *Non faciunt syllogismos*, vel, *Non procedunt syllogisticè in Haggadah.* Inveniuntur etiam in illis contradictiones juxta caussam septimam.

Contradictiones hujus Libri unde sint. Contradictio deniq; vel cõtrarietas, quę in hoc Libro invenietur, est ex caussa quinta & septima: quod diligẽter tibi est animadvertendũ & observandũ, ne perplexus reddaris in nonnullis ejus capitibus.

His itaq; sic præfatis & præmissis, exordiar nunc explicationem Vocabulorum, quorũ sensus scitu & intellectu est necessarius, ut sciatur, quomodo in singulis locis accipiantur. Erit enim hoc veluti Clavis, cujus ope intro mittimur in loca, quorum portæ sunt clausæ, sed cùm aperiuntur, Homo in ea ingreditur, animę in iis quiescunt, oculi pascuntur, corpora deniq; ab omni labore & molestia recreantur.

Inquit Samuel F. Jehudah F. Tibbon; Sic ait *Rabbi Author* hujus Libri (sit memoria justi & sancti in benedictione): *Aperite portas, & ingrediatur gens justa, quæ custodit fidem & veritatem.* Jesa. 26. 2.



R. Mosis F. Maiemonis
Liber
MORE NEVOCHIM:
Hoc est,
DOCTOR PERPLEXORUM,
Latinè translatus.

PARS PRIMA.
Caput I.
De vocibus צֶלֶם *&* דמות, *h.e. Imago & Similitudo.*



Xistimant vulgò homines, צֶלֶם *Tzelem* in Lingua Hebræa Similitudinem ac Formam alicujus rei ſignificare, id quod ipſos induxit, ut crediderint Deum merè eſſe corporeum, quia dicit, *Faciamus hominem* bidmutenu kidmutenu *in imagine noſtra, ad ſimilitudinem noſtram*, arbitrantes, Deum eandem quam homines habere formam & figuram, neceſſariamque eſſe corporeitatem. Unde firmiter ipſi crediderunt eam, & exiſtimârunt, ſi ab hac ſententia recederent, falſitatis crimen intentatum iri Scripturæ ſacræ; quin immò Deum ipſum negari putāt, ſi ei adimatur corpus, facies, vultus, manus &c. eâ figurâ & formâ, quam ipſi habent. Hoc tamen differre ſtatuunt, quòd ipſius (*Dei* ſc.) corpus, majus & ſplendidius, materiâ itē ipſius, non carnem & ſanguinem eſſe dicant. Atque hoc ſolo reſpectu majorem ipſius eſſe majeſtatem & ſplendorem autumant. Verùm quòd ea attinet, quæ aut ad removendam à Deo Corporeitatem & veram Gen. 1. 26.

ipsius Unitatem astruendam (quæ, nisi ablatâ corporeitate, vera esse
part.1.c.46. nequit) sunt necessaria, ea alibi in hoc libro adducentur. Propositum nostrum in hoc capite est, explicare sensum duarum istarum Vocum צֶלֶם *Tzelem* & דְּמוּת *Demuth*.

תאר Thoar *quid?* Dico ergo, FORMÆ, quæ vulgò nota est & pro Forma habetur, quæq; nihil aliud est, quàm externa species, figura & repræsentatio alicujus rei, proprium in Lingua Hebræa Nomen, esse *Thoar* תֹּאַר; ut
Gen.39.6. cùm dicitur, Jephethoar *Pulcher formâ*, & *Pulcher aspectu*. Item, Ma-
1.Sam.28.14. thoaro *Quæ est forma hujus?* Item, Kethoar *Secundùm formam filiorum*
Judic.8.18. *Regis*. Hinc quoque usurpatur de Forma Artificiali ut, Jethoarehu
Jesa.44.13. *Format illud amussi*: Et *circino* Jethoarehu *format illud*. Atque hoc vocabulum nullo modo cadit in Deum benedictum. Absit.

צלם Tzelem *quid?* Vocabulum autem צֶלֶם *Tzelem* usurpatur de Forma Naturali, h.e. de re, per quam res existit, & est quod est. Id autem est ipsa essentia, è qua ens constat: Ut, In homine res, h.e. forma illa est id, cujus virtute in homine existit Apprehensio Intellectiva. Et propter hanc di-
Gen.1.26. ctum est de eo, Bezelem *In imagine Dei creavit ipsum*. Item, Tzalmam
Psal.73.20. *Imaginem ipsorum contemnis*. Nam contemptus hîc refertur ad animá, (h.e. *intelligitur de contemptu animæ*), quæ est forma specifica & interna, non autem ad dispositionem & formam membrorum (h.e. *non*
Imagines sive Idola cur Tzelamim? *ad formam externam*). Sic dico, Imagines sive Idola appellari *Tzelamim*, propter virtutem illam, quam cultores ipsorum in phantasia sua eis tribuunt, non autem propter figuram & formam ipsorum
1.Sam 6.5.11. externam. Ita dico de illo, Tzalme *Imagines anorum suorum*, quòd hæc vox (*Tzelem*) ipsis attribuatur, non propter formam externam, sed propter virtutem & influentiam illarum spiritualem, quâ damnum seu morbus mariscarum in anis sive posterioribus (*Philisthæorum*) auferebatur. Quòd si verò Imagines sive Idola, & Imagines istæ anorum, omninò Formæ externæ respectu ita vocantur, tùm Vocabulum *Tzelem* erit amphibolon & homonymum, diceturque tùm de Forma specifica interna, tùm de Forma artificiali externa, ac similibus dispositionibus & Formis corporum naturalium. Atverò
Gen.1.26. id quod dicitur, *Faciamus hominem* bezalmenu *in imagine nostra*, intelligitur de Forma specifica interna, quæ est Apprehensio intellectiva, nequaquam verò de Forma & figura externa. Ita ergo declaravimus tibi huc-usque differentiam inter *Tzelem* צֶלֶם & *Thoar* תֹּאַר, sensum item & significationem vocis *Tzelem*: sequitur nunc, ut agamus de voce *Demuth*.

דמות Demuth *quid significet?* דְּמוּת *Demuth* Nomen est Verbale à Radice דָּמָה *Assimilari*, & significat

ficat Similitudinem in re aliqua: ut, Damithi *Assimilatus sum pellicano deserti*, non alarum vel pennarum ratione scilicet, sed ejulatus & luctus ratione. Sic; *Nulla arbor in horto Dei* damah *similis erat ipsi pulchritudine suâ.* Hîc comparatio fit respectu pulchritudinis. Item, *Venenum est ipsis* Kidmuth *juxta similitudinem veneni serpentis.* Item, Dimjono *Similitudo ejus ut leonis.* Hæc omnia notant similitudinem in certa aliqua re, non verò in forma & figura. Sic dicitur quoque, Demuth *Similitudo solii sive throni.* Per similitudinem enim solii intelligitur Celsitudo & Majestas, non verò quadratura, vel crassitudo, aut longitudo ejus, ut vulgò existimant. Atque hoc pacto quoque intelligendum est illud; Demuth *Similitudo animalium.* Psal.102.7. Ezech.31.8. Psal.58.5. Psal.17.12. Ezech.1.26. Ezech.1.5.13.

Quandoquidem igitur Homo proprietatem aliquam in se habet, quæ ipsi soli convenit, neque in ulla alia creatura sub sphæra Lunæ reperitur, Facultatem nempe, sive Apprehensionem Intellectivam, quæ nullo sensu vel operâ corporis utitur, ut manu, pede &c. ideò assimilat eâ Scriptura Intellectui Creatoris, qui itidem nô existit in instrumento vel membro aliquo corporeo. Etsi autem similitudo non sit vera, (*sicut omnis similitudo claudicat*), sed tantùm *κατὰ δόξαν*: tamen de Homine propter istam rem, Intellectum inquam Divinum, qui ipsi inest, dicitur, quòd *sit ad Imaginem & similitudinem Dei*: non autem ideò, quòd Deus habeat corpus & figuram externam. *Cur dicatur Homo ad Imaginem & similitudinem Dei creatus?*

CAP. II.

Solutio objectionis cujusdam, ex dicto illo, Et eritis sicut Dii scientes bonum & malum.

OBJECIT mihi vir quidam sapiens & eruditus, ante triginta sex annos, quandam Objectionem, quam, ut & Responsiones nostras circa ejus solutionem, consideratu dignas esse judico.

Antequam autem objectionem illam, ejusque solutionem commemorem, præmitto (quod quilibet Hebraicè doctus cognitum habet), Nomen אלהים *Elohim* æquivocum esse, & competere Deo, Angelis, & Judicibus provinciarum gubernatoribus. Onkelus Proselytus, piæ memoriæ, verissimè exposuit illud, *Et eritis sicut* Elohim *scientes bonum & malum*, ex postrema significatione, *Et eritis sicut Principes.* *Elohim, competit Deo, Angelis & Judicibus.* *Vide par.2.c.6.* Genes.3.5.

Objectio. Præmiſſo itaque hoc de Æquivocatione iſtius vocabuli fundamento, Objectionem ipſam quoque proponam. Dixit Opponens: Videtur ex ſimplici ſenſu Scripturæ, Intentionem primam in Hominis creatione fuiſſe, ut eſſet ſimilis reliquis animantibus, ſine Intellectu & cogitatione, neſciens diſcernere inter bonum & malum: quando autem rebellavit, tum demum rebellionem ipſius, magnam iſtam perfectionem in illo produxiſſe, quæ propria ipſi eſt; Cognitionem ſcilicet vel Diſcretionem iſtam exiſtentem in nobis, quæ omnibus aliis rebus, quæ nobis inſunt, eſt nobilior, & per quam ipſam ſubſtantiamur, & ſumus id quod ſumus. Atque hoc admirandum eſt, quòd pœna inobedientiæ ejus perfectionem ipſi dederit, quâ antea carebat, nempe Intellectum. Perinde enim eſt, ac ſi quis diceret, Quidam homo peccavit & graviſsimum aliquod commiſit flagitium, ideò mutarunt ipſius creationem in melius, (h.e. *ideò melior ac præſtantior reddita eſt ejus conditio*) & conſtitutus eſt tanquam Stella aliqua in firmamento. Hæc eſt ſumma & ſenſus Objectionis illius. Nunc audi quoque Reſponſionem noſtram.

Reſponſio. Reſpondimus: Tu vir es, qui ſpeculatur in principio meditationum & cogitationum ſuarum, (h.e. *qui nimis leviter & præcipitanter judicat*) & qui putat ſe rectiſsimè intelligere poſſe Librum, (*Legis* ſcilicet *noſtræ*) qui eſt Directorium (*vitæ & actionum*) tàm priorum quàm poſteriorum, (*hominum* ſc., h.e. *omnibus omnium ætatum hominibus*) obiter percurrendo eum interdum per otium, à convivio aut Venere, ut liber aliquis Hiſtoricus vel Poëticus legi ſolet. Attende autem & adverte animum; Nequaquam enim ita ſe res habet, prout cogitâſti in principio ſpeculationis tuæ: ſed quemadmodum nunc cum accuratiore rei ipſius conſideratione tibi explicabitur.

Intellectus, quem Creator Adamo primo infudit, (qui eſt perfectio ipſius poſtrema) collatus ipſi fuit jam ante rebellionem (h.e. *lapſum*) ejus. Propter illum enim dictum eſt de Homine, quòd creatus ſit ad Imaginem & ſimilitudinem Dei: propter illum etiam loquutus dicitur Deus cum eo, & præcepta ei dediſſe, ſicut dicitur;

Gen.2.16. *Et præcepit* D O M I N U S D E U S *Adamo.* Præceptum etenim non datur brutis, & intellectu ac ratione carentibus. Per Intellectum autem poteſt homo diſcernere inter verum & falſum, & hic inditus fuit ipſi ad perfectionem & abſolutionem ejus. Turpe verò, ſive deforme, & Pulchrum, dicuntur de rebus manifeſtis in ſenſum incurrentibus, non verò de Intellectualibus. Nam non dicimus, quòd cœli ſunt rotundi, pulchrum eſt: vel Turpe eſt, quòd Terra eſt extenſa,

tensa, sed prædicatur de illis Verum vel Falsum. Et sic de rei a-
licujus certitudine vel incertitudine dicitur in Lingua nostra
Veritas & Falsitas: de re verò pulchra vel deformi, Bonum vel Ma-
lum, & per Intellectum dignoscit homo verum à falso in rebus in-
telligibilibus. Quando autem homo adhuc extitit in integritate &
perfectione sua, mentis inprimis & Intellectus, cujus respectu di-
ctum est de eo, *Et minorem fecisti eum paululùm ab Angelis:* tum nulla Psal.8.6.
planè erat in eo facultas utendi sensibilibus, vel ea apprehendendi.
Id enim, quod inter ea, quæ manifestè in sensus incurrunt, maximè
turpe est, Revelatio nempe nuditatis, ab ipso nullo modo turpe
habebatur, suamque propriam turpitudinem ipsemet non cognovit.
Deficiente verò ipso, & ad vanas concupiscentias, sensuumq; cor-
poralium libidines inclinante, sicut dicitur, *Vidit igitur mulier, quòd* Gen.3.6.
bona arbor ad vescendum, quódque desiderabilis oculis, punitus est meritò,
quia abnegavit (h.e. *rejecit & contempsit*) Apprehensionem illam
Intellectivam. Et quia peccavit contra præceptum illud, quod ra-
tione Intellectus ei datum erat, ideò in locum hujus successit Ap-
prehensio Sensibilium, sicque præcipitatus est in turpes & libidino-
sos affectus. Tunc demum agnovit pretium & æstimationem ejus
quod perdiderat, & quo spoliatus erat, quamque miserum in statum
prolapsus fuerit. Hac de caussa dicitur, *Et eritis sicut Dii scientes bo-* Gen.3.5.
num & malum, non verò, *scientes verum & falsum.* Sic animadverte
quòd dicatur, Vattippakachna *Tum aperti sunt oculi amborum, cogno-* Ibid.v.7.
veruntq; quòd nudi essent, non verò, Et aperti sunt oculi amborum *&*
viderunt. Quod enim viderunt antea, idem viderunt quoque post-
ea: neque scotomata erant in oculis ipsorum, quæ ablata fuerunt
postea: sed indicatur, rem quandam in homine ortam fuisse, quâ
turpe in se agnoverit id, quod antea nullo modo turpe habebat.
Nam sciendum, Verbum illud Aperiendi, Pakach פָּקַח, quod ibi usur- פקח Aperire
patur, tantùm dici de Revelatione cognitionis vel scientiæ, non ve- *quid propriè si-*
rò de Apertione Visus sensibilis sive corporalis: ut; Vajiphkach *Et* *gnificet.* Gen.21.19.
aperuit Deus oculos ejus. Item, Tippakachna *Tunc aperientur oculi cæ-* Jesa.35.5.
corum. Item, Pakoach *Aperiendo aures tamen non audit*, quo pacto ali- Jesa.42.20.
bi quoque legitur, *Qui habent oculos ad videndum & non vident &c.* Ezech. 12.2.

Quod verò de Adamo dicitur; *Quando mutavit vultum suum, dimi-* Job.14.20.
sisti eum, id ita exponendum, Quando mutavit objectum vel inten-
tionem Vultus sui, tum dimissus vel ejectus est *(ex Paradiso* sc.). Nam
vox פָּנִים *Facies, Vultus*, derivatur à verbo פָּנָה, quod significat, *Vertere,* פנים Facies,
convertere: & *Aspicere, Respicere*, quasi *Faciem* vel *Vultum in aliquam* *unde sic dicatur.*

rem convertere, quia homo vultu suo in eam rem, quam intentio ejus vult, intentus est. Dicit ergo, quando mutavit (*Adamus*) aspectum suum, & in rem illam direxit, de qua anteà mandatum erat ipsi, ne in eam oculos dirigeret, emisit eum Deus ex horto voluptatis sive Paradiso. Hæc fuit pœna similis peccato, juxta illud vulgatum, *Mensura pro mensura*. Permissum ipsi erat vesci & frui suavibus & delicatissimis horti fructibus quietè & securè: sed quando concupiscentia ejus crevit, & oblectamenta phantasiæ suæ secutus fuit, (ut antea diximus) ac de eo comedit, de quo ipsi injunctum fuerat ne comederet, ablata fuerunt ipsi omnia, & coactus fuit comedere cibum tenuiorem longè, quo antea nullatenus usus fuisset,
Gen.3.18.19. eumq; cum labore & molestia gravissima, sicut dicitur; *Spinam & carduum proferet tibi* &c. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo* &c. Quod
v.23. clariùs explicat, dum ait, *Et emisit eum Deus ex horto voluptatis ad colendum terram, ex qua sumptus erat.* Atque ita in cibis aliisque rebus
v.18. quàmplurimis æquavit eum jumentis, sicut dicitur; *Et comedes her-*
Ps.49.13. *bam agri.* In quem sensum Scriptura alibi ait: *Homo in honore non pernoctavit, assimilatus est jumentis, quæ exscinduntur.* Benedictus sit Deus, cujus mens & sapientia est incomprehensibilis.

CAP. III.

Explicantur voces תְּמוּנָה Themunah *Similitudo, &* תַּבְנִית Tabhnith *Structura.*

OPINANTUR vulgò, duas istas voces *Themunah* & *Tabhnith* in Lingua Hebræa unum idemque significare. Verùm aliter res se habet.

תבנית Structura, quid significet. Nam תַּבְנִית *Tabhnith* nomen verbale est, à Radice בָּנָה *Banah* Ædificare, & significat *Structuram* ac *Dispositionem* alicujus rei, h.e. formam ejus in quadratura, rotunditate, triangulo, aliisve similibus
Exod.25.9. figuris. Sic dicitur, Tabhnith *Structuram vel Formam Tabernaculi*, Ve-
Ibid.v.40. tabhnith *& Formam omnium instrumentorum ejus.* Item, Betabhnitam, *Juxta structuram vel formam eorum, quæ tibi ostensa est in monte.* Item
Deut.4.17. Tabhnith *Formam ullius avis.* Item, Tabhnith *Formam manus.* Item,
Ezech.8.3. 1.Chron.28.11. Tabhnith *Structura porticus.* Omnia hæc designant Formam sive figuram externam, ideoque in Lingua Hebræa non attribuitur vox ista Formis illis, quæ Deo attribuuntur.

תְּמוּנָה

תְּמוּנָה *Themunah* verò nomen est, quod de tribus rebus dicitur. *Primò* enim dicitur de Forma alicujus rei, quæ sensibus percipitur, extra Intellectum, h.e. de forma externa, ut quando dicitur: *Et faciatis vobis sculptile*, themunah *figuram ullius simulachri*. Item, *Quia non animadvertistis ullam* themunah *similitudinem vel figuram*. *Secundò* dicitur de Forma Imaginaria, quæ existit in Imaginatione & phantasia hominis in ecstasin rapti. Hoc sensu in loco illo, *Inter cogitationes a visionibus nocturnis* &c. in fine illius dicitur; *Dum constitit, non agnovi aspectum ejus*, themunah *figurá oculis meis obversante*, h.e. *Dimjono* similitudine, imagine ejus oculis meis obversante. *Tertiò* dicitur de vera aliqua re, quæ Intellectu apprehenditur. Atque in hac tertia significatione dicitur vox hæc *Themunah* de Excelso, ut in illo; Utemunato *Et figuram vel similitudinem ejus aspiciet*. Sensus enim est, Et veritatem Dei apprehendet, h.e. naturam ejus.

[Margin: תמונה Themunah *de quibus dicatur, & quo sensu de Deo dicatur.* Deut.4.16. Ibid.v.15. Jobi 4.13.16. Num.12.8.]

CAP. IV.

In quo explicantur tria Verba Videndi, רָאָה, חָזָה, הִבִּיט, Raah, Chasah, Hibbit.

SCIRE licet, tria ista Verba, *Raah, Chasah, Hibbit*, dici quidem de Visione oculi: verùm transferuntur quoque ad Apprehensionem Intellectus.

[Margin: *Quo sensu Verba* Videndi *Deo attribuantur.*]

De Verbo *Raah* vulgò notum est, ut, Vaijar *Cùm circumspiceret, ecce puteum in quodam agro*, intelligitur de Visione oculi. Cùm verò dicitur, *Et cor meum* raah *vidit multitudinem sapientiæ & scientiæ*, intelligitur de Apprehensione Intellectus. Hoc sensu semper usurpatur verbum hoc *Raah*, quando de Deo Opt. Max. dicitur: ut; Raithi *Vidi Dominum*: Vajera *Et visus est ipsi Dominus*. Item, Vajar *Et vidit Dominus quòd bonum esset*. Item, Hareni *Videre fac me quæso gloriam tuam*. Item, Vajiru *Et viderunt Deum Israëlis*, Omnia ista intelligenda sunt de Apprehensione Intellectus: nullo modo verò de Visione corporali. Nam oculi apprehēdunt tantùm corpus, & quidem non nisi secundùm quædam ejus accidentia, pulchritudinem, quantitatem, proportionem & alia similia. Sic etiam Deus non apprehendit per instrumentum aliquod corporeum, prout alibi declarabitur.

[Margin: *Verbum* ראה Videre. Gen.29.2. Eccl.1.16. 2.Chron.18.18. Gen.26.2. Gen.1. Exod.33.18. Exod.24.10.]

Verbum *Hibbit* quod attinet, sumitur & illud primò de Intuitione oculi in rem aliquam: ut; *Ne tabbit respicias post te*. Item, Vattabbet *Respexit autem uxor ejus retro eum*. Item, Venibbat *Et aspiciet in terram*.

[Margin: *Verbum* הביט Aspicere. Gen.19.17. Ibid.v.26. Jesa.5.30.]

Deinde

Deinde accommodatur etiam ad Intuitionem vel Visum Intellectus, & Intentionem illius ad assequendam rem aliquam. Hoc sensu usurpatur, quando dicitur; Lo hibbit *Non aspexit iniquitatem in Jacob:* iniquitas enim oculis corporis cerni nequit. Sic etiam dicitur, Vehibbitu *Et respexerunt post Mosen.* Etenim hîc quoque eundem habere sensum docuerunt Magistri nostri p.m. nihilque aliud indicari, quàm quòd diligenter excusserint & consideràrint dicta & facta Mosis. Hoc item sensu accipiendum est illud, Habbet na *Respice nunc cœlum.* Nam in Visione Prophetica factum hoc est. Atque juxta hanc significationem sumitur semper verbum חָבִיט, quando occurrit de Deo benedicto: ut, Mehabbit *Respicere in Deum.* Item, *Et similitudinem Domini* jabbit *respiciet.* Item, Vehabbit *Et aspicere pravitatem non potes.*

Num.23.21. Exod.33.8. Gen.15.5. Exod.3.6. Num.12.8. Habac.1.13.

Verbum חזה *Videre.* Verbum denique *Chasah* similiter usurpatur tùm de Visione Oculi: ut, Vattachas *Et aspiciet in Tzijon oculus noster:* tùm de Apprehensione intellectus: ut, *Quod* chasa *vidit super Jehuda & Hierusalem.* Item, *Fuit verbum Domini ad Abraham* bammachaseh *in visione.* Et in hac significatione dictum est, Vajechesu *Et viderunt Deum*, quod animadvertendum.

Mich.4.11. Jesa.2.1. Genes.15.1. Exod.24.11.

CAP. V.

Non esse ad contemplationem rerum divinarum accedendum sine praeunte cognitione & intelligentiâ aliarum scientiarum, & sine emendatione vitæ.

Vide lib.2.de Cœl.cap.12.

QUùM incœpisset Princeps Philosophorum *(Aristoteles)* indagare, & demonstrationes exstruere in rebus profundis admodum, pro sui excusatione in hunc sensum scripsit; Lectorem librorum ipsius non audaciæ vel temeritati ejus id adscribere debere, multò minùs ambitioni & arrogantiæ, ac si rem aggrederetur talem, cujus nulla haberi possit cognitio: quin potiùs convenire, ut id imputet fervori & studio, disciplinas certas ac solidas constituendi, quantum quidem in hac rerum humanarum infirmitate fieri potest. Idem & nos hîc dictum volumus. Non enim oportet hominem in hanc gravem & nobilem materiam præcipitanter irruere in initio cogitationis suæ, priusquàm probè se in aliis scientiis & artibus exercuerit, mores suos benè emundârit, suosque affectus & concupiscentias

Quomodo studium hoc Divinum sit inchoandum.

piſcentias imaginarias mortificârit. Poſtquam autem Principia vera & realia intellexerit ac cognoverit, modos etiam ratiocinationum ſive Syllogiſmorum & Demonſtrationum, rationem item, quâ ſibi cavere poſsit à ſeductionibus & fallaciis intellectus; tùm ritè incipere poterit has quoq; res perſcrutari. At verò non arripiet ſtatim primum quodvis, quod ſe obtulerit, & quod in mentem ipſi venerit: neque liberè nimis & ſecurè vagari ſinet cogitationes ſuas ab initio in Apprehenſione Creatoris: ſed verecundè & lentè hîc procedet, donec ſingula benè conſiderârit & expenderit. Hac de cauſa ſcriptum eſt de Moſe; *Et abſcondit faciem ſuam: timebat enim* Exod.3.6. *aſpicere in Deum.* Nam cum hoc ipſo, quod commemoratur, viſum illud ita perterrefeciſſe ipſum, ut non auſus fuerit reſpicere ad Lucem illam creatam & viſibilem; ſimul quoque docetur, quòd oculi ejus Deum Opt. Max. omnis imperfectionis expertem apprehenderint, quæ res ſanè in maximam ipſius cedit laudem, & quòd Deus ex bonitate ſua effuderit ſuper ipſum, quantum capere poterat, ſicut dicitur; *Et ſimilitudinem* DOMINI *aſpiciet.* Unde Sapientes noſtri Num.12.8. etiam dixerunt, hanc fuiſſe Retributionem ipſius, quòd faciem ſuam abſconderit, ne videret Deum. Econtrà Optimates Iſraëlitarũ, quia illotis manibus in hoc negotium irruperunt, & cogitationibus ſuis propriis locum dederunt, apprehenderunt quidem, ſed apprehenſione imperfectâ. Hinc dicitur de ipſis, *Et viderunt Deum Iſraël & ſub* Exod.24.10. *pedibus ejus &c.* non verò ſolùm, *Et viderunt Deum Iſraëlis:* ſic enim generaliter vel ſimpliciter declarâſſet, quòd aliquid viderint, non verò modum & rationem, quâ viderint. At verò ſpecialiter & accuratè explicat menſuram apprehenſionis ipſorum, quòd nempe corporeitatis tantùm (h.e. *rerum corporearum, operum Dei)* illa fuerit, quæ juſtiſsima fuit pœna temeritatis ipſorum, quòd huc proruperint, antequam perfecti fuerunt. Unde etiam commeriti fuiſſent ut conſumerentur: ſed interceſsit pro ipſis Moſes, donec poſtea conſumpti fuerunt in Tabera. Nadabh autem & Abihu conſumpti Num.11.3. ſunt in tentorio conventus, ſecundùm veram, quæ ad nos hac de re pervenit, traditionem. Quòd ſi ergo hoc fuit judicium illorum, quantò majus erit noſtrum, qui ipſis ſumus longè inferiores, & eorum, qui nobis adhuc ſunt inferiores? Quocirca neceſſarium eſt, ut unusquisque noſtrûm gnaviter deſudet in acquirendis fundamentis ad hanc rem requiſitis, & ad intelligenda principia illa, quæ Apprehenſionem noſtram ab omni pollutione, h. e. ſeductione & deceptione purgant, & tùm demùm ad caſtra hæc ſancta & divina con-

Exod.19.22. templanda accedat, ficut dicitur; *Quin & Sacerdotes, qui accedunt ad Dominum, sanctificent se-se, ne fortè dißipet eos Dominus.* Salomon quoq; mortalium omnium sapientissimus, sollicitè nos admonuit, ut cauti admodùm simus quando ad gradum istum pervenire conamur,
Ecclef.4.17. dum ait, *Custodi pedem tuum, quando ibis ad domum Dei.* Verùm redeo nunc ad absolvendum id, quod aggressi sumus explicare, ac dico, quòd Optimates filiorũ Israëlis, inter alias remoras & offendicula, quæ in Apprehensione ipsorum eis contigerunt, confusionem quoque senserint ex actionibus & voluptatibus suis corporalibus. Pro-
Exod.24.11. pterea enim dicitur; *Et viderunt Deum, & comederunt ac biberunt.* Verùm finis illius sermonis, quando dicitur, *Et sub pedibus ejus erat, velut*
inf.p.3.c.4. & p.1.c.28. *opus lapidis sapphirini* &c. in aliis hujus libri capitibus explicabitur. Intentio nostra tota, quam hîc intendimus, est, quòd verba hæc *Videndi, Raah, Chasah, Hibbit*, quando in hoc argumẽto occurrunt, intelligenda sint de Apprehensione Intellectus, non de Visione oculi. Non enim fert essentia Dei, ut oculi corporis eam apprehendant. Quòd si verò quis sit, qui ex ingenii tarditate & tenuitate non possit pertingere ad gradum istum, ad quem illum evehere conamur, & statuat omnes istas voces de Apprehensione sensibili loqui, ut de Luce aliqua creata *(h.e. de Apparitione visibili Majestatis divinæ)*, vel de Angelis, nullum inest periculum.

CAP. VI.

In quo explicantur איש Vir, & אשה *Isscha* Fœmina: *item* אח *Ach* Frater, & אחות Achoth *Soror.*

איש & אשה *explicantur.* DUo ista nomina *Isch* & *Ischah*, attribuuntur *primò* mari & fœminæ inter homines: *deinde* accommodantur etiam omni
Genef.7.2. masculo & fœmellæ ex cæteris speciebus animantium: ut; *Ex omni jumento mundo accipies tibi septena* Isch veischto *virum & mulierem ejus*, h.e. masculum & fœmellam ejus. Præterea accommodatur etiam *Ischah* ad quamvis rem, quæ apta & idonea est, ut cum alia conjun-
Exod.26.3. gatur: ut; *Quinq; cortinæ erunt conjunctæ*, Ischah el achotah, h.e. *altera cum altera.* Unde etiam manifestum tibi fit, duas istas voces *Ach* frater & *Achoth* soror, similiter æquivocè dici, eo modo quo *Isch* & *Ischah.*

CAP.

CAP. VII.
In quo explicatur verbum ילד Nasci, Párere.

QUID per hanc vocem *Jalad* intelligatur, notum est, Partus scilicet, Vejaledu *Et pepererint ei filios.* Deinde verò transfertur etiam ad *Existentiam* vel *Creationem* rerum naturalium: ut, *Antequam montes* julledu *nascerentur*, h. e. producerentur, vel existerent. Insuper refertur ad res ex terra germinantes, quæ germinare facit omnia, perinde ac si ea pareret, sicut dicitur, Veholidah vehizmichah *Et parere facit eam, ac germinare facit eam.* Præterea accommodatur ad novitates, h. e. eventus temporis, quasi illi essent res quæ nascuntur; ut, *Quia nescis quid* teled *paritura sit dies.* Porrò etiam ad cogitationes, & sententias ac opiniones ex illis ortas & natas, accommodatur, sicut dicitur; Vejalad *Et pariet mendacium.* Ex quo sensu est & illud, Ubejalde *Et in natis alienigenarum acquiescunt*, h.e. in sententiis, scientiis, opinionibus illorum, in quam sententiam Jonathan Uzielis Filius transtulit, *Et in legibus gentium incedunt.* Atque hoc sensu is, qui alium docet rem aliquam, vel qui sententiam quandam alicui communicat, habetur ac si genuisset ipsum, quatenus nempe author est illius sententiæ & opinionis. Hinc dicti sunt Discipuli Prophetarũ, Bene *Filii Prophetarum*, sicut explicabo in Homonymia vocis *Ben* Filius. Hoc sensu quoq; dictum est de Adamo; *Vixit autem Adam triginta & centũ annos*, Vajoled *& genuit in imagine sua, in similitudine sua.* Quid sit *In imagine sua, In similitudine sua*, suprà tibi explicatũ est. Reliqui enim omnes filii *(Adami)* qui præcesserunt ipsum (Seth sc. *de quo sermo est in citato versu*) non habuerunt Formam humanam veram *(propriè sic dictam)*, Formam nempe & imaginem illam hominis, de qua dictum est, *In imagine Dei & similitudine ejus.* Verùm Seth, postquam erudivit & instituit ipsum (Adamus,) perfectus extitit perfectione humanâ, sicut de eo dicitur, *Et genuit in imagine sua, in similitudine sua.* Unde colligere potes, illum, qui istâ formâ caret, non esse hominem, sed bestiam sub specie & forma humana: nisi quòd peculiarem habeat potentiam in omnibus speciebus malorum & damnorum, quam reliqua non habent animantia, *(h.e. quòd magis & graviùs possit lædere quàm illa).* Nam quando Intellectus & ratio, quæ illi ad perfectionem assequendam data sunt, illam non assequuntur, tum abutitur iis ad omnis generis perniciosa consilia, &

Verbum ילד Párere.
Deut.21.15.
Psal.90.2.
Jesa.55.10.
Prov.27.1.
Psal.7.15.
Jesa.2.6.
Discipuli Prophetarum cur Prophetarũ Filii dicantur.
Genes.5.3.
cap.1.
Homo Intellectu carens, non est Homo.

ita gignit damna, ac si simile quid tantùm esset homini, eumque aliquo modo exprimeret ac referret. Tales fuerunt filii Adami ante Seth; unde in Medrasch dicitur: Per integros 130. annos Adamus meros spiritus, h. e. Dæmones genuit: quando verò placuit Deo, Genes.5.3. tum in similitudine & imagine sua genuit, sicut dicitur; *Vixit autem Adam triginta & centum annos, genuitq; ad similitudinem suam, ad imaginem suam.*

CAP. IIX.

Explicatur vox מָקוֹם Makom, *Locus.*

מקום Locus, *quid significet, & quo sensu de Deo usurpetur.*

Similis Phrasis est illa Pauli, 1.Cor.14. v.16. ὁ ἀναπληρῶν τὸν τόπον τοῦ ἰδιώτου,

PRINCIPALIS ac primaria vocis hujus significatio est de *Loco* tam *Proprio*, quàm *Communi*. Verùm postea latiùs eam extendit Lingua hæc, ad denotandam *Dignitatem* & *Aestimationem hominis*, h. e. ad perfectionem ipsius in certa quapiam re. Dicimus enim, N. est in tali loco in hac vel illa re. Sic nosti sæpiùs usurpare peritos Linguæ hujus, ut quando dicunt v. g. Implet locum patrum suorum in sapientia & timore Domini: vel quando ajunt, Controversia permanet in loco suo, h. e. in gradu suo. Hoc sensu dictum est; Ezech.3.12. *Benedicta gloria Domini* mimmekomo *ex loco ejus*, h. e. propter excellentiam & præstantiā portionis ipsius in creaturis. Sic quotiescunq; vox מָקוֹם *Makom* dicitur de Deo, reverà intelligitur Gradus Essentiæ ipsius immensæ & incomparabilis, quemadmodum postea demonstrabimus.

Sciendum autem, quòd in explicanda Homonymia vocum in hoc libro, intentio nostra non sit explicare omnes vocum illarum notiones, ad instar Grammaticorum vel Lexicographorum: sed portam quasi aperire, & admonere te de significatis instituto nostro inservientibus, ut cum intelligentia in scriptis Prophetarum & aliorum Sapientum versari, & vocabula illa, quibus utuntur, rectè intelligere, atque adeò, ut unumquodque vocabulum Homonymum & æquivocum convenienter possis capere, juxta sensum ipsius genuinum, qui unicuique loco vel libro quadrat. In quam rem clavis loco est liber iste. Exemplum est hæc ipsa vox *Makom*, quam tibi explicuimus, ut scires, quando dicitur, *Benedicta gloria Domini ex loco ejus*, per *Locum* Makom, intelligi essentiam ipsius (Dei). Pari modo Exod.33.21. cùm dicitur, *Ecce locus mecum*, intelligitur Gradus speculativus & contemplatio Intellectus, non verò oculi corporis, qui tùm directus fuit in locum, qui monstrabatur ipsi in monte, in quo fuit Gloria & apprehensio perfectionis.

CAP.

CAP. IX.

In quo explicatur vox כִּסֵּא Kiſſe *Solium.*

QUID hæc vox principaliter ac primò in hac Lingua ſignificet, notum eſt, (*Solium* nempe *vel Thronum Regalem*). Quia verò in Solio ſedere ſolent Magnates & Potentes, ut Reges vel Principes, ideò docet nos hæc vox Kiſſe *Solium* de Magnificentia, Potentia & Dignitate ejus, cui attribuitur. Sic vocatur Sanctuarium Kiſſe *Solium*, ut ſc. indicetur Potentia ejus, qui in illo ſe revelavit, & qui ibi ſplendorem & gloriam ſuam collocavit, ſicuti dicitur; Kiſſe *Solium gloriæ, alti- .do à principio, locus Sanctuarii noſtri.* Eandem ob cauſſam vocantur Cœli Kiſſe *Solium*, quòd eum, qui illos contemplatur & conſiderat, doceant de Potentia Creatoris ac Motoris illorum, & Gubernatoris Mundi iſtius inferioris, dum largiter ex illis dona ſua effundit; ut, *Sic dicit Dominus, Cœlum* Kiſsi *ſolium meum eſt, & terra ſcabellum pedum meorum.* Vult dicere, Illi docent de eſſentia, fortitudine & potentia mea, veluti ſolium, quod Principi alicui præparatum eſt & competit. Atque hoc neceſſariò credendum eſt omnibus Veritatis ſtudioſis & ſectatoribus: non verò quaſi corpus aliquod eſſet, in quo feratur Deus Benedictus. Demonſtrabitur enim tibi, Deum non eſſe corpus vel corporeum, & per conſequens non habere locum, aut habitaculum pro corpore. Quare intelligenda ſunt iſta, prout modò explicuimus. Omnis enim locus, quem Deus ad manifeſtationem ſplendoris & gloriæ ſuæ deſtinavit, vocatur Kiſſe *Solium.* Multò latiùs verò extenditur & uſurpatur in illo, *Quia manus ſuper* Kes-jah *ſolium Domini* (vel *Dominum*). Intelligitur enim ipſa Dei potentia, vel robur & magnificentia, quæ non exiſtimanda ſunt eſſe aliquid extra ipſius eſſentiam, vel creatum quippiam, ita ut Deus ſit nonnunquam ſine ſolio, quandoque verò cum ſolio. Hæreſis enim eſt hæc ſine dubio. Explicavit hoc nobis Jeremias, dum ait, *Tu Domine in ſæculum permanebis*, Kiſſacha *ſolium tuum in generationem & generationem.* Docet enim nos, quòd (*Solium* ſc.) ſit res à Deo inſeparabilis. Quare hîc & in omnibus aliis locis ſimilibus vox *Kiſſe* ſignificat Magnificentiam & Potentiam ipſius, quæ non ſunt aliquid extra ipſius eſſentiam, ſicut in aliis hujus Libri capitibus declarabitur.

[Margin notes:] כסא Soliũ *quid ſignificet, & quomodo Deo attribuatur.* — *Sanctuarium cur vocetur Soliũ.* — Jerem.17.12. — *Cœli cur vocentur Solium, Thronus.* — Jeſa.66.1. — Exod.17.16. — Thren.5.19.

CAP. X.

In quo explicantur voces ירד Jarad *Descendere* & עלה Alah *Ascendere.*

IAM præfati sumus, cùm vocem aliquam æquivocam & homonymam (*quæ Deo sc. attribuitur*) explicandam suscipimus in hoc Libro, institutum nostrum minimè esse, omnes illius significationes commemorare: (nō enim occupatus est hic Liber in Lingua explicanda) sed eas tantùm, quæ necessariæ nobis videbuntur ad Propositi nostri rationem, & nihil præterea. Ex illarum igitur numero sunt duo quoque ista verba *Jarad* & *Alah*, quorum sensus & significatio est notissima.

ירד Descendere, & עלה Ascendere, *quid significent, & quo sensu Deo attribuantur.*

Quando enim transfertur vel movetur corpus de loco (*superiore*) in locū inferiorem, dicitur Jarad *Descendere*: quando verò transfertur è loco inferiore in altiorem & superiorem, dicitur Alah *Ascendere*.

Deinde Metaphoricè transferuntur voces istæ ad *Magnificentiam & Potentiam*. Hinc quando deprimitur vel diminuitur Dignitas alicujus, dicitur Jarad *Descendit*: quando verò extollitur & exaltatur,

Deut. 28.43. dicitur Alah *Ascendit*. *Sic dicit Deus, Peregrinus qui est in medio tui,*

Ibid. v. 1. jaaleh *ascendet super te supernè, & tu descendes.* Item: *Et constituet te Dominus Deus tuus* eljon (*quod est ab* Alah) *superiorem omnibus gentibus*

1. Chron. 29.25. *terræ*. Sic, *Et magnificavit Deus Salomonem* lemaaleh *summè, excellenter.* Sic nosti sæpè usurpare Rabbinos nostros, ut in illo, *Ascendere faciunt in sanctitate, & non faciunt descendere.*

Præterea usurpantur etiam de *speculatione animi*. Quando enim quis cogitationes suas convertit ad rem vilem & abjectam, dicitur Jarad *Descendere*: quando autem ad res sublimes & præstantes cogitationes suas convertit, dicitur Alah *Ascendere*.

Insuper, quandoquidem genus humanum in infimo loco, infimoque gradu constitutum est respectu Dei: ipse autem Deus in supremo gradu, non quidem ratione loci, sed ratione Essentiæ, Majestatis, & Potentiæ, ideò quando ipsi placet sapientiam largiri alicui, vel Prophetiæ donum super quosdam ex nobis effundere, vocatur Mansio Prophetiæ super aliquo, vel Habitatio Majestatis & Pręsentię Divinę in loco aliquo, *Descensio*: & è contrario, *Ablatio* Prophetiæ ab homine, aut *Recessio* Majestatis Divinæ è loco quopiam, *Ascensio*. Ita ferè semper accipiendæ & intelligendæ sunt hæ voces *Jarad* & *Alah*, quando attribuuntur Deo Opt. Maximo.

Ad-

Ad hæc, quando plaga super gentem aliquam vel clima aliquod terræ descensura est juxta voluntatem Dei antè jam per Prophetas denunciatam, qui dixerunt, Deum visitaturum opera ipsorum, (nisi resipiscant): &, quando postea eam Deus infligit, dicitur *Descendere*. Nam nisi antè significaret se hoc facturum, & ita ipsis voluntatem suam notam faceret, nimis indigni & abjecti essent homines, quàm ut opera ipsorum visitaret & puniret. Hoc nobis in libris Prophetarum ipsorum declaratur, quando dicitur; *Quid est homo, quòd recorderis ejus, & filius hominis, quòd visites eum?* Hic enim sensus in verbis istis innuitur. Atque hinc appellatur ista res Jeridah *Descensio*: ut, *Age*, Neredah *descendamus & confundamus ibi labia eorum*. Item, Vajered *Et descendit Dominus, ut videret*. Item, Eredah *Descendam nunc & videbo*. Omnia hæc significant Pœnam hominum. Psal.8.5. Gen.11.7. Ibid.15.5. Gen.18.21.

Verùm significatio quoque prior, de Prophetia sc. & Gloria, non est infrequens; ut, Vejaradti *Et descendam & loquar tecum ibi*. Item, Vajered *Descenderat autem Dominus super montem Sinai*. Item, Vejered *Et descendet Dominus in oculis totius populi super montem Sinai*. Item, Vajaal *Et ascendit ab ipso Deus*, h.e. *Et ascendit Dominus de Abrahamo*. Sed illud, quod dicitur, *Et Moses* alah *ascendit ad Deum*, est ex significatione tertia, (Ascensionis nempe Intellectus, & speculationis) conjunctum cum eo, quòd etiam ascendit in cacumen montis, super quem descendit Lux vel gloria creata, (h.e. *tùm de ascensu Mosis corporali in montem, in quo visibilis erat Majestas divina, tùm de Ascensione Intellectus ipsius intelligendum est*); nequaquam autem, ac si Deus Benedictus ipse haberet talem locum, in quem quis possit ascendere, vel è quo possit Ipse descendere, sicut fatui & imperiti existimant. Num 11.17. Exod.19.20. Ibid.v.11. Gen.35.13. Exod.19.3.

CAP. XI.

In quo explicatur vox יָשַׁב Jaschabh *Sedere*.

PRIMÒ omnium vox hæc in Lingua nostra usurpatur *de Sessione hominis* in certo aliquo loco: ut, *Eli autem Sacerdos* Joschebh *sedebat super Solium*. Et quia homo, qui sedet, in perfectissima, quam habere potest, quiete est & tranquillitate, ideò accommodatur vox ista ad quamvis rem, quæ tranquilla, quieta permanet, & non mutatur. Hinc, quando Israëli promittitur, quòd in summo gradu firmi, quieti & stabiles permansuri sint, dicitur, *Et exaltabitur*, Vejaschebhah *& sedebit vel permanebit in loco suo*. Sic etiam dicitur, Moschibhi, *Qui* ישב Sedere *quid significet.* 1.Sam.1.9. Zach.14.11. Psal.113.9.

Qui facit sedere sterilem in familia,ut sit mater liberorum lætans. Sensus est,qui stare & permanere facit eam. Et hoc posteriore sensu dicitur de Deo;ut,*Tu Domine in sæculum* teschebh *sedes*. Item,Hajoschebhi *Qui sedet in cœlis*. Item,Joschebh *Sedens in cœlis*, h. e. qui in æternum permanet, qui nullo planè modo mutatur. Non mutatione Substantiæ,quia præter eam nihil habet,in quod possit mutari. Neque etiam mutatur Attributio ipsius (*i.e.quoad attributa*): quia nulla est proportio inter Ipsum & inter alia omnia extra Ipsum,in quæ possit mutari attributio illa,sicut alibi explicabitur. Ideoque quia omnis omninò mutationis est expers,est perfectissimus,sicut ipsemet expressè testatur: *Ego Dominus non mutor.* Non enim est in eo ullius rei mutatio. Atque hoc sensu usurpatur verbum *Jaschabb*,quando sermo est de Deo Benedicto.

Quo sensu de Deo dicatur.
Psal.102.13.
Psal.123.1.
Psal.2.4.
part.1.c.56.
Malach.3.6.

Attribuitur non paucis in locis etiam Cœlis, quòd illi quoque mutationi & alterationi non sint obnoxii, h. e. quòd individua & singularia ipsorum non mutentur,quemadmodum mutantur individua Terræ,quæ generationi & corruptioni sunt obnoxia.

Quo sensu Verbum Jaschabh, *h.e.* Sedere, *de Cœlis dicatur.*

Sic,quando attribùitur Deus Benedictus (quæ attributio est æquivoca) speciebus Entium generationi & corruptioni subjectorũ, dicitur quoque *Sedere*; quia species illæ non intereunt,sed semper permanent,ut singularia cœlorum. Ita dicitur, *Qui sedet in circulo terræ*, h.e. qui perpetuò conservat super globo terræ, i.e. super concavitate ejus,res generationi subjectas,quæ continentur in illa concavitate. Sic dicitur, *Dominus ad confusionem, vel in confusione sedet*, Jaschabh. Sensus est; quamvis res terrestres mutentur & corrumpantur,tamen apud Deum nulla est mutatio; quia attributio illa, quâ Deus attribuitur rebus illis quæ generantur & corrumpuntur, attributio est firma & stabilis,relata ad species,non ad individua.

Jesa.40.22.
Psal.29.10.

Considera hæc & deprehendes Verbum *Jaschabh* semper ita usurpari,quando dicitur de Deo Benedicto.

CAP. XII.

In quo explicatur verbum קום Kum *Stare,Surgere.*

קום Stare, Surgere, *quid significet, & quo sensu de Deo dicatur.*
Esth.5.9.

KUM Vocabulum est æquivocum, cujus *una* significatio est *Stare, Surgere*, contrarium nempe τῶ Jaschabh *Sedere*: ut, *Et non* Kam *surrexit,nec movit se propter ipsum.*

Præterea,

Præterea, ſignificat etiam Firmitatem & Veritatem, h. e. veram exiſtentiam rei alicujus: ut, Vajakem *Et ſtabilivit Dominus verbum* 1.Reg.8.20.
ſuum. Item, Vajakom *Et ſtetit, confirmatus eſt ager Ephron.* Item, Vekam Geneſ.23.17.
Et ſtabit (permanebit) domus, quæ in civitate erit. Item, Vekam *Et ſtabit* Levit.25.30.
in manu tua Regnum Iſraëlis. Hoc ſenſu ſemper ſumitur verbum *Kum*, 1.Sam.24.20.
quando occurrit de Deo Opt. Max.: ut, *Nunc* akum *ſurgam, dic.* ·mi- Pſal.12.6.
nus, h.e. nunc confirmabo, ſtabiliam verbum meum, & promiſsiones, ac comminationes meas (*de verbo ad verbum*, promiſsiones meas in bonum & in malum). Sic, *Tu* Takum *ſurges, miſereberis Tzijonis*, h.e. Pſal.102.14.
præſtabis quod promiſiſti ei, Te ſc. illius miſerturum.

Porrò, quandoquidem is, qui concluſit & decrevit expedire vel facere rem aliquam, ad eam perficiendam per ſurrectionem ſe accing t, ideò de quovis, qui rem aliquam, quæcunque demum illa ſit, aggreditur, dicitur, quòd *Surgat*; ut, *Quòd ſurgere fecit* (ſuſcitavit) *filius* 1.Sam.22.8.
meus ſervum meum adversùm me. Atque hoc ſenſu accommodatur quoque ad Decretum Dei de perdenda gente aliqua, quæ pœnam eſt comerita; ut, Vekamti *Et ſurgam contra domum Jeroboami.* Item, *Et* Amos 7.9.
ſurget contra domum malignorum. Ac fieri poteſt, ut & hæc (ſuprà cita- Jeſa.30.2.
ta loca) ita ſint capienda, *Surgam nunc.* Item, *Surges, miſereberis Tzijo-* Pſal.12.6.
nis, q.d. Surges contra inimicos ejus. Pſal.102.14.

Et hoc ſenſu quàm plurima occurrunt loca: non verò, ac ſi Deus reverà ſtaret aut ſederet. Abſit. Hinc dicunt Rabbini noſtri, beatæ memoriæ: *Suprà* (in cœlo) *neq; eſt* Jeſchibhah *ſeſſio, neq;* Amidah *ſtatio.* Verbum enim Amad *Stetit* ſæpiſsimè adhibetur pro *Kam.*

CAP. XIII.

In quo explicatur verbum עמד Amad *Stetit.*

VERBUM *Amad* æquivocum eſt, ſignificans *primò* ipſum *Sta-* *Verbum* עמד
re hominis: ut, Beomdo *Cùm ſtaret coram Pharaone.* Item, *Si* Stetit.
jaamod *ſtaret Moſes & Samuel.* Item, *Et ipſe* omed *ſtabat juxta eos.* Geneſ.41.46. Jerem.15.1.
Deinde uſurpatur etiam pro Ceſſatione alicujus rei; ut, Veamedu Gen.18.8.
Et ſteterunt, & non reſponderunt ultrà. Item, Vattaamod *Et ſtetit, ſubſti-* Jobi 32.16.
tit à pariendo. Gen.29.35.

Præterea notat Stabilitatem & Permanſionem, ſeu Durationem: ut, Vejaamdu *Ut ſtent diebus multis.* Item, *Poteris* amod *ſtare.* Item, Jerem.32.14. Exod.18.23.
Amad *Stetit ſapor ejus in eo*, h.e. remanſit, permanſit, nec mutatus eſt. Jerem.48.11.

Psal.111.3. Item, *Justitia ejus* omedet *stat in seculum*, h.e. stabilis est, permanet, durat.

Stare, quo sensu de Deo dicatur. Et hoc postremo sensu semper accipiendum verbum *Amad*, quando de Deo occurrit: ut, Veamedu *Et stabunt pedes ejus in monte olivarum*, h.e. stabilientur caussæ ejus, i.e. caussata, effecta ejus, prout hoc tibi expositurus sum, quando agam de Voce Regel *pes*. Isto quoque sensu dicit Deus ad Mosen, *Et tu hic* amod *sta mecum*. Item, *Ego* omed *stabam inter Dominum & vos eo tempore*.

Zach.14.4. inf.cap.28. Deut.5.31. Ibid.v.5.

Cap. XIV.
Explicatio vocis אָדָם Adam *Homo*.

Vocabulū אדם *Homo.* ADAM Vox est æquivoca, & *primò* quidem Nomen est proprium primi Hominis, ac, ut Scriptura docet, derivatum à nomine *Adamah* Terra.

Genes.6.3. Deinde Nomen est generale totius speciei: ut, *Non disceptabit spiritus meus* baadam *cum homine*. Item, *Quis scit spiritum filiorum* Adam *hominum?* Item, *Et præstantia* haadam *hominis præ bestiis nulla*.

Eccles.3.21. Ibid.v.19.

Tertiò specialiùs significat communem plebem & Multitudinem hominum, h.e. minorum gentium Deos, idiotas, non verò homines singulares è communi mortalium sorte quasi exemtos: ut, *Etiam filii* Adam *hominis, etiam filii viri*. Et in hoc tertio significato dictum est: *Et viderunt filii Dei filios* haadam *hominum*. Item, *Veruntamen* keadam *sicut homo moriemini*.

Psal.49.3. Genes.6.3. Psal.82.7.

Cap. XV.
Explicatur נִצַּב Nizzabh, *&* יָצַב Jazabh *Stare*.

נצב *&* יצב *explicantur.* NIZZABH *& Jazabh*, etiamsi diversæ sint radices, sensus eorum tamen unus idemq; est, prout ex universo eorum usu cognosces. Sunt autem æquivoca.

Primò enim nihil aliud significant quàm *Kum* Stare: ut, Vetetazzebh *Stetit autem soror ejus procul*. Item, Jitjazzebhu *Adstant Reges terræ*. Item, *Egressi sunt* nizzabhim *stantes*.

Exod.2.4. Psal.2.2. Num.16.27.

Deinde significant quoq; Stabilitatem, Firmitatem, & Perpetuitatem: ut, *Verbum tuum* nizzabh *stat in cælo*, h.e. stabile, firmum permanet. Sic usurpantur, quotiescunque occurrunt de Deo: ut, *Et ecce Domi-*

Psal.119.89. Gen.28.13.

Dominus nizzabh *stabat super illam*, h.e. firmus, stabilis permanet super illam, sc. scalam, cujus una extremitas est in cœlo, altera in terra, per quam ascendendum est cuivis, qui cupit ascendere, ut apprehendat eum, qui super illam stat: quandoquidem firmus perstat in vertice summo scalæ. Clarum enim est id, quod dico, Verba sc. ista, *Ecce Dominus stabat super illam*, juxta hãc parabolam vel metaphoram esse intelligenda, ex sequentibus: *Et Angeli Dei ascendebant.* Per hos enim nihil aliud intelliguntur quàm Prophetæ, sicut de illis expressè dicitur; *Et misit Angelum.* Item, *Et ascendit Angelus Domini de Galgal ad Bochim.* Quàm appositum verò est, quod dicit, *Ascendebant* & *descendebant*, ascensionem descensioni præponendo! Nam post Ascensionem & assequutionem graduum cognitionis (*rerum* sc. *Divinarum*) in illa scala, fit Descensio ad res civiles, quâ ratione homines gubernari & doceri debeanr, quod Descensionis nomine indigitari, *cap. 10.* suprà docuimus. Sed revertor ad institutum nostrum, quòd sc. *Stabat supra illam*, nihil aliud significet, quàm stabilis, firmus est; non verò stationem aliquam corporalem. Ex hoc sensu est quoque illud, Venizzabhta *Et stabis super petram.* Atque hîc observa, *Nizzabh* & *Amad* idem denotare. Nam eodem pacto alibi legitur; *Ecce ego* omed *stabo coram te super petram in Horeb.*

Prophetæ vocantur Angeli.
Num. 20. 16.
Judic. 2. 1.
Exod. 33. 21.
Exod. 17. 6.

CAP. XVI.

Explicatio vocis צור Tzur *Petra, Rupes.*

NOMEN *Tzur* æquivocum est, ac primò quidem est Nomen *Montis*: ut, Vehikkita bazzur *Et percuties* Tzur.

Deinde quoque nomen est duri cujusdam *Lapidis*: ut, *Cultros* tzurim *lapidum* sive *lapideos.*

Tertiò *Originem, Scaturiginem* seu *Venam* significat, unde lapides exscinduntur; ut, *Aspicite* ad *zur* venam, *unde excisi estis.* Hinc transfertur ad cujuslibet rei originem & principium: ideò postquam Propheta dixit, *Respicite* ad *zur*, subjungit, *Aspicite ad Abrahamum patrem vestrum &c.* Quasi dixisset; Quandoquidem scaturigo seu vena illa, è qua excisi estis, est Abraham pater vester, idcircò in ejusdem viis incedite, ipsius mores & virtutes imitemini, vestigiis ipsius insistite. Decet enim, ut natura ipsius venæ & scaturiginis existat in re, quæ inde est excisa. Atque secundùm hunc sensum vocatur Deus Benedictus *Tzur*; quia est principium & caussa efficiens omnium

צור Rupes, Petra.
Exod. 17. 6.
Jos. 5. 2.
Jesa. 51. 1.
Cur Deus vocetur Deus צור *Rupes.*

Deut.32.4. rerum extra ipſum; ut, Hazzur *Scaturiginis* (Dei) *opus eſt perfectum.*
Ibid.v.18. Item, Hazzur *Scaturiginis* (Dei) *qui te genuit, oblitus es.* Item, Zuram
Ibid.v.30. *Scaturigo ipſorum* (Deus) *vendidit eos.* Item, *Non eſt* Zur *ſcaturigo ſicut*
1.Sam.2.2. *Deus noſter.* Item, Zur *Scaturigo ſeculorum eſt.* Item, *Et ſtabis ſuper* Zur
Jeſa.26.4.
Exod.33.21. *ſcaturiginem.* Subſiſte hic, & cõſidera probè hoc, quod dictum, Deum eſſe omnium rerum principium; nam hæc eſt porta, per quam ad ipſum (*Deum vel cognitionem ejus*) pervenitur, quemadmodum indicavimus in explicatione loci illius; *Ecce locus mecum.* *ſupr.cap.8.*

CAP. XVII.

Quare Prophetæ occultè & quaſi per ænigmata loquuti ſint tàm de Opere Bereſchith, quàm de Opere Merkavah, h.e. de ſapientia naturali & ſpirituali.

De rebus Divinis tectè eſt loquendum.

NOLI exiſtimare, Sapientiam Divinam ſolùm à Plebe & Multitudine hominum eſſe occultandam: nam idem quoque judicium eſt de Sapientia naturali, ſicut oſtendimus tibi in Præfatione hujus libri ex illo trito, *Et in opere Bereſchith ne in duobus quidem.*

Philoſophi & Gentiles occultè & ænigmaticè de ſuis principiis docuerunt.

Atque hoc non ſolùm fit apud noſtros Doctores Legis: ſed olim quoq; jam obſervatum eſt à Philoſophis & Sapientibus inter Gentes, qui occultârunt principia ſua, & per ænigmata de iis loquuti ſunt. Hinc Plato, & alii ante eum vocârunt *Materiam* Fœminam, & *Formam* Marem, ſeu Maſculum. Noſti enim, tria eſſe principia eorum quæ generātur & corrumpuntur, Materiam, Formam & Privationem, quæ perpetuò conjuncta eſt Materiæ: niſi enim Privatio Materiam ita comitaretur, non poſſet ipſa Formam recipere. Et hoc reſpectu Privatio quoque inter principia cenſetur. Quando autem forma accedit, tum privatio ceſſat; privatio, inquam, formæ illius, quæ acceſsit, & inducitur privatio alia, & ſic in infinitum, ſicut in Phyſicis explicatur.

Quòd ſi igitur hi in iſtiusmodi rebus, in quarum publicatione nullum eſt damnum aut periculum, metaphoricis verbis & ſimilitudinibus in docendo uſi ſunt: quantò magis decet, ne nos, qui Legis Dei Doctores ſumus, manifeſtemus ea, quæ pro vulgi intellectu nimis ſunt difficilia, & pro quibus aliud quid, immò planè contrarium ejus, quod volumus, ſibi poſsit imaginari.

Animadverte igitur & iſtud.


CAP.

Cap. XIIX.

In quo explicantur tria verba, קָרַב Karabh *Appropinquare,* נָגַשׁ Nagaſch *Accedere,* נָגַע Nagah *Tangere, Attingere.*

Verba קרב, נגש, נגע, *Accedere, Appropinquare, quid significent, & quomodo de Deo dicantur.*

TRIA iſta verba, *Karabh, Nagaſch, Nagah,* dicuntur primò de re
Propinqua vel Appropinquante, ratione loci: deinde de Con-
junctione Scientiæ & rei ſcibilis.
Quando igitur videtur corpus unum Appropinquare alteri, cùm
ad hoc exprimendum uſurpatur primò *Karabh*; ut, *Cùm* karabh *ap-
propinquâſſet ad caſtra.* Item, *Et Pharao* hikribh *appropinquare fecit ſc.* Exod.32.19.
caſtra. Deinde, *Nagah* itidem ſumitur de conjunctione corporis cum Exod.14.10.
alio corpore: ut, Vattaggah *Et tetigit pedes ejus.* Item, Vajaggah *Et te-* Exod.4.25.
tigit os meum. Denique, *Nagaſch* eodem modo de Motu locali uſur- Jerem.1.9.
patur, ut cùm vir ad alium virum accedit & movetur: ut, Vajiggaſch Geneſ.44.18.
Et acceſſit ad eum Jehudah.
Altera ſignificatio horum verborum eſt Conjunctio mentis, &
Contactus apprehenſionis Intellectus, non loci. In hac ſignifica-
tione ſumitur verbum *Nagah*, quando dicitur; *Quia* nagah *attigit ad* Jerem.51.9.
cœlum judicium ejus. Sic *Karabh*, ubi ſcriptum eſt, *Rem quæ gravior vobis* Deut.1.17.
eſt, ad me takribhun *appropinquare facietis*, h. e. mihi notam facietis
eam. Pariter quoque verbum *Nagaſch* ſic uſurpatum legitur: ut, Va-
jiggaſch *Et acceſſit Abraham & dixit.* Factum enim hoc eſt in viſione Gen.18.23.
Prophetiæ & ſomnio Prophetico, ſicut explicabitur alibi. Item,
Propterea quòd nagaſch *accedit populus iſte ore ſuo & labiis ſuis.* Sic acci- Jeſa.29.13.
pienda ſunt verba hæc *Karabh* & *Nagaſch*, quotieſcunque inveniun-
tur in libris Prophetarum de Deo & Creaturis ipſius, qualeſcunque
illæ ſint, *(ita ſc., ut vel hæ dicantur ad Deum accedere & appropinquare: vel
Ipſe ad illas).* Deus enim Benedictus non eſt corpus, (ut fusè in hoc
libro demonſtratur), neque accedit vel appropinquat ad rem ali-
quam: neque etiam res alia appropinquare poteſt ad Ipſum *(ſc. cor-
poraliter)*: quia ſublatâ corporeitate, tollitur quoque Locus vel Lo-
calitas, omnis item appropinquatio, elongatio, contactus, conjun-
ctio, ſeparatio, vicinitas &c. Nec opinor dubium eſſe tibi, quin iſta
loca, Karobh *Propinquus eſt Dominus omnibus invocantibus eum.* Item, Pſal.145.18.
Kirbhat *Appropinquationem Dei volunt.* Item, Kirbhat *Appropinquatio* Jeſa.58.2.
Dei mihi eſt bona: non, inquam, opinor dubium eſſe tibi, quin iſta loca Pſal.73.28.



omnia intelligantur de Appropinquatione mentis, h.e. de Apprehensione mentali, non autem locali. Sic dicitur etiam, Kerobhim *Propinqui sunt ipsi.* Item, Kerabh *Appropinqua tu & audi.* Item, Veniggasch *Et accedat Moses solus, ipsi autem non* jiggeschu *accedant.* Quòd si verò tibi placeat illud, quod de Mose dictum est, *Et accedat &c.* accipere de Appropinquatione locali ad montem, in quo commorabatur tùm Lux, sive Gloria Dei, liberum tibi est: modò hoc fundamentum teneas, quòd, sive homo sit in centro terræ, sive in summitate sphæræ nonæ (si fieri posset), quòd, inquam, neque illic longiùs distet à Deo; neque hîc propinquior ipsi sit: sed quòd Appropinquatio ad Deum consistat in Apprehensione ejus, Elongatio verò in eo, quòd ipsum quis ignoret, vel non intelligat. Et hujus Appropinquationis & Elongationis multi sunt gradus: unus invenitur in hoc, alius in alio gradu. Quæ autem Apprehensionis sit præstantia & præcellentia, quæque illius differentiæ, in alio hujus libri capite explicabitur. Illud verò, quod dicitur, Gah *Tange montes & fumigabunt*, Metaphoricum est, & nihil aliud sibi vult, quàm, Tangere fac eos, vel, Pertingere fac ad eos Verbum tuum, sicut etiam in Jobo dicitur, Gah *Tange ipsummet*, h.e. Adduc plagam tuam super ipsum.

Jos. 9.16. Deut. 5.27. Exod. 24.2. Psal. 144.5. Jobi 2.5.

Hoc ergo pacto verbum *Nagah* in hac Lingua, unoquoque in loco, prudenter secundùm sensum suum est discernendum. Quandoq; enim intenditur eo Tactus corporalis: quandoque Contractus & Conjunctio mentis, apprehensioque rei alicujus, perinde ac si is, qui apprehendit rem aliquam, quam antea non apprehenderat, ad eam accederet, & longè ab illa anteà abfuisset. Observa hoc ergo.

CAP. XIX.

In quo explicatur, quid sit מָלֵא Male *Plenum*.

מלא Plenus, *quid significet, & quomodo de Deo dicatur.* Gen. 24.16. Exod. 16.33. Ibid. v. 22. Gen. 25.24. Gen. 50.3.

MALE Vox est æquivoca, quæ usurpatur primò de *corpore*, quod in aliud corpus ingreditur, illudque implet: ut, Vattemalle *Et implevit hydriam suam.* Item, Melo *plenum Hhomer.* Item, *Hhomer pro singulis.* Et sic sæpissimé.

Deinde sumitur de *Complemento* & *Perfectione temporis* alicujus certi & definiti: ut, Vajimleu *Et completi sunt dies ejus, ut pareret.* Item, Vajimleu *Et completi sunt ei dies quadraginta.*

Tertiò significat *Rem*, quæ omnibus numeris perfecta est & absolu-

soluta: ut, Umale *Et plene benedictione Domini.* Item, Umille *Et implevit eos sapientiâ cordis.* Item, Vajimmale *Et impletus erat sapientiâ & intelligentiâ & scientiâ.* Atque ex hoc sensu est, Melo *Plena est tota terra gloriâ ejus.* Sensus enim est, Tota terra testatur de perfectione ejus & de ipso (ita ut gloria & laus ipsius perfecta sit in hac terra). Item, *Et gloria Domini* mille *replevit tabernaculum.* Sicque semper intelligendum *τὸ Male* Plenum, quando Deo attribuitur: non verò ac si Deus corpus haberet, quo locum aliquem impleat. Quòd si verò velis per Gloriam Domini, Lucem creatam *(h.e. visibile aliquod signum Majestatis Dei)* intelligere, quæ replevit tabernaculum, nihil erit absurdi.

Deut.33.23. Exod.35.35. 1.Reg.7.14. Jes.6.3. Exod.40.34.

CAP. XX.

In quo explicatur, quid sit רָם Ram *Altus, Excelsus fuit: &* נָשָׂא Nasa.

RAM Vox est æquivoca, significans *Altitudinem loci*, & *Altitudinem gradus*, h.e. dignitatis, honoris, gloriæ.

Explicātur duo verba רם *&* נשא, *& quomodo de Deo usurpentur.*

Ex priori significatione est quod dicitur: Vattarom *Et exaltata est arca à terra.* Gen.7.17.

Ex secunda significatione sunt: Harimoti *Exaltavi electum è populo.* Item, *Propterea quòd* harimoticha *exaltavi te è pulvere.* Item, *Propterea quòd* harimoticha *exaltavi te de medio populi.* Atque ad hanc significationem semper referenda vox hæc *Ram*, quando de Creatore occurrit: ut, Rumah *Exaltare supra cœlos Deus.* Psal.89.20. 1.Reg.16.2. 1.Reg.14.7. Psal.57.6.12.

Sic etiam Verbum *Nasah* similiter significat Altitudinem loci: & Altitudinem gradus, sive Præstantiam & Excellentiam.

Ex priori significatione est: Vajissu *Et exaltârunt, elevârunt frumentum suum super asinos suos.* Et sic in hac significatione Elevationis & Translationis de loco in locum multa reperiuntur. Gen.42.26.

Ex secunda significatione: Vetinnasse *Et exaltabitur regnum ejus.* Item, *Et portavit eos*, vajenassem *& exaltavit eos.* Item, *Quare* tithnasseu *effertis vos?* Sic semper capiendum verbum *Nasah*, quando Creatori attribuitur: ut, Hinnase *Exaltato te judex terræ.* Item, *Sic dicit excelsus* venissa *& altus*, sc. quoad altitudinem & magnificentiam gradus seu excellentiæ, non loci. Num.24.7. Jesa.63.9. Num.16.3. Psal.94.2. Jesa.57.15.

Verùm Objectionem fortè hîc quis mihi movebit ex eo, quod ajo, *Magnificentiam & Altitudinem gradus & excellentiæ*: dicendo, quomodo tam multas res attribuam rei uni & simplicissimæ (Deo)?

At

At hoc quod attinet, explicabitur tibi aliàs, quòd apud eos, qui Deum perfectè apprehendunt, non nominetur nominibus & attributis multis: & quòd illæ denominationes vel illa attributa omnia, quæ docent de ipsius Potentia, Magnificentia, Fortitudine, Perfectione, Bonitate &c. ad unam rem redeant & referantur, nempe ad ipsius Essentiam: non ad aliquid extra eam, *(h.e. quòd illa omnia nihil aliud sint quàm ipsa Dei essentia)*. De Nominibus autem sive Attributis Dei agemus in aliis capitibus. Propositum nobis tantùm fuit in hoc capite demonstrare, quòd duæ hæ voces *Ram* & *Nissa* non intelligenda sint de Altitudine loci: sed Excellentiæ & dignitatis, *(quando sc. Deo attribuuntur)*.

CAP. XXI.

In quo explicatur verbum עָבַר Abhar *Transire.*

Verbum עבר *Transire.* VERBUM hoc *Abhar* significat primò *Translationem corporis localem*, ac propriè quidem & principaliter Motum animantium secundùm longitudinem rectam & planam: ut, *Et ipse* abhar *transivit ante eos.* Item, Abhor *Transi ante populum hunc.*

Genes.33.3.

Exod.17.5.

Deinde accommodatur quoque ad *Tractum*, vel *Tractionem vocis* per

Exod.36.6. aërem: ut, Vajaabhiru *Et transire fecerunt vocem per castra.* Item, *Non*

1.Sam.2.24. *est bona fama, quam ego audio, quam* maabhirim *transire faciunt populus Domini.*

Tertiò dicitur de *Adventu splendoris & Majestatis divinæ visibilis*, quam

Gen.15.17. Prophetæ viderunt in visione Prophetica: ut, *Et ecce furnus fumans, & lampas ignea, qua* abhar *transibat inter divisiones ipsas.* Factum quippe hoc fuit in visione Prophetica, ut colligitur ex principio illius histo-

Ibid.v.12. riæ, ubi dicitur, *Et sopor irruit super Abraham.* Hoc quoque sensu di-

Exod.12.12. ctum est, Veabharti *Et transibo terram Aegypti.* Et sic alia his similia.

Quartò etiam transfertur ad eum, qui aliquid agit, & in eo mo-

Jerem.23.9. dum excedit, terminosque transgreditur: ut, *Sicut vir* abharo *qui transivit vinum (h.e. qui in eo bibendo modum excessit).*

Quintò dicitur etiam de eo, qui simulat se hanc intentionem habere, & studiò ab ea aberrat ad aliam, quam sibi proposuit: *(vel de eo, qui aliquem a sua intentione abducit, aberrare facit, ac attentum reddit ad aliud*

1.Sam.20.36. *quid:)* ut, *Ipse autem jaculabatur sagittas* lehaabhiro *ut transire faceret eum.* Secundùm hanc translationem dictum est meo judicio, Va-

Exod.34.6. jaabhor *Et transivit Dominus super faciem suam,* (vel, *Et transire fecit*

Deus

Deus [Mosen sc.] *super faciem suam)*: ita ut Affixum יו in פניו *Panav*, referatur ad Deum Benedictum. Hoc enim modo Rabbini quoque nostri p.m. scripserunt, *Panav* referri ad Deum Benedictum, ut videre est in *Haggadoth*. Verùm non est hîc locus illa adducendi: sufficit nobis, quòd inde sententiæ nostræ aliquo modo robur accedat. Explicatio igitur loci illius hæc erit, ut mihi videtur: Mosen p.m. petiisse à Deo Apprehensionem illam, quam appellat Deus Visionem faciei, cùm dicit; *Et facies mea non videbitur*: sed Deum, hac præteritâ, promisisse ipsi Apprehensionem aliam, quam cognominat Visionem posteriorum, dum ait, *Et videbis posteriora mea*. De hac ipsa re scripsimus quoque jam in Deuterosi nostra, *(h.e. in libro* Jad*)* & diximus, quòd Deus Opt. Max. absconderit à Mose Apprehensionem illam, quæ Visio faciei vocatur, & transire fecerit eum ad aliam, cognitionem sc. operum vel actionum sibi attributarum, quæ sunt illa Nomina sive Attributa Dei, *(tredecim illæ Dei proprietates, secundùm calculum Hebræorum, quas Deus in illo loco sibi adscribit)*. Quod autem dixi; *Quòd Deus absconderit ab ipso* Apprehensionem unam: id ita intelligi volo, quòd illa Apprehensio naturâ suâ sit impossibilis & imperceptibilis, & quòd omnis homo perfectus, cùm præter id, quod intellectus ejus naturâ suâ potest capere, aliud quid sublimius apprehendere satagit, in apprehensione sua confundatur, aut certè moriatur, (quemadmodum in alio capite hujus libri explicabimus), nisi speciale ipsi adfuerit Dei auxilium, sicut de Mose dicitur, *Et protegam te manu meâ, donec transiero, vel transire fecero (te sc. ab intentione quam habuisti, captum tuum longè superante)*. Targum in his loquutionibus more suo agit. Quicquid enim occurrit, quod Deo corporeitatem videtur adscribere & attribuere, illud per ellipsin correlativi explicat, & attribuit alii cuidam rei, quæ ad Deum refertur, & deficit: ut, *Et ecce Dominus stabat supra eam.* Targum explicat, *Gloria Domini stabat supra eam.* Item, *Speculetur Dominus inter me & te.* Targum transfert, *Speculetur verbum Domini.* Atque ita perpetuò solet facere Interpres ille p.m. Unde in præsenti quoque loco, ubi dicitur, *Et transivit Dominus super faciem suam*, ipse habet, *Et transire fecit Dominus Majestatem suam ante eum.* Juxta illum ergo, res illa, quæ transivit, erit sine dubio aliquid creatum, & Affixū Pronomen יו *av* in *Panav* referendum erit ad Mosen, ut *al panav* idem sit, quod *lephanav* ante eum, quemadmodum in illo, *Et transivit munus* lephanav *ante eum*. Et hæc expositio Onkeli elegans quoque est & bona, quam Scriptura Sacra ipsa confirmare videtur, dum dicit, *Erit autem quum pertransibit*

Exod.33.v.ult. | Ibid. | *part.1.c.38.* | *part.1.c.32.* | Exod.33.22. | *Quomodo Targum soleat corporeitatē à Deo removere.* | Genes.28.13. | Gen.31.49. | Gen.32.21. | Exod.33.22.

gloria mea. Declarat enim, rem illam, quæ transivit, fuisse aliquid Deo attributum, non ipsammet ejus essentiam. Ac de ista Gloria (*cujus sc. in modò adductis verbis fit mentio*) intelligendum, quod statim subjungit, *Donec transiero.* Item illud, *Et transivit Dominus* al panav *ante eum.* Quòd si autem aliter fieri non posset, sed necessariò ellipsis relativi alicujus statuenda esset, quemadmodum Onkelos ubiq; fecit, nunc vocem *Jekara* Gloria, nunc *Memra* Verbum, nonnunquam Schechinah *Majestas*, ejus loco ponens, pro ratione sc. uniuscujusque loci, tùm & nos correlativum ejusmodi deficiens dare possemus, *Kol* nempe, h.e. *Vox*, & locum illum ita explicare, *Et transivit vox Domini ante eum & clamavit.* De voce enim dici verbum hoc *Abbar*, antè
Exod.36.6. ostendimus ex illo loco, *Et transire faciebant vocem per castra.* Et sic
Clamare *attribuitur Voci.* *Vox* erit illud, quod clamavit. Neque absurdum tibi hoc videatur, quòd *Clamor* vel *τὸ Clamare* attribuatur *Voci.* Nam consimili planè modo, & iisdem verbis ei (*voci* sc.) attribuitur Loquutio Dei
Num.7.89. Benedicti; ut, *Audiebat vocem loquentem ad sese.* Quâ ratione enim Sermo & Loquutio voci attribuitur, eâdem quoq; ipsi Clamor potest attribui. Quin-imò apertum habemus locum, in quo & *τὸ Amar*, h.e. Loqui vel Dicere, & *τὸ Kara* Clamare, voci attribuitur, ubi le-
Jesa.40.6. gitur: Kol *Vox dicens clama. Et dixit* (sc. vox illa), *quid clamabo?* Sic ergo juxta hanc expositionem, loci præsentis sensus hic erit: *Et transivit vox Domini ante eum, & clamavit, Domine, Domine, Deus fortis, misericors, gratiosus,* & geminatio illa, *Domine, Domine*, Vocandi vel
Exod.3.4. Vocantis erit, ut in illo, *Mosche, Mosche.* Item, *Abraham, Abraham.* Atq;
Gen.22.11. hæc quoque expositio elegans satìs est & commoda.

Non est autem quòd te offendat, quòd res ista adeò profunda & difficilis, plures interpretationes admittat. Hoc enim nihil obest proposito nostro, (*vel: Nihil enim detrimenti afferunt proposito nostro, de removenda sc. à Deo corporeitate*). Liberum tibi est, ex iis eligere & sequi quamcunque volueris, nempe; Vel, quòd totum hoc negotium mera sit Visio Prophetica; & quòd tàm per id, quod petivit (*Moses*), quàm per id, quod ipsi denegatum est, & per id, quod apprehendit, tantùm Apprehensiones Intellectuales intelligantur; quòd, inquam, hæc omnia sint Intellectualia, nec quicquam in illis sit sensibile, prout ab initio exposuimus: Vel, quòd ibi fuerit etiam Apprehensio sensualis, Visio sc., sed rei alicujus creatæ, per cujus visionem assequutus sit perfectionem Apprehensionis Intellectus, ut exposuit Onkelos, ita tamen, ut apprehensio illa Visionis non statuatur facta fuisse in Visione Prophetica, (*h.e. in phantasia & imagina-*

ginatione) ſicut de Abrahamo dicitur: *Et ecce furnus fumans & lampas ignea, quæ transivit inter diviſiones illas:* Vel denique, quòd illi conjuncta etiam fuerit Apprehenſio auditus, ut nempe vox aliqua, & quidem creata ſine dubio, fuiſſe dicatur illud, quod tranſivit ante faciem ejus (Moſis). Ex iſtis, inquam, ſententiis elige quamcunque volueris. Omnes enim huc tendunt, ne credas, illud, *Et tranſivit lephanav*, intelligendum eſſe ſicut, *Tranſi ante populum hunc*, (de Tranſitu ſc. vel Tranſitione corporali). Deus enim Benedictus non eſt corpus, neque competit ei Motus: ideoque non poteſt ipſi verbum *Abhar* Tranſire, juxta primam ſignificationem attribui. Geneſ.15.17. Exod.17.5.

CAP. XXII.

In quo explicatur verbum בוא Bo *Venire.*

BO ſignificat *primò* Adventum Animantium in locum aliquem, vel ad individuum aliquod: ut, Ba *Venit frater tuus per dolum.* בוא Venire. Geneſ.27.35.

Deinde ſignificat quoque Ingreſſionem vel Introitionem eorundem in locum aliquem: ut, Vajabho *Et ingreſſus eſt Joſeph domum.* Gen.43.24.
Item, *Cùm* tabhou *ingrediemini in terram.* Lev.25.2.

Tertiò ſignificat Adventum rei incorporeæ: ut, *Cùm* jabho *venerit verbum tuum, ut honoremus te.* Item, *Ab iis, quæ ventura ſunt ſuper te.* Judic.13.17. Jeſa.47.13.

Quartò transfertur etiam ad quaſdam Privationes: ut, Vajabho *Et venit malum.* Vajiabho *Et venit caligo.* Ac ſecundùm hanc metaphoram, quâ transfertur ad id, quod eſt incorporeum, accommodatur etiam Creatori, & quidem tùm ad Verbi, tùm ad Majeſtatis ipſius adventum, quo ſenſu dictum eſt: *Ecce ego* ba *venio ad te in denſitate nubis.* Item, *Quia Dominus Deus Iſraëlis* ba *venit in ea.* Et hoc pacto omnia his ſimilia intelligenda ſunt de Majeſtate aliqua ejus viſibili & corporea: ut, Uba *Et veniet Dominus Deus meus*, h.e. *Veniet Verbum ejus*, quaſi diceret, Servabit promiſſa ſua, quæ promiſit per manus Prophetarum ſuorum. Hoc enim ſibi vult, dum porrò ait, *Et omnes Sancti tecum*, q.d. Et veniet Verbum Domini Dei per manus omnium Sanctorum tecum, qui loquuti ſunt ad Iſraëlem. Jobi 30.26. *Quomodo attribuatur Creatori.* Exod.19.9. Ezech.44.2. Zach.14.5.

CAP. XXIII.

In quo explicantur verba יָצָא Jaza *Egredi, Exire:* & שׁוּב Schubh *Reverti.*

יצא Egredi, Exire. VERBUM *Jaza* oppositum est præcedentis verbi *Bo*, & significat *primò*, Exitum corporis è loco, in quo quiescebat, in locum alium, sive jam corpus illud sit animatum, sive inanimatum: ut,
Gen.44.4. *Ipsi* jazeu *egressi erant ex urbe.* Item, *Cùm* teze *egressus fuerit ignis.*
Exod.22.6. *Deinde*, transfertur ad Ostensionem vel Manifestationem rei in-
Esth.7.8. corporeæ: ut, *Verbum* jaza *egressum est ex ore Regis.* Item, *Cùm* jeze
Esth.1.17. *egredietur verbum Reginæ ad omnes mulieres*, vult dicere, Transgressio
Jesa.2.3. mandati Regis, cui non parebat. Item, *Nam ex Tzijon egredietur Lex.*
Gen.19.23. Item, *Sol* jaza *egressus erat super terram*, q.d. Luminis ejus visio vel apparitio.

Exire, *quo sensu de Deo usurpetur.* Et secundùm hanc significationem semper intelligendum verbum *Jaza*, quando attribuitur Deo Benedicto: ut, *Ecce Dominus* joze
Jesa.26.21. *egreditur de loco suo*, h.e. videre facit, ostendit, manifestat verbũ suum, quod nunc à nobis est absconditum, q.d. fiet aliquid, quod anteà non erat. Quicquid enim creatur à Deo, id attribuitur verbo ejus: ut,
Psal.33.6. *Verbo Domini cœli creati sunt, & spiritu oris ejus omnis exercitus eorum:* similitudine desumptâ ab operibus Regum terrenorum, quorum instrumenta in perficienda & exequenda sua voluntate, sunt verbum ipsorum. Deus autem Benedictus planè nullo eget instrumento, quo agat, sed opus suum solâ voluntate perficit. Nullum etiam habet sermonem, prout explicabitur.

שוב Reverti. Quemadmodum autem verbum *Jaza* accommodatur ad significandam Manifestationem operis alicujus divini, sicuti ostendimus
Jesa.26.21. ex eo, quod scriptum est, *Ecce Dominus egreditur de loco suo:* ita è contrario, verbum *Schubh* refertur ad Ablationem vel Occultationem
Hos.5.15. illius, ex solâ ipsius voluntate: ut, *Ibo* veaschubh *& revertar ad locum meum.* Significat enim Ablationem Majestatis vel visibilis Dei præsentiæ, quæ inter nos erat, quam sequitur Privatio Providentiæ Dei
Deut.31.17. erga nos, sicut in Comminatione pœnæ Deus ait; *Et abscondam faciem meam ab eis, & consumentur.* Quando enim aliquid privatur Providentiâ Dei, tùm exponitur & liberum relinquitur omnibus accidentibus, quæ ipsi possunt contingere. Quia autem dura nimis est hæc Comminatio, ideò Cognominatione in ea exprimenda utitur Deus, dicendo, *Revertar in locum meum.*

CAP. XXIV.

In quo explicatur verbum הלך Halach *Ivit.*

VERBUM *Halach* quoque est ex censu illorum vocabulorum, quæ *Motiones* significant proprias animantium, vel rerum animatarum: ut, *Jacob verò* halach *ivit secundùm viam suam.* Et sic sæpissimè reperitur. הלך Ambulavit, Ivit. Genes.32.1.

Deinde accommodatur ad Tractionem (motum) corporum, quæ subtilia magis sunt, quàm corpora animatorum: ut, *Aquæ verò* haju haloch *ibant & deficiebant.* Item, Utehallech *Et ibat ignis super terram.* Gen.8.5. Exod.9.23.

Tertiò transfertur ad Diffusionem, Extensionem & Manifestationem rei alicujus, quamvis merè sit incorporea: ut, *Vox ejus quasi serpentis* jelech *ibit.* Sic, *Vox Domini Dei* mithallech *ambulans in horto.* Vox enim est res illa, de qua dicitur, quòd ambulaverit in horto. Jerem 46.22. Gen.3.8.

Et secundùm hanc notionem est omne *Halach*, quod occurrit de Creatore: quatenus, inquam, transfertur ad rem incorpoream, significans vel Diffusionem rei alicujus, vel Recessionem Providentiæ Dei, cui planè similis est Discessio vel Ablatio animatorum à re aliqua, vel è loco aliquo, quæ fit per *halichah* Itionem. Quemadmodum enim Ablationem Providentiæ suæ exprimit per Absconsionem faciei suæ, dicens, *Ego verò* haster astir panaj *abscondendo abscondam faciem meam in die illa:* sic etiam exprimit eam quandoque per *Halicha* Itionem, quę nihil aliud est, quàm Recessio à certa re aliqua: ut, Elecha *Ibo & revertar ad locum meum.* In illo autē, quod dicitur, *Et exarsit furor Domini in eos*, vajelech *& ivit*, ambæ sunt significationes simul, Ablatio sc. Providentiæ Dei, quæ Itionis nomine indigitatur, & Diffusio, Revelatio vel Manifestatio rei alicujus, Iræ videlicet Dei, quæ ivit & sequuta est illos, propter quam *Mirjam leprosa facta dicitur sicut nix.* *Quo sensu de Deo usurpetur.* Deut.31.18. Hos.5.15. Num.12.9. Ibid.v.10.

Denique accommodatur hæc vox ad Mores & consuetudines, quæ solâ mente, sine motu corporis perficiuntur: ut, Vehalachta *Et incedes in viis ejus.* Item, *Post Dominum Deum vestrum* telechu *ibitis.* Item, Venelecha *Et ibimus in luce Domini.* Deut.28.9. Deut.13.4. Jesa.2.5.

CAP. XXV.

In quo explicatur verbum שָׁכַן Schachan *Habitare.*

שכן Habitavit. VERBUM hoc, ut notum est, significat Continuationem stationis, h.e. Commorationem in loco aliquo: ut, *Ipse autem*
Genes.14.13
Gen.35.22. schochen *habitabat in quercubus Mamre.* Item, *Et fuit* bischkon *cùm habitaret Israël.* Et hoc apertum est & manifestum. Habitare enim in loco aliquo, nihil aliud est, quàm continuò in illo stare, seu permanere. Nam quando animantia diù in aliquo loco, sive Communi, sive Proprio subsistunt, dicitur de iis, quòd habitent in loco illo, non obstante, quòd in illo nonnunquam hinc inde moveantur: ut,
Gen.14.13. *Abraham* schochen *habitabat in quercubus Mamre.* Item, *Et fuit cùm ha-*
Gen.35.22. *bitaret Israël,* bischkon.

Deinde verò accommodatur etiam ad res Inanimatas, adeoque ad omne id, quod constanter & assiduè permanet in re aliqua, licèt illa res, in qua altera manet, non sit locus: neq; etiam vox illa, quæ per-
Jobi 3.5. manet, sit animata: ut Tischkon *Habitet super illam* (diem sc.) *nubes.* Hic enim manifestum est, nubem non esse quid animatũ, neq; diem esse corpus, vel rem corpoream, sed partem temporis.

Quo sensu de Deo dicatur. Atq; secundùm hanc usurpationẽ attribuitur etiã Creatori: ad exprimendũ sc. Habitationem vel Cõmorationem Majestatis & Providentię ipsius in loco aliquo. Ubicunq; enim Majestatis & Præsentię suæ signa collocavit, aut ubicunq; habitare facit Providentiã suam,
Exod.24.16. ibi dicitur Habitare: ut, Vajischkon *Et habitavit gloria Domini.* Item,
Exod.29.48. Veschachanti *Et habitabo in medio filiorum Israël.* Item, *Ob voluntatem*
Deut.33.16. schocheni *inhabitatoris rubi.* Quare in quocunque loco actio hæc *(Habitatio)* invenitur attributa Creatori, significat Commorationem Majestatis ipsius, h.e. Gloriæ creatæ in loco aliquo, vel Providentiam Divinam in re quapiam, pro ratione sc. uniuscujusq; loci.

CAP. XXVI.

Cur Lex Anthropopathiis usa sit.

Loquitur Lex per Anthropopatheias. NOTA est generalis illa Regula, quæ inservit ad explicationem omnium loquendi rationum, quæ in hoc negotio occurrunt: *Loquitur Lex secundùm linguam filiorum hominum.* Cujus sensus est: Quicquid homines ab initio cogitationis suæ intelligentiã & imaginatione suã possunt assequi, id in Scriptura attribuitur Creatori.

ri. Hinc describitur per attributa & nomina corporea,ut doceatur ipsum esse Ens: vulgus enim hominum non apprehendunt ab initio cogitationis Entitatem vel Essentiam, nisi in rebus corporeis. Unde quicquid non est corpus,vel res in corpore existens,non creditur ab iis esse vel existere. Sic etiam quicquid à nobis pro perfecto habetur, id quoque attribuitur Deo Benedicto, ad docendum,illum omnibus numeris & gradibus esse perfectissimum,nullumque in ipso esse defectum vel privationem. Econtrariò autem nihil eorum Deo attribui legimus,in quibus vulgus hominum imperfectionem aliquam esse existimat. Ideò non describitur Deus, quòd edat,bibat,dormiat,ægrotet,&c. sed per ea tantùm, quæ pro perfectionibus ab hominibus habentur,quæ,licèt nostri respectu sint perfectissima,ipsius tamen ratione sunt in summo imperfectionis gradu. Sed existimant, si humanæ illæ perfectiones à Creatore separarentur: magnam ipsius Naturæ imperfectionem illatum iri. Sic nôsti Motum recenseri inter perfectiones Animalium, atque etiam necessarium esse ad perfectionem illorum. Quemadmodum enim continuè opus habent cibo & potu,ad compensationem ejus,quod quotidiè illis decedit: sic quoque opus habent Motu,ad id,quod ipsis bonum est,vel cui assueti sunt,persequendũ,& ad malum fugiendũ. Unde per se nihil interest,sive cibum & potum,sive motum Creatori attribuas: sed tantùm *secundùm linguam filiorum hominum*,h.e.secundũ imaginationem vulgi,apud quos Comedere & Bibere Imperfectiones sunt,Motus verò minimè: cùm tamen & ipse necessariò præsupponat Imperfectionem. Demonstratũ enim est,quòd quicquid movetur,sit corporeum & divisibile. Deinceps verò declarabitur tibi, Deo,cùm sit incorporeus,nec motum,nec quietem competere.Quies enim nulli rei competit,nisi ei,quæ moveri potest. Quare omnia ista Nomina,quæ Motum animantiũ significant,attribuuntur Creatori, eo modo,quo diximus: ut, E.G.quãdo Vita ipsi attribuitur,vel quando dicitur vivere. Motus enim accidens proprium est animantium.

Cur Deo attributa & nomina corporea adscribantur.

Perfectiones humanæ Deo cur attribuantur.

Cur Deo nõ attribuatur Edere,Bibere,Dormire *&c.*

par.2.in præfat.

Quando ergo à Deo removetur corporeitas,tùm omnia quoq; ista ab Ipso removebuntur,videlicet Descendere,Ascendere,Ambulare, Stare,Circumire,Sedere,Habitare,Egredi,Venire,Transire & similia. Atq; hæc paullò fusiùs,prout nos fecimus,declarare,utile & necessarium est, non solùm propter vulgus,qui istiusmodi opinionibus imbuti sunt, sed & propter eos, qui ad perfectionem humanam contendunt,ut ab ipsis tollantur cogitationes istæ,quæ cum ipsis adolescentiæ annis incipiunt.

CAP.

CAP. XXVII.

Quàm cautus & diligens fuerit Onkelos in removenda à Deo corporeitate. Differentiam esse inter Prophetiam somnii, Visionem, & inter id, quando dicitur: Et fuit verbum Domini ad me, dicendo &c.

Onkelus diligens fuit in removenda à Deo corporeitate.

ONKELOS Proselytus, vir perfectissimus in Lingua Hebræa & Chaldaica, diligentiam & industriam suam inter cætera quoque in removenda corporeitate à Deo gnaviter admodùm comprobavit. Omnia enim Attributa vel Nomina, in Scriptura Deo attributa, quæ corporeitatem inducere videntur, ipse secundùm verum & genuinum illorum sensum exposuit. Hinc quando in vocem incidit, quæ *Motum* aliquem designat, tùm loco *Motus* posuit *Apparitionem* vel *Manifestationem splendoris alicujus creati*, h.e. Maje-
Exod.19.18. statis vel Providentiæ Divinæ. Ita interpretatur, Jarad *Descendit*
Gen.11.5. *Dominus*, per, Jitgele *Revelabit se Dominus*. Item, Vajered *Et descendit Dominus*, Vajitgele *Et apparuit*, non verò, *Unechat* Et descendit. Item,
Gen.18.21. Eredah na *Descendam nunc & videbo*, per, *Revelabo me & videbo*. Atque hoc perpetuum est in ipsius Translatione.

Gen.46.4. At verò illud, *Ego* eredah *descendam tecum in Aegyptum*, ipse de verbo ad verbum interpretatus est, *Ego* echut *descendam tecum*, quod mirabile est. Sed discimus inde magnam Viri istius perfectionem, præstantiamque interpretationis ejus, quomodo singula intellexerit, prout intelligenda & capienda sunt. Revelavit enim nobis per hoc Targum rem magnam, ad Prophetiæ negotium spectantem, ut videlicet attendamus ad principium illius Narrationis, quod ita ha-
Ibid.v.2. bet: *Loquutus est Deus ad Israëlem in visionibus noctis, & dixit, Jacob, Jacob: & respondit* &c. *Et dixit, ego* &c. *Ego descendam* &c. Nam postquam ex principio istius historiæ collegit, omnia illa in Visionibus noctis facta esse, non dubitavit singula, quæ in Visione dicta sunt, iisdem verbis referre. Atque talis narratio vera est. Refert enim tantùm id, quod dictum est ei *(Jacobo)*, non quod reverà accidit, quale est il-
Exod.19.20. lud, *Et descendit Dominus in montem Sinai*, quod narratio est ejus, quod reverà factum est, unde etiam id per Apparitionem vel Revelationem transtulit, sicq; à Deo removit, quicquid de Motus est essentia.

Res

Res autem Imaginarias quod attinet, r . eſt Narratio ejus, quod alicui dictum eſt, eas reliquit prout ſunt, quod mirandum. Admoneris verò inde, magnam eſſe differentiam inter id, de quo dicitur, *In ſomnio*, aut, *In viſionibus noctis*, & inter id, de quo dicitur, Bemachaſe ubemareh *In viſione*, & inter id, de quo ſimpliciter & abſolutè dicitur, *Et fuit verbum Domini ad me, dicendo*, vel, *Et dixit Dominus ad me, dicendo.* Cæterùm, fieri quoque poteſt meo judicio, ut Onkelos per vocem *Elohim*, Angelum intellexerit, ac proinde non dubitârit transferre, *Ego deſcendam tecum.* Neque incredibile tibi videatur, *Elohim* ibi fuiſſe Angelum, eò quòd dicit, *Ego ſum Deus, Deus Patris tui.* Nam fieri poteſt, ut illa verba prolata ſint *(à Deo)* per Angelum. Nónne enim vides, quòd idem ille, de quo dicitur, *Et dixit ad me Angelus Domini in ſomnio, Jacob, Et reſpondi, adſum*, quòd, inquam, idem ille in fine illius narrationis dicat, *Ego Deus Bethel, ubi unxiſti ſtatuam, ubi voviſti mihi votum?* Nullum autem eſt dubium, Jacobum Deo, non verò Angelo votũ feciſſe. Verùm nihil novi hoc eſt in libris Prophetarum, ut narrentur verba illa, quæ Angelus Dei nomine loquitur, ac ſi Deus ipſe illa proferret. Quare illa omnia intelligenda ſunt per ellipſin relativi alicujus, ac ſi diceretur, *Ego ſum legatus Dei patris tui: Ego ſum legatus Dei, qui apparuit tibi in Bethel* &c. Talia multa occurrent, quando agemus de Prophetia ejusque gradibus, item de Angelis, ſecundùm intentionem hujus libri. *Verba ab Angelis prolata ita ſæpè narrantur, ac ſi Deus illa protuliſſet.*

Cap. XXIIX.

In quo explicatur Nomen רֶגֶל Regel *Pes.*

Regel Vox eſt æquivoca, ſignificans *primò* Pedes Animantium: ut, Regel tahat regel *Pedem pro pede.* *רגל Pes. Exod.21.24.*

Deinde transfertur ad rem, quæ poſt aliam ſequitur: ut, *Egredere tu, & omnis populus, qui eſt* beraglecha *in pedibus tuis*, h.e. qui ſequuntur te. *Exod.11.8.*

Tertiò ſignificat quoq; Cauſſam: ut, *Et benedixit tibi Dominus* leragli *ad pedem meum*, h.e. mei cauſsâ, vel propter me. Quando enim aliquid eſt propter rem aliam, vel vi alterius alicujus rei, tùm res illa ejus eſt cauſſa. Et ſic ſæpè occurrit, ut, Leregel hammelacha, uleregel hajeladim *Ad pedem gregis, & ad pedem puerorum*, h.e. propter gregem & propter pueros. Sic, *Et ſtabunt pedes ejus in die illa ſuper montem olivarum*, h.e. ſtabunt cauſſæ, vel potiùs cauſſata ipſius, h.e. miracula, quæ tùm conſpicientur in loco illo, quorum Deus Benedictus cauſſa eſt efficiens. Ad hanc interpretationem inclinat Jonathan F. Uziel p.m. *Et revelabit ſe cum potentia ſua, in die illa, ſuper* *Gen.30.30. Gen.33.14. Zach.14.3.*

montem olivarum. Et sic transferre solet alia quoque hujus generis.
Exod.24.10. Quod vero attinet locum illum, ubi dicitur, *Et sub pedibus ejus erat velut opus albedinis lapidis Sapphiri*, ibi Onkelos vocem *Raglav* pedes, exposuit, ac si cognomen esset Solii. Sic enim ait, *Et sub throno gloriæ ejus.* Observa autem hic iterum & admirare, quàm diligenter & accuratè Onkelos corporeitatem à Deo removeat, & quicquid eam, etiam de longè, inducere aut confirmare videtur. Non enim dicit, *Et sub solio ejus:* quia si Solium Deo ipsi attribuisset, primâ fronte visum fuisset inde sequi, Deum solio aliquo fulciri, atque ita corporeitatem in ipso esse: verùm attribuit Solium, Gloriæ ipsius, h.e. Majestati, quæ est lux aliqua creata. Sic in Targum illius loci, *Quia ma-*
Exod.17.16. *nus super solium Jah*, ait, *Coram Deo, cujus Majestas est super throno gloriæ.*
Jerem.17.12. Et sic omnium consensu intelligendum quoque illud, *Solium gloriæ.* Sed hæc præter scopum: quare ad institutum nostrum revertor. Dico ergo, finem Onkeli, in Translatione loci adducti, fuisse tantùm removere à Deo corporeitatem, non verò declarare & exponere, quid nam assequuti sint (*Optimates scilicet filiorum Israëlis*), vel, quid illa parabola sibi velit. Atque ita ubique ferè solet facere, ut non temerè ingrediatur vel immisceat se in rem hanc (*ad explicandas videlicet Parabolas & Similitudines*), sed remaneat in removenda corporeitate: quia Remotio corporeitatis, res est Demonstrativa & ad fidem necessaria; unde ibi liberè sententiam suam pronunciat, prout res ipsa postulare videtur. Explicatio autem Parabolarum, res est incerta & dubia: fieri enim potest, ut habeant intentionem hanc vel aliam. Res etiam plerumq; in iis sunt valdè obscuræ. Et intelligentia ipsarum non est de articulis Fidei, neque apprehensio ipsarum pro captu vulgi. Ideoque noluit se (*Onkelos*) huic negotio immiscere. Nobis autem, secundùm instituti nostri rationem in hoc libro, necessariò ista sunt explicanda. Dico ergo, *Thachat raglav* Sub pedibus ejus, idem esse quòd *Mißibbato ubiglalo* ex caussa ipsius, h.e. per eum, & propter eum, sicut explicuimus. Quod autem apprehenderunt, fuit ipsa Materia prima, quæ est à Deo Benedicto (*immediatè scilicet*), cujusque ipse caussa est efficiens. Nam observandum, quòd dicat, *Sicut opus albedinis Sapphiri:* si enim voluisset denotare colorem vel speciem externam, simpliciter dixisset, *Sicut albedo Sapphiri.* Verùm addit, *Sicut opus*, quia Materia, ut nôsti, naturâ suâ semper recipit (formas), & patitur, nunquam verò agit, nisi per accidens, sicut forma semper agit per se, nunquam autem patitur, nisi per accidens, quemadmodum ista in libris Physicorum explicantur. Hanc ergo ob

ob caussam dicit, *Kemaaseh* Sicut opus. Præterea, per *libbnat hassapphir* albedinem Sapphiri, significatur Splendor vel Pelluciditas, non color albus. Albedo enim sapphiri non est color albus, sed pelluciditas vel splendor tantùm. Splendor autem non est color, ut docetur in Physicis. Quòd si enim esset color, non possent alii colores post ipsum videri, neque etiam alios colores reciperet. Quia verò corpus splendidum vel lucidum omnibus coloribus destitutum est, ideò alios colores omnes re ipit, alternativè sc., quemadmodum Materia prima, quæ in se omnibus formis privata est, omnes autem alternativè recipit. Sic ergo id, quod apprehenderunt, erit Materia prima, quæ Deo attribuitur, quia est prima & pręcipua inter creaturas, quæ generationi & corruptioni sunt obnoxiæ, & quia eã ex nihilo creavit. Verùm de ista materia alibi quoque dicetur. Hoc tantùm adhuc addo, quòd etiam secundùm paraphrasin Onkeli locum habeat hęc nostra expositio *(de Materia prima sc., quam apprehendisse statuimus Optimates filiorũ Israelis)*. Sic enim ait, *Et sub solio gloriæ ejus.* Jam verò materia prima in rei veritate est sub Cœlo, quod vocatur Solium, ut in præcedentibus vidimus. Ad mirabilem autem hanc expositionem permovit me dictum quoddam *R. Eliesaris F. Hyrcani*, quod in alio hujus libri capite audies. Generalis omnium (h.e. *tam Onkeli quàm mea*) p.2.c.26. intentio est, removere à Deo corporeitatem, & apprehensiones istas omnes constituere Intellectuales, non verò sensuales, (h.e. *referre ad Intellectum, non ad sensum*). Tu ergo & istud observa ac animadverte.

CAP. XXIX.

Explicatur verbum עצב Azabh *Dolere.*

VERBUM *Azabh* æquivocum est, *primò* & propriè Dolorem significans: ut, Beezebh *In dolore paries filios.* עצב Dolere. Gen.3.16.

Deinde significat quoque Iram, Indignationem: ut, *Et non* azabho (h.e. hichilo) *indignari fecit, vel irritavit eũ pater ejus.* Sic, *Quia* neezabh *indignabatur propter Davidem.* 1.Reg.1.6. 1.Sam.20.34.

Tertiò, Rebellare vel Rebellionem: ut, *Ipsi* maru veazebhu *rebelles fuerunt & rebellârunt Spiritui Sancto.* Item, Jaazibhuhu *Rebellârunt ei in solitudine.* Sic, *Si via* ozebh *rebellionis in me est.* Sic, *Totâ die verba mea* jeazzebhu *rebellant.* Juxta secundam vel tertiã significationẽ dictum est, *Vajitazzebh belibbo*, & juxta secundam quidem significationem sensus erit, quòd Deus indignatus fuerit contra ipsos, propter malitiam operum ipsorum. Quod verò attinet *τὸ Belibbo*, h.e. *In corde* Jesa.63.10. Psalm.78.40. Psalm.139.24. Psalm.56.6. Gen.6.6.

Gen.8.21. *suo*, quemadmodum in Historia Noachi quoque dicitur, *Dixitq́, Dominus* belibbo *in corde suo*, ejus expositionem accipe. Quando propter hominem de re quadam dicitur, quòd eam dixerit In corde suo, vel, Ad cor suum, tùm intelligitur aliquid, quod nulli hominum unquã dixit vel prodidit. Sic, quando Deus aliquid apud se vult & decernit, quod nulli Prophetæ revelavit, tùm, quando res illa *(quam voluit & decrevit)* præteriit, & facta est, dicitur de ea, *Et dixit Dominus in corde suo*, more humano, juxta tritum illud: *Loquitur lex linguâ filiorum hominum*. Et hæc clara sunt & manifesta. Quia ergo in Rebellione Diluvii non explicatur, quòd aliquis ad ipsos missus fuerit *(à Deo)* eo tempore, qui illos vel monuerit, vel mortem ipsis interminatus fuerit, ideò dicitur de eis, *quòd iratus fuerit contra ipsos* belibbo *in corde suo*. Sic, quando volebat, ut nullum ampliùs sit Diluvium, nulli Prophetæ dixit, Abi & annuncia hoc: ideò & ibi dicitur, *Dixit Dominus in corde suo*. Explicatio verò loci illius *Vajitazzebh el libbo*, secundùm tertiam hujus vocis significationem est, quòd rebellaverit homo contra voluntatem Dei. *Cor* enim quandoque etiam *Voluntatem* significat, quemadmodum explicabitur in Homonymia vocis *Lebh* Cor. [*Sic ergo verba illa juxta hanc sententiam transferenda erunt:* Et rebellavit cordi (h.e. *voluntati*) ejus *(Dei)*.]

Quomodo de Deo dicatur, quòd aliquid In corde suo dicat.

Gen.6.6. Gen.8.21. par.1.c.39.

CAP. XXX.

In quo explicatur אָכַל Achal *Comedere*.

אכל Comedere.

VERBUM hoc *Achal* ex *prima* sua Impositione significat Sumptionem cibi & alimenti animalium, quod ita notum, ut non necesse sit exemplis illustrare.

Deinde, quia duo præcipuè fiunt in comestione, *primò* quidem Interitus rei, quæ comeditur, h.e. Destructio formæ ipsius primæ; *deinde* animantium accretio, constitutionis item & essentiæ ipsorum conservatio, omniumque virium & facultatum corporis restauratio: ideò duas adhuc significationes in hac lingua habet. Nam juxta primam proprietatem accommodatur hoc verbum *Achal* ad quemvis Interitum & Destructionem, adeoque in universum ad cujusvis formæ desolationem: ut, Veachela *Et comedet vos terra inimicorum vestrorum*. Item, *Terra* ochelet *comedens habitatores suos*. Item, *Gladio* teucelu *comedemini*. Item, Tochal *Comedet gladius*. Item, *Incenditq́, se in eos ignis ipsius*, vattochal *& comedit extremum castrorum*. Item, *Ignis* ochela *comedens est*, h.e. perdet omnes rebelles suos perditione ignis, cui ipse dominatur. Atque sic frequentissimè occurrit. Secundùm alteram

Levit.26.38. Num.13.32. Jesa.1.20. 2.Sam.2.26. Num.11.1. Deut.4.24.

ram Comestionis proprietatem, accommodatur quoque ad Sapientiam & Doctrinam, & universaliter ad Apprehensiones Intellectuales, per quas Forma humana conservatur propter perfectionem, quæ ipsis inest, quemadmodum corpus per cibum, propter bonitatem illius conservatur: ut, *Venite, emite*, veichlu *& comedite*. Item, paullò pòst, *Audite audiendo me*, veichlu *& comedite bonum*. Item, Achol *Comedere mel multum, non est bonum*. Item, Achol *Comede fili mi mel, quia bonum est, & favum, quia dulcis est palato tuo*. Et sic sæpè quoque fit in verbis Rabbinorum nostrorum p.m., quòd scil. Sapientiam, Comestionem appellent, ut quando dicunt; *Venite, comedite carnem, in qua multa est pinguedo*. Dicunt etiam, *Omne Edere & Bibere, cujus mentio fit in hoc libro*, (Proverbiorum scilicet) *nihil est aliud, quàm Sapientia, vel Lex*, ut alia exemplaria habent. Sic enim frequenter Sapientia quoque vocatur Aqua: ut, *Omnes sitientes venite ad aquas*. Et quia hoc ita crebrò usuvenire solet, atque ita manifestum & perspicuum est, ac si prima & propria hujus verbi esset significatio, idcircò *Fames* & *Sitis* etiam usurpantur de Privatione Sapientiæ & Apprehensionis: ut, *Et mittam famem in terram, non famem panis, neque sitim aquæ, sed audiendi Verbum* DOMINI. Item, *Sitivit anima mea ad Deum, ad Deum vivum*. Et sic passim. Ita interpretatur Jonathan locum illum, *Et haurietis aquas è fontibus salutis*; in hunc sensum, *Et accipietis doctrinam novam cum gaudio à selectis justorum*: ubi animadverte, quâ ratione *Aquam* exponat Sapientiam venturam in diebus illis; Vocem autem מִמַּעַיְנֵי *Mimmaajene* E' fontibus, sumpsit, ac si esset idem quod מֵעֵינֵי *Meene* in illo Mosis, *Meene haedah*, h.e. A' capitibus, à primariis cœtus. Hi verò sunt Sapientes. Quod autem dicit, *A' selectis Justorum*, ideò fecit, quia Justitia vera demum salus est. Vides ergo, quo modo singulas voces ad Sapientiam & Doctrinam accommodârit.

Jesa.55.1. Ibid.v.2. Prov.25.27. Prov.24.13. *Sapientia vocatur* Aqua. Jesa.55.1. *Privatio Sapientiæ vocatur* Fames *&* Sitis. Amos 8.11. Psal.42.3. Jesa.12.3. Num.15.24.

CAP. XXXI.

De imperfectione Intellectus humani. Quòd certos terminos præscriptos habeat. De differentia ejus inter homines. Quæ item Sapientiæ caussæ sint impedientes.

SCIENDUM est, esse Apprehensiones quasdam, quas Intellectus humanus facultate & naturâ suâ apprehendere potest, & esse

Apprehensio Intellectus est imperfecta.

quasdam res,quas naturâ suâ apprehendere nullo modo potest, ne quidem per caussam (h.e.*per singularem gratiam & influentiā Divinam*), sed quarum apprehensionis portæ ipsi omni ex parte sunt clausæ & obseratæ:esse etiam quasdam,ex quibus aliquid apprehendit & assequitur,aliquid verò ignorat. Nam licèt Apprehensionis facultatem habeat,non tamen sequitur,quòd omnia possit apprehendere,prout sensus etiam quidem apprehendunt,sed non in quavis distantia Et sic reliquæ facultates corporales,ut E.G.Si aliquis possit portare duo talenta,non sequitur,eum posse portare decem.Quemadmodum autem inter Individua talis est differentia, ut unum altero præstet in istis apprehensionibus sensualibus, & reliquis facultatibus corporalibus,quemadmodum cuivis notum est, sic tamen , ut terminum certum habeant, nec in immensum vel infinitum progrediantur: ita judicium quoq; idem est apprehensionum humanarum intellectualium. Est enim & hîc magna differentia & imparitas , unusq; altero multò est præstantior,quemadmodum hoc inter Litteratos inprimis videre licet.Nam est qui ex semet-ipso rem quandam per speculationem suam invenit, quam alius nunquam potest intelligere; ita ut quamvis eam alius omni studio ipsum docere velit,quibuscunq; exemplis illustret ,& longo admodùm tempore, nunquam tamen ad illam pertingere valeat intellectus ipsius , sed abbreviata sit manus intellectus ejus ad eam intelligendam. Verùm & hæc præstātia non progreditur in infinitum: sed habet Intellectus humanus quoq; cancellos suos,intra quos ipsi subsistēdum. Sunt enim quędam,quorum apprehēsionem sibi impossibilem esse homo benè novit,unde etiam anima ipsius illa scire & cognoscere non avet; quia rem sibi impossibilem esse judicat, & nullam portam esse novit, per quam ad illorum cognitionem introire queat. Sic ignoramus numerū stellarum Cœli, an par sit vel impar: numerum item specierum animantium, mineralium,plantarum,& similium.Deinde sunt quædā,ad quorum apprehensionem appetitus & desiderium hominis vehemēs admodùm est, in quibus indagandis & perscrutandis Intellectus ipsius omnes suos nervos intendit.Hinc apud omnes Gentes & omni tēpore magna invenitur caterva hominū, speculationibus ejusmodi deditorum. Atq; hîc variæ admodùm & dissentientes sunt illorum opiniones,unde controversiæ & quæstiones multæ oriuntur: quia Intellectus in apprehensione illarum (h.e.*in desiderio apprehendendi illas*) pendet, & ita unusquisq; existimat, se invenisse viam, per quā naturam & veritatem illarum scire queat.Neq; etiam in facultate Intellectus

Est differentia in Apprehensione secūdùm Individua.

ctus humani est, demonstrationem illarum adducere. Nam de nullâ re, quæ demonstrari potest, controversia est vel dissensio: neque illi quisquam se opponit & contradicit, nisi ignorans & imperitus, quæ contradictio vocatur demonstrativa, (h.e. *contra ea, quæ demonstrari possunt*). Sic inveniuntur homines, qui controversiam movent de rotunditate Terræ, Cœli, & similibus. Verùm isti nullum habent accessum vel introitum in hoc negotium. Confusio verò ista accidit potissimùm & frequentissimè in rebus Divinis: rariùs in Naturalibus: in Mathematicis omninò ferè deficit.

Alexander Aphrodisæus scripsit, tres esse caussas Dissensionum & Controversiarum: *primò*, Amorem dominationis & victoriæ, φιλονεικίαν, hæc enim impedit hominem, quo minùs rem sicuti est apprehendat: *secundò*, Subtilitatem, profunditatem & difficultatem rei apprehendendæ: *tertiò*, Ignorantiam & inscitiam apprehendentis, ut & Imperfectionem & Imbecillitatem ejus ad apprehendendam rem, cujus apprehensio est possibilis. *Caussa dissensionum & controversiarum.*

Et has quidem caussas commemoravit Alexander. Nos verò his nostris temporibus etiam quartã, *quæ ab ipso omissa*, addere possumus, Consuetudinem sc. vel Institutionem. Amant enim homines naturâ id, ad quod sunt assuefacti, & propendent ad illud. Unde vides, quòd illi, qui in pagis habitant, quia non solent ibi sæpè caput & corpus lavare, voluptatibus indulgere, delicatisq; cibis uti, civitates spernant, neq; voluptatibus illarum frui desiderent, sed res malas potiùs eligant sibi assuetas, quàm bonas, quibus assueti non sunt, nec magnopere in magnificis palatiis habitare, sericis ac pretiosis vestimentis vestiri, aut balneis, unguentis vel aromatibus se oblectare aveant. Idem planè accidere solet homini in sententiis & opinionibus, quibus innutritus est, ut præ amore illarum, ab illis dimoveri nequeat. Quæ caussa est, ut homo sæpè non possit apprehendere veritatem, quia sc. illa sequitur, quibus est assuetus, quemadmodũ vulgo hominum in corporeitate, & aliis rebus Divinis evenit, prout alibi declarabimus. Nam hæc omnia ideò præcipuè illis accidũt, quia exercitati & educati sunt in scriptis, quæ inter ipsos magnifiunt, & quæ secundùm sensum litteralem de corporeitate docent, & aliis imaginationibus, in quibus nulla est veritas: intelligenda autẽ sunt parabolicè, ob caussas, quas alibi adducam. Porrò nõ existimare debes, ea, quæ de imbecillitate & imperfectione Intellectus humani à nobis *Consuetudinis quanta vis.*

nobis dicta sunt, & quòd certus ac definitus ei præscriptus sit terminus, (vel, *& de ejusdem limitatione*) à Lege nostra solùm dici. Nam hoc ipsum Philosophi quoq; statuerunt & apprehenderunt, apprehensione perfectâ sine ulla hæsitatione aut dubitatione; prout sanè res est extra omnem dubitationis aleam posita, nisi fortè apud eum, qui planè ignarus est earum rerum, quarum demonstrationes evidentes habentur. Hoc caput quod concernit, fundamenti loco id quasi præmisimus ad sequentia.

Cap. XXXII.

Quòd æquè accidat defectus & defatigatio in Intellectualibus, ac in Sensualibus. Non esse altiora indaganda, quàm Intellectus cujusq; ferat, rationibus, & testimoniis Scripturæ demonstratur.

Sciat Lector, quòd in Apprehensionibus Intellectualibus (eò quòd à materia dependent) simile quid accidat ei, quod contingit in Apprehensionibus sensualibus. Quando enim vides oculis tuis, apprehendis id, quod in facultate visus tui est ut apprehendas: quòd si verò oculos tuos cogas ac visum nimiùm intendas, ut per majorem distantiam videas, quàm verò facultas tua videndi concedit, vel, cùm intueris scripturam aut sculpturam aliquam subtiliorem, quàm ut facultate visus tui eam videre queas, tùm non solùm debilitabitur visus tuus in eo, quod minimè videre potes, sed etiam in eo, quod aliàs videre posses: ita ut non ampliùs videre posis id, quod videre potuisti, antequam hoc pacto visum tuum intendebas & defatigabas. Idem experietur, qui in contemplatione scientiæ vel artis alicujus occupatus est, quæ in cogitatione consistit. Cùm enim cogitationes suas nimiùm in eam intenderit & defatigârit, confundetur, neque intelliget illud, quod aliàs intelligere potuisset. Ratio quippe omnium facultatum & potentiarum corporalium in hoc negotio eadem est & una. Simile quid accidit tibi in Apprehensionibus Intellectualibus. Quòd si enim substiteris in dubio, in quod incidis, & non afflixeris animam tuam, persuadendo ei, demonstrationem esse ejus rei, cujus nulla est demonstratio, neq; refellere aut falsitatis redarguere conaris id, cujus contrarium nullâ ratione demon-

Defatigatio accidit Intellectui æquè ac sensibus.

monſtrari poteſt, neque etiam id,quod captum tuum ſuperat, cupis apprehendere: cùm, inquam, hæc omnia obſervaveris, pervenisti ad ſummam perfectionem hominis,erisq; in gradu R. Akibhæ p.m. qui in rebus his Divinis ingreſſus & egreſſus eſt in pace,in ſpeculatione ſua. Quòd ſi verò tentes apprehendere id,quod apprehenſionem tuam ſuperat,vel falſitatis redarguere incipias ea,de quorũ contrariis nulla eſt demonſtratio, ita quidem,ut nullo modo probabilia ſint vel posſibilia: tùm devenies ſicut Eliſæus quidam,h.e. non ſolùm non perfectus,ſed imperfectione omni eris imperfectior, & fiet,ut imaginaria in te dominentur,ad vitia,& quasvis res turpes ac malas inclines,propter moleſtiã & defatigationem nimiam, quâ Intellectum hoc pacto afficis,& ita lumen ejus extinguis: non aliter atque in ſenſu Viſus ſolet contingere,ut multas ſpecies falſas apprehendat,quãdo debilitatus eſt,ſicuti in ęgrotis videre eſt,vel cùm acies oculorum intenditur ad res nimis lucentes & ſplendidas, aut ſubtiles. In hunc ſenſum ait Salomon, *Si mel inveniſti,comede ſufficientiam tuam,ne fortè ſatieris eo,& evomas illud*,cujus rei exemplum referunt de Eliſæo quodam. Egregia ſimilitudo admodùm,in qua Sapientiam cum cibo comparat, (quemadmodum antea quoque monuimus),& quidem dulcisſimo,melle ſc.cujus natura eſt,ut magnâ quantitate comeſtum, ſtomachum conciter, & vomitum gignat, quaſi voluiſſet dicere Salomon: Apprehenſionem hanc eſſe quidem excellentem,egregiam & rem perfectisſimam,verùm ſi non intra terminos ejus ſubſiſtatur,& cautè ac prudenter quis in ea verſetur, degenerare in imperfectionem,ſicut in eſu mellis accidere ſolet. Id enim ſi moderatè ac temperanter ſumatur,nutrit ac dulce eſt; quòd ſi verò quis modum excedat & nimis comedat,contrarium evenit. Obſerva autem,quòd non dicat,*Ne ſatieris eo & faſtidium ejus te capiat*, vel,*& ſpernas illud*,ſed,*Et evomas illud*. In eundem ſenſum dicit alibi, *Comedere mel multum,non eſt bonum*. Huc quoque reſpicit,dum ait; *Ne ſapiens ſis nimiùm,ad quid deſolaberis?* Sic quando inquit,*Cuſtodi pedem tuum,quando is ad domum Dei*.Hinc ait quoq; David,*Non ambulavi in magnis,neq; in mirabilibus ſupra me*. Idem ſibi volunt Sapientes noſtri,cum dicunt,*Altiora præ te ne inquirito, & abſcondita à te ne perſcrutator*. Item,*Ea quæ tibi mandata ſunt, cogita; non enim indiges his,quæ occulta ſunt*,h.e. Ne emittas intellectum tuum,niſi ad id, quod homo poteſt apprehendere & aſſequi: nam in iis,quæ intellectum ejus ſuperant,ſe exercere,plurimùm nocet,prout oſtendimus. Idem quoque innuunt,cùm dicunt. *Quicunq; reſpicit quatuor res &c.* Inprimis

Non eſt defatigandus Intellectus in,quæ captum ejus ſuperant.

Proverb.25.16.

Sapientia comparatur cum melle.

Ibid.v.27.
Eccleſ.7.17.
Eccl.4.17.
Pſal.131.1.

Legitur hæc ſententia quoq; apud Syr.c.3.v.20.21.

verò in illo, *Quicunq; non parcit gloriæ Creatoris sui, (expediret ei, ut non venisset in mundum*, addendum, ut patet ex Comment. *R. Schem tobh)*. Nihil enim aliud volunt, quàm quod diximus, Non esse homini cogitationibus suis ad ejusmodi res, quæ interitum ipsi afferunt, prorumpendum. Quando verò dubia quędam ipsi oriuntur, aut non è vestigio demonstrationem rei quæsitæ invenit, tùm non statim illam relinquet, vel repudiabit, aut falsam pronuntiabit; verùm expectabit, gloriæ Creatoris sui parcet, sibiq; temperabit, quemadmodũ hoc jam explanatum est. Istorum verò dictorũ Prophetarum & Sapientum nostrorum mens & sententia non est, omnis speculationis portas claudere, & intellectum arcere ab apprehensione illarum rerum, quas potest apprehendere, prout fatui quidam & ignavi homines existimant, qui bellè admodùm hoc pacto inscitiam & ignorantiam suam perfectionis ac sapientiæ velo tegere se posse autumant: econtrà verò perfectionem & scientiam imperfectionis notâ insi-
Jesa.5.20. gniunt, atq; ita de via legis egrediũtur & exorbitant, *ponentes tenebras lucem & lucem tenebras*. Verùm intentio est indicare, Intellectum humanum certum habere terminum, in quo ipsi sit consistendum. Non est autem, quòd verba nostra, quæ in hoc capite de Intellectu humano diximus, subtiliter & accuratè examines: tantùm enim ad scopum nostrum ea dirigere voluimus, non verò ἀκριβῶς naturam Intellectus explicare.

CAP. XXXIII.

Non esse cursum studiorum ab ipsa Theologia incipiendum, sed exercendum priùs animum in aliis artibus & disciplinis. Quare de rebus Divinis loquantur per ænigmata, quare item vocentur Secreta.

Per certos gradus ad studium Theologicum esse accedendum.

SCIRE te velim, in docendo vel discendo statim incipere à Sapientia Divina, & ab expositione Parabolarum, Troporum, ac Metaphorarum Propheticarũ, valdè esse periculosum & detrimentosum. Necesse enim est, ut primò Juniores vel Tyrones, & ii, qui tardioris sunt ingenii, in primis rudimentis instituantur, pro mensura apprehensionis ipsorum. Quòd si autem quis animadvertatur perfectioris esse Intellectus, & ad sublimem & excelsum istum gradum

dum aptus & idoneus, ad gradum, inquam, istum speculationis demonstrativæ & doctrinarum verè intellectualiũ, eum paullatim adscendere facient, donec ad perfectionem suam vel propriâ industriâ, vel auxilio magistri alicujus, perveniat. Quum enim statim quis ab hac Divina Sapientia inchoaverit, in eo non tantùm exorietur confusio rerum credendarũ, sed totalis earum abolitio: neq; is mihi videtur aliter facere, quàm si quis infantem pane triticeo & carne cibare, vinoque potare vellet. Nam sine dubio eum occideret, non quòd ista alimenta sint mala, ac naturæ hominis contraria aut incõvenientia: sed quia illa capiens, debilis nimis est, quàm ut illa eo pacto concoquere possit, ut utilitatem inde percipiat. Sic, scientias & opiniones istas veras ac reales quod attinet, non ideò tàm occultè, ænigmaticè & obscurè de illis loquuti sunt Sapientes, quòd aliquid mali sub illis lateat, aut quòd fundamenta Legis nostræ destruant, ut fatui homines existimant; sed ideò illas occultârunt, quia ingenium & intellectus noster nequeunt illas statim ab initio capere: quędam autem revelârunt, ut qui perfectiores sunt, illa discant, & hinc vocantur *Secreta Legis*, quemadmodum explicabimus.

Simile.

Cur Sapientes occultè & ænigmaticè de rebus Divinis loquantur.

Et hæc quoque caussa est, propter quam Lex loquitur Linguâ filiorum hominum, sicut exposuimus, quia hæc ratio commoda & facilis est, ut ab ea incipiant & discant pueri, mulieres & communis plebs, in quorum viribus non est, res secundùm veritatem ipsarum apprehendere. Quamobrem etiam hoc modo sufficienter ipsis traditum est de omnibus, quæ credenda sunt, & de omni conceptione, quæ dirigere potest intellectum ad cognoscendum, quòd Deus sit & existat, quamvis non ad veritatem quidditatis ejus. Si verò quis fuerit perfectior & sublimioris ingenii, ut cognita habeat Secreta Legis, sive ea ab alio didicerit, sive à seipso, ut ab uno ad alterum fuerit incitatus, is ad eum gradum pertinget, ut sententias illas veras ac reales *(de Deo)* credat per vias fidei veræ; *(non ut vulgus per similitudines ab hominibus desumptas)*, nempe, vel per demonstrationem in iis, de quibus demonstratio haberi potest, vel per alia argumenta firma & solida in iis, in quibus fieri id potest, atque ita formaliter cognoscet & intelliget veritatem & substantiam earum rerum, quæ ipsi sunt per similitudines & parabolas traditæ. Porrò multoties jam in hoc libro adduximus tritum illud Rabbinorum nostrorum dictum, *Et in Mercava ne unicum quidem* sc instituent, *nisi fuerit sapiens & intelligens ex mente sua, & tùm tradent ipsi summa & principalia capita.* Quapropter non est inci-

Cur Lex per anthropopathetas loquatur.

cap.26.& 47.

piendum cum homine in hoc negotio, nisi pro mensura captus ipsius, & cum duabus istis conditionibus, *primò*, si fuerit sapiens, h.e. si imbutus fuerit scientiis illis, è quibus principia speculationis desumuntur; *secundò*, si fuerit intelligens, clari ac perspicacis ingenii, qui rem vel leviter indigitatam percipiat, quod sibi volunt, dum ajunt, *Et intelligens ex mente sua.* Verùm caussas quod attinet, quare vulgus non possit addiscere per vias speculationis veras, & cur non possit incipi cum illis à declaratione & descriptione ipsius quidditatis & naturę rerum, cur item res hęc expediens & necessaria sit, eas explicabo tibi capite proximè sequenti.

CAP. XXXIV.

De caussis, propter quas in discendo vel docendo non sit incipiendum à Sapientia Divina.

Caussæ, propter quas cursus studiorum non sit à Theologia incipiendus.

QUINQUE sunt caussæ, quæ impediunt ac prohibent, ne incipiantur studia à rebus Divinis, & ne quis vulgo vel plebi de illis ostendat ac revelet ea, quæ de illis sciri & intelligi possunt.

1. Profunditas & difficultas.

Eccles.7.24.

Job.28.12.

Incipiendum nō est à difficilioribus.

Prima caussa est Rei ipsius in se difficultas, subtilitas & profunditas, de qua Salomon ita loquitur: *Remotum quiddam est & profundißimum, quotusquisque illud reperiet?* Item Job, *At sapientia undénam invenitur?* Jam verò præposterum est in discendo incipere à difficilioribus & magis abstrusis. Hinc quoque in Parabolis Legis nostræ invenimus, quòd Sapientia comparetur Aquæ, id quod Sapientes nostri inter alia quoq; hoc modo exposuerunt: Is, qui natandi artem callet, educere potest margaritas è profundo maris; qui verò ejus est imperitus, in profundo submersus manet. Quare nemo id tentare debet, nisi qui in ea arte est exercitatus.

2. Ingenii humani incapacitas.

Secunda caussa est Brevitas & Tenuitas scientiæ omnium hominum ab initio: quia non datur homini perfectio ultima (*Intellectus* sc.) à principio, sed inest ipsi primò potentiâ tantùm, actu omni privata. Nam, *ut pullus onagri est homo, qui nascitur.* Neque sequitur, si

Job.11.12.

aliquid alicui insit potentiâ, necessarium esse, ut deducatur in actum. Fieri enim potest, ut in imperfectione sua maneat, idque vel propter impedimenta quędam externa, vel propter paucitatem & intermissionem studii operæque in illis rebus, per quas potentia illa posset

in

in actum deduci. Hinc dicitur expressè, *Non multi sapientes sunt*. Et hucpertinet illud Rabbinorum nostrorum, *Vidi filios cœnaculi, & erant pauci*. Nam plurima sunt, quæ nos à perfectione arcent & detinent. Præterea, quando perfectè satis præparabit se homo, & quando satis otii ipsi erit ad discenda omnia, quæ discenda sunt, ut ea, quæ potentiâ ipsi insunt, in actum perducantur? Job.32.9

Tertia caussa est Prolixitas & Multitudo præcognitorum, quibus homo instructus esse debet. Nam licèt homo naturaliter teneatur desiderio ad cognoscendos fines, tamen fit sæpè, ut tædium ipsum occupet, ac præcognita requisita derelinquat. Quòd si autem quis ad istiusmodi finem vel perfectionem posset pertingere sine præcedente cognitione illorum, tùm non forent præcognita, sed inanes defatigationes, & meræ superfluitates. Quilibet enim homo, ut-ut simplex & fatuus, ita comparatus est, ut si ex somno ipsum excitaveris, & ex ipso quæsiveris; an non desideret pernoscere, quæ sit natura, quis numerus, quæ forma & figura cœlorum? quid sint angeli? quâ ratione creatus sit mundus? in quem finem singulæ ejus partes ita sint ordinatæ & dispositæ? quid sit anima? undénam originem suam trahat? an à corpore separetur? & si separatur, quomodo separetur, & quónam deveniat? ac similia: tibi sine dubio sit responsurus, quòd sic: & appetet naturâ suâ veram & solidam rerum istarum cognitionem. Verùm volet, ut tranquillum sit hoc desiderium, & sine labore ac molestiâ, unoque & altero verbo cognitio ista sibi instilletur. Etenim si ipsi volueris imponere, ut vel per unicam septimanam negotia sua seponat, quò omnia ista addiscere & intelligere possit, minimè gentium id faciet, sed potiùs in imaginationibus suis falsis acquiescet, & spernet ea, quæ ipsi dicuntur de multitudine eorum, quæ præcognita habere oportet, de longitudine item temporis, quod ad ea requiritur. Tu verò nôsti, quòd hæc omnia arctissimè inter se cohæreant & connexa sint. Omnia enim, quæ sunt vel existunt, sunt vel Deus ipse, vel opera Dei, quæ sunt ea omnia, quæ sunt præter Deum. Jam autem non est alia via cognoscendi Deum, nisi ex ipsius operibus. Illa enim docent Deum esse, & de omnibus iis, quæ credenda sunt de eo, h.e. quæ de ipso affirmari vel negari debent. Quare necessariò consequitur, intelligenda esse probè Entia omnia & eorum naturam, ita ut ex unaquaque specie certa & necessaria principia desumere possimus, quæ nobis ad investigationem naturæ Dei inserviant. Quot enim principia desumuntur ex naturâ Numeri (h.e. ex

3. Multitudo rerum præcognoscendarum.

Arithmetica) & ex proprietatibus Figurarum in Geometria, quæ nos erudiunt de multis rebus, quæ removeri debent à Creatore, & quarum remotio nos porrò docet de aliis? Astronomiæ & rerum naturalium scientiam quod attinet, non video quomodo de illis dubitari possit: sunt enim res necessariæ ad intelligendam dispositionem & fabricam Mundi, atque ita faciunt ad intelligendum, quomodo Deus verè, non secundùm vanas imaginationes & conceptiones nostras Mundum regat & gubernet. Sunt præterea aliæ quædam Scientiæ Theoricæ sive Speculativæ, *(ut Logica & Metaphysica)*, unde licèt principia ad hanc Scientiam vel Sapientiam non petantur, tamen exercent Intellectum, & ipsi habitum comparant faciendi demonstrationes, & ex rei veritate naturam earum rerum, quæ demonstrantur, intelligendi, ac præterea tollunt errores multos, qui inveniuntur in opinionibus speculantium, ne accidentalia confundantur cum essentialibus, & quæ inde oriuntur absurdæ opiniones aliæ. Quibus omnibus & hoc adhuc addi debet, quòd ad formalem rerum, prout in se sunt, cognitionem hominem deducant. Et quamvis hæc non sint fundamenta Sapientiæ Divinæ: attamen usum necessarium exhibent in aliis rebus, quæ nos ad illam Sapientiam appropinquare faciunt. Quare cùm hæc ita se habeant, necessariò unusquisque, qui perfectionem humanam vult adipisci, instituendus primò est in arte Logica, deinde ordine in disciplinis Mathematicis, *(putà Arithmeticâ, Geometriâ, Astronomiâ &c.* has enim hoc loco intelligit per *Chochmoth limmudijoth)*, postea in scientia Naturali, ultimò in Divinis. Nunc autem invenimus multos, quorum intellectus fathiscit & deficit in addiscendis istis artibus & disciplinis: & licèt non deficiat, fieri tamen potest, ut morte absumantur, antequam perfectam illarum cognitionem habeant. Quocirca, nisi per Kabbalam, h. e. per Traditionem Scientia aliqua nobis data esset, &, si per exempla ac similitudines ad istam rem non deduceremur: sed intelligenda ac discenda omnia nobis essent formaliter per essentiales rerum definitiones, ac nonnisi per demonstrationes, omnia credenda: tùm certè, quia hoc nonnisi per longas præparationes fieri potest, major hominum pars diem suum obirent, antequam scirent, num Deus sit nec'ne? ut nil dicam de eo, quid de ipso affirmandum vel negandum & removendum sit? neque ab istiusmodi præmatura morte eriperentur, nisi fortè *unus ex urbe, & duo ex familia*, h. e. paucissimi *(locutio proverbialis & trita in Rabbinorum scriptis)*. Alios autem quod attinet, quos Deus

Deus *Seridim*, h.e. Superstites vel Residuos appellat, qui veluti è communi hominum sorte sunt exemti, illis summa & extrema perfectio non competit, nisi post notitiam istorum præcognitorum. Salomon ipse, mortalium omnium sapientissimus agnovit, quàm necessaria sint ista principia, & ostendit, fieri non posse, ut quis ad sapientiam hanc sine præeunte legitima in illis exercitatione perveniat, quãdo inquit: *Si hebetatum fuerit ferrum, & acies ejus non polita fuerit, quomodo exercitus vel fortitudines superabit?* (h.e. Si acies cultri alicujus vel gladii non fuerit acuta, & superficies ejus non benè polita, non poterit res duras superare, seu scindere: sed necesse est, ut priùs acuatur & poliatur:) *& rectificatio* (h.e. industria vel præparatio) *longè major requiritur ad sapientiam* (sc. acquirendam). Item, *Accipe disciplinam, ut sapiens fias in novissimo tuo.* Cæterùm, alia est adhuc Necessitas, propter quam principia ista sunt scienda & addiscenda, hæc nempe: dum homo studet, quàmplurima ipsi subinde nascuntur dubia, citiùs etiam addiscit contraria alicujus sententiæ, & quæ eam refellunt, quàm ejus confirmationem, quemadmodum faciliùs est domum aliquam destruere, quàm exstruere. Confirmatio autem assertionum, & solutiones dubiorum utplurimùm fluunt ex variis principiis, quę ex istis præcognitis desumuntur. Ideoque qui sine illis speculatur, similis est ei, qui pedibus suis ad certum aliquem locum ambulans & contendens, in profundam admodùm fossam incidit, è qua exeundi nulla ipsi est facultas nullumque consilium, donec moriatur. Nam tali homini longè satius fuisset, si iter illud intermisisset & quietus in loco suo substitisset. Eleganter admodùm & vivis coloribus Salomon in Proverbiis has pigrorum & pigritiæ ipsorum proprietates descripsit. Tota enim Parabola est de pigritia quærente sapientiam. Dicit ibi de desiderio ejus, qui desiderat scientiam finium, & tantùm desiderat, nullam operam impendendo discendis præcognitis, quæ eò deducunt, *Desiderium pigri interficit eum, quia renuerunt manus ejus facere quicquam. Totâ die concupiscit concupiscentiam: justus autem tribuit, nec cohibet.* Caussam, propter quam desiderium ejus ipsum interficiat, dicit esse, quòd non sollicitus sit de eo, quod desiderium ejus sedare posset; sed quòd tantùm desiderio suo indulgeat, ac nihil præterea agat, sperans eò se pervenire velle, quò perveniendi ipsi nulla suppetunt media & instrumenta. Unde si desiderium suum planè relinqueret, longè ipsi foret consultius. Sed animadverte, quomodo finis

Jerem. 3. 14.

Eccles. 10. 10.

Proverb. 19. 20.

Simile.

Prov. 21. 25. 26.

finis hujus parabolæ principium ejusdem declarat, cùm dicitur. *Justus verò tribuit, nec cohibet.* Justus enim pigro non aliâ ratione opponitur, nisi quatenus, prout alibi explicuimus, justus tribuit unicuiq; rei, quod suum est, h.e. tempus suum totum impendit studiis, neq; ab eo quicquam detrahit, ut aliis negotiis tribuat, quasi dixisset, *Justus tribuit omnes dies suos sapientiæ, neq; illis detrahit,* quemadmodum simili

Proverb. 31. 3. sensu alibi dicit, *Ne des mulieribus robur tuum,* (continuè sc., & omne robur tuum). Atque hoc morbo laborant multi celeberrimi & clarissimi Viri, quòd velint primò inquirere & investigare fines, ac de illis disserere, sine protheoria & præcognitione principiorum requisitorum. E quibus nonnulli sunt, qui ex ignorantia vel superbia illa vituperant, (quia nempe vel nequeunt illa comprehendere, vel ad ea addiscenda pigri nimis & ignavi sunt), ac demonstrare & probare conantur, illa summè esse perniciosa ac inutilia. Sed veritas intelligenti clara est.

4. *Dispositio vel Constitutio Naturalis.*

Non pauca, quæ hic habet, videntur Pelagianismum sapere, ideoq; cum judicio legenda.

Quarta ratio est Dispositio naturalis. Hanc quod attinet, demonstratũ est, Qualitates morũ esse præparationes Qualitatum rationaliũ, neq fieri posse, ut rationalia sint vera, h.e. ut intelligibilia *(activè, facultates sc. Intellectus)* sint perfecta, nisi in eo, qui bonis, placidis, ac constantibus moribus est prædicus. Sunt autem quidam, qui à principio nativitatis suæ ejusmodi temperamentum nacti sunt, cum quo perfectio nullo modo potest consistere; ut E.G. Qui cor habet vehementer calidum & forte, iræ fræna ponere non potest, etiamsi summam adhibuerit exercitationem. Sic, qui naturæ est calidæ & humidæ, robustæque constitutionis, rarissimè timet peccatum, quodcunque huic malo cupiat remedium adhibere. Ita reperies quosdam, qui sunt leves & inquieti, quorum motus inordinati & perturbati, de corruptione compositionis & malitia temperamenti, quod nequit corrigi, luculenter testâtur. In talibus hominibus nunquam videtur Intelligentia perfecta, ac proinde cum illis aliquid tentare velle in hoc negotio, mera est stultitia. Sapientia quippe hæc longè aliter comparata est, quàm Medicina, & Arithmetica vel Geometria. Quilibet ad eam propter rationes jam dictas, non est aptus; & requirit quoque necessariò præcedaneam præparationem in bonis moribus, per quos homo constituatur in summo gradu rectitudinis & perfectionis;

Proverb. 3. 32. *Abominatio enim Domini est perversus, cum rectis verò secretum ejus est.* Ideoque non docent eam pueros & juvenes, quia propter fervorem naturæ non sunt ad eam recipiendam idonei, & propter flammas juveniles, quæ mentes illorum annis crescen-

crescentibus & pubescentibus occupant, donec extincta sit illa flamma immoderata, & ipsi constantiores ac sedatiores existant, animum suum nôrint deprimere, atque temperamentum corrigere & emendare. Tùm enim demùm admitti & promoveri debent ad istum gradum, Apprehensionem nempe Dei Opt. Max., sive Sapientiam Divinam, quæ *Opus Mercavah* vocatur, sicut dicitur, *Propinquus Dominus contritis corde.* Item, *Excelsum locum & sanctum inhabito, & cum contrito & humili spiritu* &c. Hinc scribunt in Talmud ad id, quod dicitur, *Tradant ei principalia capita: Non tradunt principalia capita nisi Patri domus judicii, cujus cor dolore & mœrore affectum est,* innuentes, requiri mansuetudinem, humilitatem, & timorem peccati cum sapientia. Et ulteriùs ibidem dicitur; *Non tradunt secreta Legis, nisi* lejoez, h.e. *Consiliario*, vachacham charaschim, h.e. *& Sapienti artificum*, unevon lachasch, h.e. *& perito eloquentiæ*. Hæ autem res in nemine esse possunt sine dispositione & inclinatione naturali. Quidam enim homines planè non pollent consilio, qui tamen sunt intelligentes & ingeniosi admodùm. Alii verò sunt, qui in rebus politicis, ad gubernationem hominum & animorum ipsorum pertinentibus, bonis & salutaribus consiliis sunt instructissimi, qui *Consiliarii* nomine indigitantur, ast interim in rebus intelligibilibus, etiam primis & facillimis, nihil quicquam intelligunt, sed sunt ignorantes, imperiti, & omni ingenio ad eas destituti, *Ut quid est pretium in manu stulti, ut emat sapientiam, & cor non est ei?* Alii sunt intelligentes, ingenii clari & perspicacis, qui nôrunt res verbis brevibus & concinnis complecti. Hi comprehenduntur sub *Nevon lachasch*, h.e. perito eloquentiæ. Verùm quia nullam impendunt operam, ideò quoq; scientias & artes non assequuntur. Qui verò scientiam habet artium in actu ipso, & habitum illarum, is vocatur *Chacham charaschim*, h.e. Sapiens artificum, vel Sapiens, Peritus artifex, de quo dicunt, *Quando ipse loquitur* (sc. de verbis Legis), *omnes fiunt surdi*, (quia sc. tàm doctè, tàm solidè & profundè de illis disserit). Ex his vides, quantum Sapientes nostri ab homine requisiverint, antequam ei traderent Secreta Legis; ut nempè perfectus sit tùm in negotiis politicis & practicis, tùm in scientiis theoricis, ac præterea naturæ bonæ, ingeniosus & eloquens, qui sciat res accuratè & propriè proponere. Hinc legimus ibidem, quòd cùm *R. Jochanan* ad *R. Elieser* dixisset, Veni & docebo te opus Mercavah, *R. Elieser* respondérit, Nondum consenui, ac sentio adhuc fervorem naturæ, & motus juveniles. Quare cùm requisiverint non solùm justam ætatem,

Psal. 34. 19.
Jesa. 57. 15.
Prov. 17. 16.

sed etiam honestos mores, sive virtutem, quomodo huc admitti possent promiscuè quivis homines, idiotæ, plebeji, mulieres, infantes &c.?

5. Occupationes sive cura rei familiaris & domestica. *Quinta caussa* est Occupatio circa necessitates corporis, quæ sunt prima perfectio, *(ut circa victum, amictum &c.)* præsertim si conjuncta sit cura de uxore & liberis: ut nihil jam dicā de studio hominis pravo & perverso, quod ponere solet in acquirendis rebus superfluis, quod frequens & vulgare est vitium. Nam si homo perfectus quoq; occupatus nimiùm sit in istis rebus necessariis, (quantò magis, si in non necessariis?) ac desiderium illius accrescat; appetitus ejus rerum speculativarum decrescit & suffocatur, ac remissè, negligenter & longè minori curâ & industriâ eas persequitur: quin etiam sæpissimè non apprehendit id, quod apprehendere posset, vel consequitur apprehensionem confusam & turbatam, mixtam ex apprehensione & ignorantia.

Quocirca ex caussis adductis res istæ conveniunt tantùm hominibus singularibus, peculiaribus donis instructis, non autem promiscuè omnibus: ideoque occultandæ sunt à tyronibus & ab incipientibus, arcebunturque ab illis omnes, qui non sunt idonei, non aliter atque prohibetur puer ab esu crassorum ciborum, aut à gravioribus oneribus.

CAP. XXXV.

Quòd necesse sit, ut per Cabbalam tradatur Remotio corporeitatis &c.

NOLI existimare, quòd sub iis, quæ in præcedentibus capitibus, de Magnitudine hujus Sapientiæ, de ejus Occultatione, & difficultate Apprehensionis, præmisimus, comprehensa quoque sit Remotio corporeitatis, earumque actionum vel passionum, quæ in hoc negotium ingrediuntur. Nequaquam. Nam, quemadmodum summè necessarium est, ut hæc doctrina in vulgo diffundatur, & in ea pueri initientur, quòd sc. Deus sit unus, quòd nullus alius sit colēdus præter ipsum: sic quoque non minùs necessarium est, ut per Cabbalam ipsis tradatur, quòd Deus non sit corporeus, quòd nulla sit similitudo inter ipsum & creaturas ejus, ne quidem in re minimâ, quòd ipsius Esse non sit sicut Esse illarum, nec Vita ejus sicut vita animantium, nec Sapientia ejus sicut sapientia alicujus hominis, quòd etiam differentia inter Ipsum & Creaturas non consistat tan-

Incorporeitas Dei tradenda per Cabbalam.

tùm

tùm in multitudine & paucitate, vel magnitudine & parvitate, sed in ipsa specie essentiæ: h. e. firmiter unicuique tenendum est, quòd Sapientia ejus & sapientia nostra, Fortitudo ejus & fortitudo nostra, non differant secundùm paucitatem vel exiguitatem & multitudinem, secundùm intensionem vel remissionem, aut simili quâpiam in re. Forte enim & debile necessariò in specie conveniunt, & definitione unâ comprehenduntur: horumque respectu comparatio fit inter duas res, quæ unum sunt specie, prout hoc explicatur in Scientiis Naturalibus. Quâcunque autem in attributione vel proprietate Deus nobiscum conferatur, toto cœlo ipsius proprietates à nostris differre semper observabimus, nec utrasque sub una definitione comprehendi posse. Sic existentia vel existere dicitur de Ipso & aliis extra Ipsum æquivocè, prout alibi explicabo. Atque hæc mensura sufficit pro pueris & pro plebe, quando sciunt, Deum esse, & esse perfectissimum, sine corpore vel potentia aut facultate aliqua corporea, sine omni imperfectione, ac per consequens nulli passioni obnoxium. Verùm quod attinet negotium de attributis Dei (*sc. essentialibus*), quatenus illa ab ipso removeantur, & quis sensus sit aliorum attributorum, quæ ipsi attribuuntur (*metaphoricè sc.*), Creationem item Mundi, Gubernationem ejusdem, Providentiam, Voluntatem Dei, Apprehensionem, Scientiam & Notitiam ejusdem, Prophetiam & ejus gradus, Nomina item Dei, quæ licèt multa sint, tamen de ejus unitate docent; hæc om̃nia sunt res profundæ & abstrusæ, ac verè Mysteria Legis, quorum passim mentio fit in libris Prophetarum & Rabbinorum nostrorum, & de quibus non decet loqui nisi secundùm præcipua illarum capita, ut antè ostendimus, & quidem coram tali, qualem præcedenti capite descriptum vidimus. Remotio autem corporeitatis, similitudinis item & passionis à Deo, sunt tales res, quæ cuivis, uti se habent, sunt aperiendæ & explicandæ; easque per Kabbalam & oralem traditionem tradere parvulis & mulieribus, indoctis & imperitis, est necessarium, quemadmodum traditur ipsis, quòd sit Unus, Æternus, & quòd nulli alii præter Ipsum sit serviendum. Nam non constat Unitas, nisi per remotionem corporeitatis: corpus enim non est unum, sed compositum ex materia & forma, quæ sunt numero duo. Præterea dividi potest, & recipit divisionem. Hæc cùm acceperint, in iisque exercitati fuerint, sed in dictis Prophetarum hæsitent & confundantur, tùm illa ipsis ordine & distinctè exponentur & declarabuntur, admonebunturque de homonymiis & metaphoricis usurpationibus

Proprietates Dei quomodo à nostris differãt.

Quantum & quid pueros & communem plebem de Deo docere liceat.

Quid nõ liceat.

vocabulorum, quæ in illis occurrunt, ut confirmetur in illis fides de Unitate Dei, atque ita fide perfectâ credant libris Prophetarum. Quòd si autem quis imbecillioris fuerit ingenii, quàm ut comprehẽdere & intelligere possit explicationes versuum illorum, & quomodo nomen aliquod in diverso sensu usurpetur, ei dicetur, explicationem illam intelligi à Sapientibus & ab eruditis: ipsi sufficere, ut sciat, quòd Deus Benedictus non sit corporeus, neque passioni alicui obnoxius, (quia Passio species est Mutationis: in Deum autem non cadit mutatio:) quòd item nulli rei assimilari, & cum nulla alia re sub una eademque definitione comprehendi possit; & tandem, quòd verba Prophetarum vera sint, ac certam expositionem habeant. Et hic cum ejusmodi ingeniis subsisti potest. Neque enim necesse est, ut argumentis confirmetur scientia hominis in articulo Corporeitatis & affectionum corporis: quemadmodum non est necesse, ut argumentis confirmetur ipsi, Nullum esse Deum, vel Deum non habere socium & æqualem, vel Non esse alium Deum colendum.

CAP. XXXVI.

Quare Deus dicatur Irasci, *&* Zelotypiâ affici.

QUANDOQUIDEM adhuc de variis, quæ Deo tribuuntur, Attributis agimus, explicabo tibi quoque, quo respectu de Deo dicatur, quòd res aliqua ipsi placeat, vel displiceat, & ad iram provocet. Non est autem intentio nostra in hoc capite explicare, quâ ratione de hominibus dicatur, quòd ipsi Deo placeant, vel ipse iis irascatur: verùm hoc volumus.

Ira, Furor, Indignatio, Zelotypia, *nunquam attribuitur Deo, nisi propter Idololatriam.*

Quòd si consideraveris & inspexeris totam Legem, omnesque Prophetarum libros, nunquam invenies has voces, *Charon* Furor, *Aph* Ira, *Caas* Indignatio, *Kinah* Invidia, Aemulatio, Zelotypia, Deo attribui, nisi quando agitur de Idololatria. Præterea etiam, non invenies aliquem vocari *Hostem, Inimicum, Osorem Dei*, nisi propter
Deut.11.16.17. Idololatriam: ut, *Ne colatis Deos alienos* &c. *unde excandescat in vos ira*
Deut.6.14.15. *Domini.* Sic, *Non ambulabitis post Deos alienos* &c. *ne fortè irascatur fu-*
Deut.31.29. *ror* DOMINI DEI *tui in te.* Item, *Irritando, vel ad iram provocando*
Deut.32.21. *eum opere manuum vestrarum.* Item, *Ipsi zelare fecerunt me in re, quæ non*
Deut.6.15. *est Deus, irasci fecerunt me in vanitatibus suis.* Item, *Deus enim zelotes Do-*
Jerem.8.19. *minus Deus tuus* &c. Item, *Quare irasci fecerunt me sculptilibus suis, &*

vani-

vanitatibus Dei alieni? Item, *Præ ira in filios suos & filias suas.* Item, *Quia ignis accensus est in furore meo, super vos ardebit.* Item, *Ulciscitur se de hostibus suis.* Item, *Retribuit odio habenti ipsum.* Item, *Donec expulerit inimicos suos de facie sua.* Item, *Id quod odio habet Dominus Deus tuus.* Item, *Omnem abominationem Domini, quam odit.* Et sic in aliis locis innumeris, quæ omnia si percurras, invenies cuncta hoc sensu esse dicta. Hanc verò amplificationem vel potiùs exaggerationem adhibuerunt Prophetæ, quia error iste, Idololatria inquam, Deum ipsum attingit. Nam qui credit Rubenem stare, quando sedet, non tàm longè declinat à veritate, sicut is, qui credit Elementum ignis esse sub aëre, vel Elementum aquæ esse infra terram, aut Terram esse expansam, vel simile quid: & hic secundus non tantum declinat à veritate, sicut ille, qui credit Solem oriri ex Igne, vel sphæram, sive cœlum, dimidium tantùm esse globum, aut simile quid: hic autem tertius non tantoperè deflectit à vero, quemadmodum is, qui credit Angelos comedere & bibere, vel tale quid agere: atque hic quartus non tàm graviter errat sicut is, qui credit alium colendum esse Deum. Quando enim ignorantia & incredulitas vel negatio dependet à re aliqua magna & excellente, longè habetur major & gravior, quàm si versatur circa rem levem & ignobiliorem. Negationem voco, quando aliquid credimus aliter quàm se habet. Ignorantiam, ignorationem simplicē ejus rei, quæ sciri potest. Sic ignorantia ejus, qui ignorat, quæ sit proportio coni ad cylindrum, vel qui ignorat Solem esse rotundum, non est tàm crassa, sicut illius, qui ignorat, num sit Deus in Mundo, necne. Et negatio ejus, qui credit conum dimidiam esse partem cylindri, *(est enim tertia pars, juxta Euclid. Geom. l.5.th.10.prop.10.)* vel qui negat Solem esse rotundū, non est tanta, quāta illius, qui negat unum tantùm esse Deum. Porrò, Idololatras quod attinet, nôsti, neminem illorum hac opinione Idolum colere, quasi nullum præter illud existimaret esse Deum: nemo etiam hominum unquam extitit, vel existet, qui sibi imaginetur, figuram illam, quam ex metallis, lignis vel lapidibus confecit, creâsse cœlum & terram, illaque gubernare: verùm colunt illa, quatenus ea habent pro rebus intermediis inter ipsos & Deum Opt. Max., sicut hoc clarè nobis exponitur à Jeremia, cùm ait; *Quis non timebit te Rex gentium?* &c. Item, *Et in omni loco incensum offertur* לִשְׁמִי h.e. *Nomini meo*, vel *propter me.* Indicat enim *(vox sc.* לִשְׁמִי *Nomini meo)* caussam primam *(propter quam se offeratur incensum)* ex opinione ipsorum *(idololatrarum).* Sed de ista re jam egimus in majore nostro Opere: neque etiam

Deut.32.19. Jerem.15.14. Nah.1.2. Deut.7.10. Num.32.21. Deut.16.22. Deut.12.31.

Idololatra quomodo Idola colant.

Jerem.10.7. Mal.1.11.

his ullus Sapientum Legis nostræ contradicit. Quamvis autem Hæretici illi *(idololatra)* credant, Deum esse, quia tamen ipsorum Negatio vel Hæresis consistit in eo, quod Deo soli debetur (cultu sc. & celebratione, sicut dicitur, *Et coletis Dominum* &c.), & per quod confirmatur in animis plebis, Deum esse; quasi nempe id aliis quoque deberetur, vel ad alios etiam pertineret: ideò miseram plebem eò adducit, ut non credant Deum esse. Apprehendunt enim illi *(plebs videlicet)* cultus tantùm externè *(existimantes, illum esse Deum, qui ab omnibus colitur)*: non verò rationes eorundem, neque etiam veritatem illius, qui colitur. Hac verò re nil nisi mortem consequuntur, Deut.20.16. sicut dicitur, *Non relinques vivam ullam animam*, ut sc. tollatur falsa ista opinio, neque per illam alii quoque perdantur: hæc enim causIbid.v.18. sa expresse additur: *Ne doceant te facere secundùm omnes abominationes suas.*

Quòd si ergo isti vocantur Hostes, Inimici, Osores Dei, & de eis dicatur, quòd ad Iram & Zelotypiam ipsum provocent; quæ ratio erit eorum, quorum hæresis immediatè tangit Deum ipsum, & qui multa credunt de Deo falsa & absurda, h.e. qui vel negant Deum verum ejusque essentiam, vel qui duos Deos credunt, vel qui Deum credunt esse corporeum, & passionibus vel imperfectionibus aliis subjectum & obnoxium? Hi enim longè deteriores sunt illis, qui idola colunt, quasi mediatores vel res intermedias inter Deum & ipsos, ac benefaciendi vel malefaciendi virtutem habentes. Quare certò persuasum habeas, si credas corporeitatem, vel affectiones & qualitates corporis, te longè graviùs Deum offendere, & ad iram ac zelotypiam provocare, multò etiam truculentiorem te esse Dei Hostem, Inimicum, & Osorem, quàm is est, qui exercet Idololatriam. Neque existimes, eum, qui corporeitatem credit, excusari posse, si dicamus, illum in ea sententia educatum esse, vel meliora nescire, vel obtusioris esse ingenii: sic enim idololatra quoque excusari potest, quòd id faciat vel ex ignorantia, vel ideò, quia in ea consuetudine à parentibus suis educatus sit. Non est etiam quòd dicas, sensum legis litteralem illos in hunc errorem conjecisse: nam & idololatræ ad cultum suum moventur per falsas & inanes suas imaginationes. Quæ omnia cùm ita se nunc habeant, omni planè excusatione carent ii, qui cùm ipsi ingenio non sint idoneo ad harum rerum speculationem, ab iis, qui veritatem solidè intelligunt, eam nolunt accipere. Nam non reputo illum pro Hæretico, qui non adducit (h.e. *qui non potest adducere*) demonstrationes ad remo-

Ignorantia & Educatio nō excusant hæresin.

ven-

vèdam corporeitatem; sed eum pro Hæretico habeo, qui non credit ipsius remotionem: inprimis cùm Onkelos & Jonathan tàm sollicitè omnia, quæcunque potuerunt, hac in parte declinârint.

Et hoc volebamus in isto capite.

CAP. XXXVII.

In quo explicatur vox פנים Panim *Facies.*

PANIM *Facies*, vox est valdè æquivoca. פנים Facies.

Primò significat Faciem cujuslibet animantis; ut, *Et versæ sunt omnes* panim *facies in pallorem.* Item, *Quare* penechem *facies vestræ malæ sunt?* Jerem.30.6. Gen.40.7.

Deinde significat Iram, Indignationem: ut, Uphaneha *Et facies* (ira) *ejus non erat illi ampliùs.* Hoc sensu sæpè usurpatur de Dei Indignatione & Furore: ut, Pene *Facies* (ira) *Dei divisit eos.* Item, Pene *Facies* (ira) *Domini super facientes malum.* Item, Panaj *Facies* (ira) *mea discedet, & requiescere faciam te.* Item, *Et ponam ego* panaj *faciem meam* &c. Et sic frequentissimè. 1.Sam.1.18. Thren.4.16. Psal.34.17. Exod.30.14. Levit.20.5.

Tertiò sumitur pro essentia hominis & statu ejus (h.e. *de præsentia, & persona hominis*): ut, Al pene *In faciebus omnium fratrum suorum mortuus est.* Item, Al pene *In faciebus omnis populi glorificabor*, h.e. coram ipsis, ipsis præsentibus. Sic, *Nisi in faciem* el panim *maledixerit tibi*, h.e. in tua præsentia. Hoc sensu dictum est: *Et loquutus est Dominus ad Mosen* panim el panim *de facie ad faciem*, h.e. in propria persona, coràm, absque medio, sicut dicitur, *Age videndos nos præbeamus* panim *de facie*, & sicut alibi dicitur, Panim bepanim *De facie ad faciem loquutus est Dominus vobiscum.* Quæ quomodo intelligenda sint, clariùs in alio loco exponitur: *Vocem verborum audivistis, & similitudinem nullam vidistis præter vocem:* & tamen de hac ait, *De facie ad faciem.* Quare eodem modo & in illo, *Et loquutus est Dominus ad Mosen de facie ad faciem*, capiendum de enarratione verborum, h.e. *decem præceptorum*, sicut dicitur, *Et audivit vocem loquentem secum.* Unde vides, quòd Auditio vocis sine intermedio & interventu Angeli, cognominetur phrasi illâ, *De facie ad faciem.* Tandem ex tertia hac significatione est & illud, Uphanai *Et facies mea non videbuntur*, sensus enim est: Veritas essentiæ meæ, seu ipsa Essentia mea prout est, non potest apprehendi. Gen.25.18. Lev.10.3. Jobi 1.11. Exod.33.11. 2.Chron.25.17. Deut.5.4. Deut.4.12. Exod.33.11. Num.7.89. *Quid significet*, De facie ad faciem. Exod.33.23.

Quartò denotat vox hæc *Panim* circumstantiam Loci, significatq; id, quod est in facie hominis, vel coram homine *(in uno eodemq; loco)* & inter manus ejus. Hoc sensu usurpatur sæpè de Deo Benedicto,

ut

ut cùm dicitur, Liphne *Ad faciem Domini.* Et ex hac significatione est
Exod.33.23. quoque illud secundùm expositionem Onkeli; *Et facies mea non videbuntur.* Sic enim transfert, *Et quæ coram me sunt, non videbuntur*, innuens, esse sublimes & nobiles quasdam creaturas, quas homo non possit apprehendere prout sunt, Intelligentiæ sc. separatæ & abstractæ, de quibus ait, quòd coram Deo sint & inter manus ejus jugiter, propter summam curam & providentiam, quam continuè de illis habet. Ea autem, quæ apprehendi possunt juxta ipsum (Onkelum inquam), sunt illa, quæ in inferiori & ignobiliori sunt gradu essentiæ, h.e. substantiæ, materiæ & formæ, *(ut sunt corpora naturalia tam simplicia quàm composita).* De his ait, *Et videbis quæ post me sunt*, q.d. ea Entia, quæ sunt ac si ego ab eis declinarem, eaque post tergum meum projicerem: parabolicè; quia longiùs remota sunt ab essentia Dei. Et hæc quidem Onkeli est expositio: meam sententiam de eo, quod Moses à Deo petiit, audies infrà cap.54.

Quintò habet quoque significationem Temporis, & significat
Ruth.4.7. idem quod *Kodem* Antè, Antea, Antequam: ut, Lephanim *Antè in*
Psal.102.26. *Israële.* Item, Lephanim *Antea*, vel *Antequam terram fundasti.*

Sextò deniq; significat Curam & Providentiam, vel Respectum: ut,
Levit.19.15. *Non accipies* pene *facies egeni.* Item, *Et acceptus* panim *faciæ.* Item, *Qui*
Jobi 22.8. Deut.28.50. *non accipit* panim *facies.* Sicque sæpissimè. Et juxta hanc significatio-
Num.6.26. nem accipiendum illud quoque: *Tollet Dominus* panav *faciem suam super te, & ponet te pacem.* Vult enim dicere; Comitabitur nos ipsius providentia.

CAP. XXXIIX.
In quo explicatur vox אחור Achor, Achare *Post, Posterius &c.*

אחרי אחור Post.
Exod.26.12. ACHOR Vox est homonyma, & *primò* significat Tergum, Dorsum: ut, Achore *Posteriora* h.e. Tergum *Tabernaculi.* Item,
2.Sam.2.23. *Et exivit hasta* meacharav *è posterioribus ejus.* (h.e. è tergo ejus.)
2.Reg.23.26. *Deinde* significat quoque Tempus: ut, Veacharav *Et post eum non*
Gen.22.20. *surrexit sicut ille.* Item, *Post verba illa.* Et sic multoties.

Tertiò, significat Post rem aliquam sequi, vel mores & virtutes ali-
Deut.13.5. cujus imitari: ut, Achare *Post Dominum Deum vestrum ibitis.* Item,
Hos.11.10. Achare *Post Dominum ibunt.* In quibus significat, Sequi voluntatem ejus, & Ambulare in viis operum ipsius, ejusque virtutes imitari. Sic
Hos.5.11. dicitur, *Ambulavit* achare *post præceptum.* Et hoc sensu dictum est, *Videbu*

debis posteriora mea, h.e. apprehendes ea, quæ sequuntur me & mihi assimilantur, quæq; ex voluntate mea consequuntur, h.e. creaturas meas omnes, sicut in aliis capitibus à me explicatum.

CAP. XXXIX.

In quo explicatur homonymia vocis לב Lebh *Cor.*

LEBH Vox est homonyma, & *primò* quidem est nomen Membri, in quo est principium vitæ omnium animantium: ut, *Et infixit ea* belebh *in cor Absalomi.* לב Cor. 2.Sam.18.14.

Quandoquidem verò Membrum hoc est in medio corporis, accommodatur *secundò* ad cujusvis rei Medium: ut, *Usq; ad* lebh *cor cœli.* Deut.4.11. Item, Belabbat *In corde ignis.* Exod.3.2.

Tertiò sumitur quoq; pro Cogitationibus: ut, *Nónne* libbi *cor meum ivit tecum?* h.e. Nónne fui occupatus in cogitationibus meis, cùm sic & sic accideret? Et ex hoc sensu est, *Non videbitis post* levavchem *cor vestrum*, h.e. nō sequemini cogitationes vestras. Item, Ascher levavo *Cujus cor avertat sese hodie*, h.e. cujus cogitatio se avertat. 2.Reg.5.26. Num.15.39. Deut.29.18.

Quartò significat Consilium: ut, *Omne residuum Israëlis* lebh *corde uno erant, ut constituerent Davidem Regem*, h.e. consilii unius erant. Item, *Stulti ob defectum* lebh *cordis moriuntur*, h.e. ob defectum & inopiam consilii. Item, *Non* יֶחֱרַף לְבָבִי jecheraph levavi *cor meum omnibus diebus meis*, h.e. non declinabit consilium meum: sic enim versus ille incipit, *Justitiam meam fortificabo, nec deseram eam &c.* De sensu autem isto vocis *Jecheraph* est meo judicio & illud, *Ancilla* נֶחֱרֶפֶת *necherephet leisch* (h.e. quæ viro appropriata, desponsata est). Sic in Lingua Arabica vox similis est מנחרפה, quæ significat eum, qui à servitute declinat, & transit ad matrimonium. 1.Chron.12.38. Prov.10.21. Job.27.6. Lev.19.26.

Quintò significat Voluntatem: ut, *Et dabo vobis pastores secundùm cor meum* kelibbi. Item, *An* im levavecha *cum corde tuo rectum sicut cum corde meo?* q.d. An est voluntas tua recta sicut mea? In hac significatione usurpatur de Creatore: *Quemadmodum est* bilvavi *in corde meo & in animo meo, faciet*, h.e. faciet secundùm voluntatem meam. Item, *Et erunt oculi mei* velibbi *& cor meum ibi omnibus diebus*, h.e. providentia mea & voluntas mea. Jerem.3.15. 2.Reg.10.15. 1.Sam.2.35. 1.Reg.9.3.

Sextò significat Mentem, Intellectum: ut, *Homo verò vacuus* jillavef *efficitur cordatus*, h.e. fit intelligens. Item, Lebh *Cor sapientis ad dexteram ejus*, h.e. Intellectus ejus in rebus perfectis. Sic alibi. Et in hoc Job.11.12. Eccles.11.12.

H

Quo sensu Cor Deo attribuatur. Cor significato passim attribuitur Deo Benedicto, paucis locis exceptis, in quibus pro Voluntate usurpatur. Singula autem secundùm suum sensum sunt exponenda. Sic legimus, *Revocato ad cor tuum* el

Deut.4.39. levavecha. Item, *Et non revocat ad cor suum* el libbo. Et sic, quæcunq;

Jesa.44.19. his similia reperiuntur, sunt ex notione Intellectus, quemadmodum

Deut.29.4. dicitur, *Et non dedit vobis Dominus cor ad intelligendum.* Item, *Tibi ostensum*

Deut.4.35. *est, ut scires, quòd Dominus est Deus.* At verò quod illud attinet, *Diliges*

Deut.6.5. *Dominum Deum tuum in toto corde tuo* bechol levavecha, id, meo quidem judicio, idem valet ac, omnibus viribus cordis tui, h.e. omnibus viribus & facultatibus corporis: principium enim omnium provenit ex corde. Sensus ergo est: Omnium actionum tuarum finis erit Apprehensio Dei, quemadmodum exposuimus in Commentario nostro super Textum Talmudicum, & in Opere nostro Talmudico.

CAP. XL.

In quo explicatur vox רוח Ruach *Spiritus.*

רוח Ventus, Spiritus. RUACH Vox est homonyma. Significat enim *primò* Aërem, h.e. unum ex quatuor Elementis: ut, Veruach *Et spiritus Domini*

Gen.1.2. *incubabat super aquas.*

Exod.10.13. *Deinde* significat Spiritum flantem, h.e. Ventum: ut, Veruach *Et spi-*

Ibid.v.19. *ritus* (ventus) *Orientalis attulit locustas.* Item, Ruach *Spiritus Occidentalis.* Et sic sæpissimé.

Psal.78.39. *Tertiò* sumitur pro Spiritu vitali: ut, Ruach *Spiritus abit & non revertitur.*

Gen.6.17. Item, *In quo* ruach *spiritus vitæ.*

Quartò sumitur de parte illa hominis incorruptibili, quæ super-

Eccles.12.7. stes remanet post mortem: ut, Veruach *Et spiritus hominis redit ad Deum, qui dedit eum.*

Quintò, significat Influentiam illam intellectualem divinam à Deo Prophetis instillatam, cujus virtute prophetant, quemadmodum hoc explicaturi sumus, quando de Prophetia agemus, cujus ra-

Num.11.17. tio in hoc libro nobis quoque pertractanda: ut, *Et separabo* min ha-

Ibid.v.26. ruach *de spiritu qui est in te, & ponam in eis.* Item, *Et fuit cùm quievisset*

2 Sam.23.2. *super eos* haruach *spiritus.* Item, Ruach *Spiritus Domini loquutus est in me &c.*

Prov.29.11. *Sextò* significat quoque *Propositum*, & *Voluntatem*: ut, Kol rucho *Omnem spiritum suum profert stultus*, h.e. omnem intentionem, voluntatem

tem suam. Sic, *Et exhaurietur* ruach *spiritus Aegypti in medio ejus,& consilium ejus absorbebo*,h.e.dissipabitur propositum ipsius,& gubernatio ejus abscondetur. Sic,*Quis direxit* ruach *spiritum Domini,& quis vir consilii ejus,ut indicare possit eum?* h.e.Quis est, qui sciat ordinem voluntatis ejus,aut qui apprehendat & assequatur,quâ ratione hanc rerum universitatem gubernet, & qui eam indicare possit? quemadmodũ hoc alibi quoq; declaraturi sumus. Vides ergo,quòd vox hęc *Ruach*, quando Deo attribuitur,ubiq. sumatur partim in quinta,partim in sexta & ultima significatione,quatenus Voluntatem significat. Exponatur in unoquoq; loco pro ratione rerum & circumstantiarum. Jesa.19.3. Jesa.40.13. *Quo sensu Deo attribuatur.*

CAP. XLI.
In quo explicatur vox נֶפֶשׁ Nephesch *Anima.*

NEPHESCH Vocabulum est æquivocum, & *primò* quidem est nomen generale Animæ,cujusvis viventis sensu præditi: ut,*In quo* nephesch *anima vivens.* נפש Anima. Genes.1.30.

Deinde sumitur quoq; pro Sanguine:ut,*Non comedes* hannephesch *animam cum carne.* Deut.12.23.

Tertiò significat in specie Animam rationalem,h.e.formam hominis: ut,*Vivit Dominus,qui fecit nobis* hannephesch *animam hanc.* Jerem.38.16.

Quartò denotat rem illam, quæ etiam post mortem hominis superstes manet: ut, *Et erit* nephesch *anima Domini mei ligata in fasciculo viventium.* 1.Sam.25.29.

Quintò significat Voluntatem : ut, *Ut alligaret Principes ejus* benaphscho *secundùm animam suam* , h. e. pro voluntate sua. Sic,*Ne des me* benephesch *in animam hostium meorum*, h.e. Ne tradas me arbitrio & libidini ipsorũ. Sic,*Si est* im naphschechem *cum anima vestra ad sepeliendum mortuum meum*,h.e.si est mens & voluntas vestra.Item, *Si staret Moses & Samuel coram me,non esset* naphschi *anima mea ad populum istum*, h. e. non esset mihi voluntas in illis,q.d. non vellem eos conservare. Atque ita usurpatur vox *Nephesch* Anima,pro Voluntate, quotiescunque occurrit de Deo Benedicto, ut V. G. in nuper citato loco , *Quemadmodum in corde meo* ubenaphschi *& in anima mea, faciet*, sensus enim est, In voluntate mea , & in animo meo. Sic expono & illud , Vattikzar naphscho *In labore Israëlis* , h. e. Et desiit , cessavit voluntas ejus ab affligendo Israële. Jonathan versum istum non exposuit, quòd existimârit, *Animam* hîc sumi Psal.105.22. Psal.27.12. Gen.38.8. Jerem.15.1. *Quo sensu Deo attribuatur.* . cap.39. Jud.10.16.

in prima ſignificatione, unde ſequeretur paſsio *(h.e. Deum paſsioni eſſe obnoxium)*: quare illum intactum reliquit. Quòd ſi verò intelligatur in hoc poſtremo ſignificato, expoſitio clara eſt & plana. Præceſsit enim, quòd Dei providentia ipſos deſeruerit, neque Deus ipſos ſervârit, donec mortui fuerunt & clamaverunt ad quærendam ſalutem. Poſtquàm verò ſeriam egiſſent pœnitentiam, miſeria ipſorum invaleſceret, inimiciq; eorum prævalerent, miſertus eſt illorum, ac ceſſavit voluntas ejus, crucem & afflictionem ipſorum porrò continuandi. Diligenter itaq; hoc obſerva, nam præclara valdè eſt

Præfixum Beth loco Mem frequenter ponitur. hæc expoſitio. Præfixum autem Beth *In*, in voce בַּעֲמַל *In labore* eſt loco *Mem A, Ab*, quaſi diceretur מֵעֲמַל *A' labore vel moleſtia*. Neq; hoc novum quid eſt: nam talia plura periti hujus linguę jam pridem obſer-

Levit.8.32. vârunt: ut, *Quod verò ſuperfuerit* בבשר ובלחם *in carne & in pane*. Item,

Levit.25.52. *Quòd ſi parum reliquum fuerit* beſchanim *in annis &c.*

CAP. XLII.

In quo explicatur חי Chaj *Vivens, Vivum, Vivere*: & מות, *Mori*.

חיים Vivere, & מות Mori. CHAJ Nomen eſt, quod competit *primò* vegetabili & ſenſitivo: ut, *Omne reptile, quod eſt* chaj *vivens*.

Gen.9.3. *Deinde* ſignificat idem quod Sanari, & Convaleſcere à gravi aliquo

Jeſa.38.9. morbo: ut, Vajechi *Et vixit* (convaluit) *ab ægritudine ſua*. Item, *Manſe-*

Jeſa.5.8. *runt in caſtris* ad chaijotam *donec vixiſſent, vel revixiſſent*. Sic, *Caro* chaj

Lev.13.16. *viva*. Econtrariò *Mut* ſignificat pariter *primò* Mortem, *deinde* gravem

1.Sam.25.37. aliquem Morbum & Aegritudinem, ut, Vajamoth *Et mortuum eſt cor ejus, & fuit in lapidem*, h.e. ingraveſcebat morbus ejus. Quare ut hæc

1.Reg.17.17. homonymia vitetur, dicitur de filio mulieris Sareptanæ, *Et invaleſcebat morbus ejus, uſq; dum non remaneret in eo anima*: ſi enim dictum fuiſ-

1.Sam.25.37. ſet, Vajamoth *Et mortuus eſt*, potuiſſet explicari, illum ad mortem, vel lethaliter ægrotâſſe, quemadmodum Nabal, cùm verba uxoris ſuæ

Andeloſeni. audiviſſet. Andeloſeni quidam ſtatuerunt, halitum ejus tantùm defiiſſe, ita ut non ampliùs reſpiraret, quemadmodum in Apoplexia, Suffocatione matricis, & aliis morbis acutis ſæpè ſolet accidere, ut per dies aliquot dubium ſit, an tales vivi ſint vel mortui.

Tertiò adhibetur hoc verbum *Chajah* non infrequenter ad Sa-

Prov.3.22. pientiæ habitum: ut, *Et erunt* chajim *vita animæ tuæ*. Item, *Qui invenit*

Prov.8.35. *me, invenit* chajim *vitam*. Item, Chajim *Vita enim ſunt invenientibus*

Prov.4.22. *ea &c.* Et hinc eſt, quòd ſcientiæ vel ſententiæ bonæ & ſalutares

vocan-

vocantur *Vita*: perniciosæ econtrà & pestiferæ, *Mors*: ut cùm Deus dicit: *Ecce proposui tibi vitam & bonum: mortem & malum*: ubi expressè ostendit, *Bonum* esse Vitam, & *Malum* esse Mortem. Sic explico illud, quod Deus ait, *Ut vivatis*, secundùm receptam opinionem, *Ut benè sit tibi*. Et quia frequens est hæc translatio in hac lingua, hinc dicunt Rabbini nostri p.m. *Justi etiam in morte sua vocantur vivi*: & contrà, *Impii etiam viventes vocantur mortui*. Deut.30.15. Deut.6.18.

CAP. XLIII.

In quo explicatur כָּנָף Kanaph *Ala*.

KANAPH Vocabulum est æquivocum, & per metaphoram ad varia accommodatur. כנף Ala, Ora.

Primâ suâ impositione significat Alas animantium volatilium: ut, *Omnis avis, omnis* kanaph *ala*. Item, *Omnis avis* kanaph *alæ, quæ volat sub cœlis*. Gen.7.14. Deut.4.17.

Deinde transfertur ad Alas vel Oras vestimentorum: ut, *In quatuor* kanphoth *alis vestimenti tui*. Deut.22.12.

Tertiò accommodatur ad Extremitates terræ habitabilis, ejusque angulos vel plagas, longè à locis nostris distantes: ut, *Ut apprehendat* kanphoth *alas terræ*. Item, Mikkenaph *Ab ala terræ* (i.e. ab extremo terræ) *cantica*. Jobi38.13. Jesa.24.16.

Quartò dixit *Aben Ganach*, quòd occurrat quoque in significatione *Abscondendi*, sicut in lingua Arabica dicunt כנפת אלשי. Sic locum illum Jesaiæ, *Non* jiccaneph *alatus fiet doctor tuus*, explicat, *Non occultabitur, non abscondetur à te doctor tuus*. Atque hæc expositio elegans est, secundùm quam meo judicio exponendum & illud, *Non discooperiet* kanaph *alam patris sui*, h.e. non deteget absconditum, occultum, secretum patris sui. Sic, *Et expandas* kenaphecha *alam tuam super ancillam tuam*, expono, Absconsionem, protectionem super ancillam tuam. Et hoc sensu, meo judicio, transfertur τὸ *Kanaph* ad Deum Benedictum & Angelos, quia Angeli quoque ex sententia nostra sunt incorporei. Quod dicitur: *Quæ venisti ad recipiendum te sub* kenaphav *alas ejus*, ejus expositio est, *Quæ venisti ad recipiendum te, sub absconsionem & protectionem ejus*. Sic cùm de Angelis dicitur, itidem significat Occultationem, Absconsionem. Nôsti enim, quando dicitur, *Duabus* (alis) *operiebat faciem suam, & duabus operiebat pedes suos*, Prophetam velle significare, quòd caussa essentiæ Angeli, quæ per *Faciem* intelligitur, & illa, quorum Angeli caussa sunt, sive effecta & opera Angelorum, quæ per *Pedes* intelliguntur, prout ex- Jesa.30.20. Deut.22.30. Ruth.3.9. Ruth.2.12. Jesa.6.2.

posui in voce *Regel*, occulta admodùm sint & abscondita. Actiones quippe Intelligentiarũ occultæ sunt, earumq́; ratio haud facilè patet; idq́; duas ob caussas, quarũ una tangit ipsos, altera nos, h.e. partim ob debilitatem ingenii & intellectus nostri, partim ob summam difficultatem apprehendendi abstracta secundùm veritatem ipsorum.

cap.49.p.1. Quod verò porrò dicit, *Et duabus volabat*, id in peculiari capite tibi explicabo; quam ob caussam sc. Angelis Volatus attribuatur.

CAP. XLIV.

In quo explicatur vox עין Ajin *Oculus.*

עין Oculus. Gen.16.7. AJin vel *En* Oculus, Vox est æquivoca, significãs *primò* Fontem aquarum: ut, Al en *Ad fontem aquarum in deserto.*

Exod.21.24. *Deinde* significat Oculum, visus organum: ut, Ajin tachat Ajin *Oculum pro Oculo.*

Tertiò significat Curam, Providentiam: ut cùm de Jeremia dici-
Jer.39.12. tur, *Accipe eum* veenecha *& oculos tuos pone super illum.* Sensus enim
Quo sensu Deo attribuatur. est, Curam ejus gere, sit tibi curæ. Hoc sensu sumitur, quando di-
1.Reg.9.3. citur de Deo Benedicto: ut, *Et erunt* enaj *oculi mei, & cor meum ibi omnibus diebus*, h.e. providentia & intentio mea, sicut in præcedenti-
Deut.11.12. bus exposuimus. Sic, *Semper* ene *oculi Domini Dei tui sunt in ea*, h.e.
2.Chron.16.9. providentia ejus. Item, Ene *Oculi Domini discurrunt per totam terram*, h. e. Providentia ejus extenditur ad omnia, quæ sunt in terra: quemadmodum hoc tibi explicabitur, quando agemus de Providentia. Quando verò huic voci *Ajin* Oculus adjungitur verbum *Raah* aut
Jesa.37.17. *Chasah* Videre: ut, *Aperi oculos tuos*, ureeh *& vide.* Item, *Oculi ejus* je-
Psal.11.4. chesu *videbunt*: tùm denotat Apprehensionem Intellectualem, non Sensualem. Omne enim Sensibile, ut nôsti, passioni est obnoxium: Deus verò agit, non patitur, sicut explicabo.

CAP. XLV.

In quo explicatur verbum שמע Schamah *Audivit.*

שמע Audivit. SCHAMAH Vox est æquivoca, significans *primò* Auditionem auris; *secundò* Acceptionem vel Receptionem rei alicujus. Ex
Exod.23.13. significatione Auditionis est, *Non* jisschamah *audietur per os tuum.*
Gen.45.16. Item, *Et vox* nischmah *audita est in domo Pharaonis.* Et sic sæpissimè. Sic crebrò occurrit hoc verbum *Schamah* in significatione Acceptionis

nis vel Receptionis: ut, *Non* ſchameu *audierunt Moſen*. Item, *Si* ſchamehu *audiverint & ſerviverint*. Item, *Et vos* haniſchmah *an audiemus?* Item, *Qui non* ſchamah *audiverit verba tua*. Exod.6.9. Neh.13.27. Deut.18.19.

Tertiò ſignificat Notitiam, Scientiam: ut, *Gentem, cujus non* tiſchmahu *audietis linguam*, h.e. cujus ſermonem neſcies, ignorabis. Deut.28.49. Sic ſemper verbum hoc *Schamah*, quando Deo attribuitur, ſi juxta ſenſum Scripturæ litteralem videatur eſſe ex prima ſignificatione, ſumitur pro Apprehenſione, & eſt ex ſignificatione tertia: *Quo ſenſu de Deo dicatur.* ut, Vajiſchmah *Et audivit Dominus*. Item, Beſchomeo *Cùm audiret murmurationes veſtras*. Deut.1.34. Exod.16.7. Hæc enim omnia ſignificant Apprehenſionem mentis. Si verò juxta ſenſum textus litteralem videatur eſſe ex ſecunda ſignificatione, tùm ſignificat, quòd Deus Exaudire velit clamorem clamantis ad ipſum, ejuſque petitionem adimplere, vel quòd nolit ipſum exaudire, neque petitioni ejus ſatisfacere: ut, Schamoah eſchmah *Audiendo audiam clamorem ejus*. Item, Veſchamati *Et audiam, quia gratioſus ego*. Exod.22.22. Ibid.v.26. Item, *Inclina aurem tuam* uſchemah *& audi*. Item, *Et non* ſchamah *audivit Deus vocem veſtram, neque aures ſuas admovit vobis*. Jeſa.36.17. Deut.1.45. Item, *Quamvis multiplicetis precationem, tamen non* ſchomeah *audio*. Item, *Quia non* ſchomeah *audio te*. &c. Jeſa.1.15. Jerem.7.16.

Sic itaque ex tropis & metaphoris iſtis hactenus explicatis puto te inventurum, quod reſtinguat ſitim tuam, & tibi multos ſcrupulos eximat. Nunc ergo quoque illorum rationes & cauſſas tibi exponam, ut de nullo ampliùs dubitare poſsis.

CAP. XLVI.

Quâ ratione dirigamur ad cognoſcendũ Deum per ipſius virtutes, opera & creaturas. Quòd item affectiones corporeæ Deo ideò attribuantur, ut diſcat populus, in Deo omnium illarum perfectionem exiſtere.

MAGNA eſt, ut in alio quodam capite jam innuimus, differentia inter directionem ad exiſtentiam rei alicujus, & inter veritatem quidditatis & ſubſtantiæ ejus, (h.e. *inter ſcientiam τοῦ ὅτι, & τοῦ διότι rei alicujus*). 1. cap.33. Directio enim ad demonſtrandam exiſtentiam rei alicujus deſumitur vel ex accidentibus, vel ex operationibus, vel ex aliis quibuſdam remotis attributis ejus: ut E. G. Quan- *Quomodo declaretur exiſtētia rei alicujus.*

do

do Regem aliquem vis cognoſcendum dare cuidam ex ipſius ſubditis, qui eum non novit, tùm variis modis eum deſcribere poteris. Vel enim dices, Eſt vir procerus, albus, pallidus, canus, & ſic deſcribis eum ex accidentibus. Vel dices, Eſt ille, circa quem vides magnam illam peditum & equitũ catervam, ſtrictos gladios, ſigna erecta ſuper caput ejus, tubas item ante faciem ipſius: vel, eſt ille, qui habitat in hoc palatio, in iſta terra, quæ in hoc vel illo eſt climate: vel, eſt ille, qui hanc domum, murũ, vel pontem, juſsit ædificare, quibus & ſimilibus, deſcribis eum partim ab operibus, partim ab aliis attributis extraneis. Sed & per res magis abſconditas τὸ ὅτι rerum docere potes & oſtendere: ut, ſi aliquis ex te quæſiverit; Eſt'ne huic terræ Rex aliquis? & reſpondeas, Eſt omninò. quam afferes hujus rei demonſtrationem? Poteris dicere; Cùm numularius vel trapezita iſte, quem vides, ſit vir debilis, corporis exigui, & magna auri copia coram ipſo: alter verò iſte, homo robuſtus, & magni corporis, egenus, ſtans ante ipſum, & vel unicum obolum eleemoſynæ loco petens; ſed non ſolùm nihil ab illo accipiat, verùm graviter increpetur, ac verbis injurioſis repellatur, ſanè niſi Regis metus eſſet, ipſum interficeret, expelleret, ac omnem ejus ſubſtantiam auferret. Ita enim demonſtrâſſes, Provinciam illam ſuum habere Regem, atque ex συντάξει & ordine rerum civilium, cujus cauſſa eſt timor Regis & pœnarum illius, oſtendiſſes, Regem eſſe. In his exemplis omnibus, quæ adduximus, nullum eſt, quod doceat de eſſentia Regis, & de veritate ſubſtantiæ ejus, quatenus Rex eſt.

Hoc modo quoque fieri ſolet in omnibus Prophetarum & Legis Divinæ libris, cùm Deus pro multitudine & communi plebe hominum deſcribitur.

Quando enim neceſsitas poſtulavit, ut omnes eò dirigantur ac deducantur, ut credant Deum eſſe, & omnes habere perfectiones, h.e. quòd non ſimpliciter exiſtat, quemadmodum cœlum & terra exiſtunt, ſed quòd ſit exiſtens, vel ens vivum, ſapiens, omnipotens, agens, & reliqua, quæ de ipſo credenda ſunt, quemadmodum in ſequentibus declarabitur: tùm, ut ipſorum mentibus imprimatur Deum exiſtere, demonſtratum hoc ipſis eſt per ſimilitudinem corporeitatis: quòd ſit vivens, per ſimilitudinem Motionis vel Motus. Nam non videt imperita plebs, quomodo aliquid verè & citra dubitationem poſsit exiſtere, niſi corpus. Et quicquid non eſt corpus, ſed affectio tantùm in corpore, juxta ipſos quidem exiſtit, & eſt ens, ſed imperfectius quàm corpus; quia ſc. ad illius exiſtentiam

Quomodo Dei exiſtẽtia demõſtretur in Libris Sacris pro vulgo.

corpus

corpus necessariò requiritur. Quod verò neque corpus est, neque affectio in corpore, id in principio formalitatis (h.e. *intellectus*) hominis, maximè autem juxta imaginationem ejus, planè non existit. Sic etiam non capiunt, quomodo aliquid Vivere possit sine Motione: unde quicquid non movetur motu voluntario & locali, non vivit ipsorum opinione, cùm tamen motus non sit de essentia Viventis, sed accidens ipsi inhærens. Ita, quia nobis nulla Apprehensio nota est, nisi quæ fit per sensus: quia etiam non intelligimus, quomodo aliquid ex unius hominis animo in animum alterius transferri possit, nisi per sermonem sive vocem, quæ formatur labiis, linguâ, & reliquis membris ac organis ad loquelam pertinentibus; ideò cùm voluerunt (*Prophetæ*) nos eò dirigere & disponere, ut credamus, Deum apprehendere, & multa ab ipso per Prophetas ad nos pervenire, descripserunt eum nobis Audientem & Videntem, h.e. quòd apprehendat & intelligat res illas, quæ videntur & audiuntur: Loquentem item, h.e. quòd multa ab ipso ad Prophetas perveniant, cujus Prophetiæ ratio alibi tibi absolutissimè adhuc explicabitur. Præterea, quia non possumus intelligere, quomodo possit effici ut aliquid existat sine contactu, ideò descripserunt eum nobis Agentem, Operantem. Sic, quia vulgus non apprehendunt, quomodo res aliqua Vivere possit, quæ caret animâ, ideò eum quoque descripserunt, Animam habentem. Verùm vocabulum Animæ, tùm ὁμωνύμως dicitur, sicut suprà explicuimus: sensus enim est, quòd Vivat. Porrò, quia dictæ Actiones vel Operationes (*motus, visus, auditus, loquela, actio,*) in nobis non perficiuntur nisi organis & instrumentis corporeis: ideò quoque Illi tribuuntur organa, quibus fit motus localis, ut pedes, plantæ pedum &c. organa auditus, visus, odoratus, ut Aures, Oculi, Nasus: organa insuper & instrumenta loquelæ, ut Os, Lingua, Vox, ac denique ea, quibus utitur is, qui aliquid facit, ut putà, Manus, Digiti, Volæ, Brachium. Atque hæc omnia in eum finem, ut doceatur, Deum sine omni esse imperfectione. Organa corporea ipsi accommodantur, ad docendum de functionibus ipsorum: functiones verò, ad aliam quampiam perfectionem denotandam, non illas actiones ipsas. Exempli gratiâ, attribuuntur Ipsi Oculus, Auris, Manus, Os, Lingua, ad docendum de Visu, Auditu, Actione, & Loquela: actiones verò istæ, ut Visus, Auditus, illi tribuuntur, ad significandam Apprehensionem in genere. Hinc est, quòd in hac Lingua Hebræa sæpè Apprehensio unius Sensus, ponatur pro Apprehensione Sensus alterius: ut, *Videte Verbum Domini*, h.e.

Cur Prophetæ Deum describãt Videntem, Audientem?

Cur Loquẽtem?

Cur Agentem?

Cur Animam habentem?

cap.41.

Cur mẽbra corporu Ipsi adscribant?

Apprehensiones Sensuũ in Lingua Hebræa cõfunduntur.

Jerem.2.31.

I

Audite verbum Domini: Scopus enim est, ut apprehendant sensum
Gen.27.27. verbi ejus. Sic, *Vide, odor filii mei est sicut* &c. h.e. Odorare, odor filii mei est: vult enim, ut apprehendat odorem ejus. Tale quoq; est illud,
Exod.20.18. *Et omnis populus videbant voces & lampades*, (prò, apprehendebant): præterquàm quòd in eo & hoc observandum sit, quòd in Visione Prophetiæ, quemadmodum in confesso apud nos est, acciderit. Operatio, vel Actio & Loquela Illi attribuuntur, propter Influentiam,
p.2.cap.12. quæ influit ab ipso, *(in hæc sc. inferiora)*, sicut alibi explicabitur.

Sic ergo omnia organa & instrumenta corporea, quæ Deo apud Prophetas attribuuntur, sunt vel Motus localis, ad docendum de ipsius Vita: vel Sensus, ut doceant de ipsius Apprehensione: vel Tactus, ut doceant de ipsius Actione: vel Loquelæ, quæ docent de Infusione intelligentiarum super Prophetas, (h.e. *de influentia rerum intellectualium, quam Prophetis infundit*), quemadmodum explicabitur. Quare omnia hæc eò tendunt, ut confirment nobis, Deum esse Ens, Vivens, Agens, vel efficiens omnia, quæ sunt extra Ipsum, & Apprehendens sua opera. Quomodo verò hæc omnia ad unum tantùm referantur principium, Substantiam nempe Dei Opt. Maximi, id alibi docebo, cùm de Remotione formarum externarum à Deo sum acturus. In hoc enim capite propositum nobis tantùm est declarare, quo sensu Instrumenta illa corporea Deo attribuantur, ut sc. doceant de functionibus & operationibus illorum, quæ à nobis pro perfectionibus habentur, atque ita confiteri cogamur, illum numeris omnibus esse absolutissimum & perfectissimum, prout jam alibi hoc
p.1.c.26.& 33. ipsum monuimus, cùm explicaremus dictum illud, *Loquitur Lex linguâ filiorum hominum.*

Exempla prædictorum. Verùm exempla quoque nunc proponamus eorum, quæ hactenus dicta sunt. *Primò* igitur Instrumenta vel organa Motus Localis Ipsi
Jes.66.1. Jes.60.13. attribuuntur: ut, *Scabellum pedum meorum.* Item, *Locum plantarum pe-*
Psalm.8.4. *dum meorum. Deinde* Instrumenta Tactus: ut, *Manus Dei.* Item, *Digi-*
Psalm.139.5. *to Dei.* Sic, *Opus digitorum tuorum.* Item, *Et pones super me manum tuam.*
Jes.53.1. Item, *Et brachium Domini. Dextera Domini.* Sic Instrumenta sermo-
Psal.118.15. Jesa.1.20. nis vel Loquelæ: ut, *Os Domini loquutum est. Et aperuit labia sua. Vox*
Job.11.5. *Domini cum robore: Et lingua ejus sicut ignis consumens.* Sic attribuun-
Psalm.29.4. tur Ipsi quoque Organa Sensuum: ut, *Oculi ejus videbunt.* Item, *Palpe-*
Jes.30.27. Jer.32.4. *bræ ejus probabunt. Oculi Domini discurrunt. Inclina ad me aures tuas &*
Psalm.11.4. *audi. Ignem accendistis in naso meo.*
Zach.4.10. Ex membris internis nullum Ipsi attribuitur, nisi *Cor*, eò quòd
Jes.36.17. Jer.17.4. vox sit homonyma, & de Intellectu quoque dicatur (prout declaravimus),

vimus), & quòd sit principium vitæ animantium. Hinc *Meajim* Viscera Deo attribuuntur, quia ponuntur pro Corde. Nam quando dicitur, *Fremuerunt* meaj, h.e. *viscera mea super eum*: Item, *Multitudo* meecha *viscerum tuorum*, nihil aliud significatur, quàm Cor. Vox enim *Meajim* sumitur vel generaliter, vel specialiter. Specialiter quidem de intestinis: generaliter verò de quovis membro interno, & per consequens quoque de ipso Corde; id quod evidenter apparet ex eo, quod dicitur, *Et lex tua in medio* meaj *viscerum meorum*. Nihil enim aliud est, quàm si dixisset, *In medio cordis mei*. Hoc ergo sensu antè citata quoq; loca sunt capienda, *Fremuerunt viscera mea*: Et, *Multitudo viscerum tuorum*. Nam & verbum *Hamah* Fremere, de Corde præ cæteris membris occurrit: ut, Hamah *Fremit in me cor meum*.

Ex membris internis nullũ nisi Cor *Deo adscribitur.*
cap.39.
Jer.31.20.
Jesa.63.15.
Vox מעים Viscera *quid significet, & quomodo Deo attribuatur.*
Psalm.40.9.
Jer.31.19.
Jesa.63.15.
המה Fremere.
Jer.4.19.

Sic non attribuuntur Ipsi *Humeri*, quia communiter adhibentur portandis oneribus, & quia iis summoperè homines defatigantur: multò minùs Organa illa, quæ cibis & alimentis capiendis inserviunt. Nam illa etiam in principio cogitationis manifesta sunt imperfectionis signa & indicia.

Cur non attribuantur Deo Humeri.
Item Organa nutritionis & alimenti.

Cæterùm, Membrorum omnium ratio in rei veritate una est & eadem; quòd nempe sint instrumenta diversarum functionum animæ. Quædam enim illorum sunt necessaria ad Conservationem ipsius Individui, ut sunt omnia membra interna: quædam ad Conservationem speciei, ut membra Generationis: quædam necessaria sunt Individuo ad exequutionem rerum suarum, & ad perficiendas actiones suas; ut Manus, pedes, oculi, quæ sunt instrumenta Motus, Actionis, & Apprehensionis. Motus hominibus est necessarius, ad persequendum id, quod illis conducit ac salutare est, & fugiendum è contrario quod illis perniciosum. Sensus sunt necessarii ad cognoscendum & discernendum ea, quæ illis sunt contraria vel cõvenientia. Actiones artificiales eis sunt necessariæ, ut sibi prospiciant de cibo, potu, amictu, tecto: nam necessariò requiritur ad naturam ipsorum, ut possint sibi necessaria comparare, quemadmodum in multis quoque brutis animantibus artificiosas quasdam operationes videmus, quibus ad suam necessitatem indigent. Jam verò nullum hominem ita vecordem arbitror, qui non sciat, Deum nullâ re ad sui continuationem & conservationem, vel ad res suas dirigendas ac disponendas, indigere; unde consequitur, illum quoque talia instrumenta & organa non habere, sed esse incorporeum. Actiones etenim suas omnes per seipsum, vel per essentiam suam peragit, non verò per instrumenta externa. Porrò, si non habet ta-

Audite verbum Domini: Scopus enim est, ut apprehendant sensum
Gen.27.27. verbi ejus. Sic, *Vide, odor filii mei est sicut* &c. h.e. Odorare, odor filii mei est: vult enim, ut apprehendat odorem ejus. Tale quoq; est illud,
Exod.20.18. *Et omnis populus videbant voces & lampades*, (prò, apprehendebant): præterquàm quòd in eo & hoc observandum sit, quòd in Visione Prophetiæ, quemadmodum in confesso apud nos est, acciderit. Operatio, vel Actio & Loquela Illi attribuuntur, propter Influentiam,
p.2.cap.12. quæ influit ab ipso, *(in hæc sc. inferiora)*, sicut alibi explicabitur.

Sic ergo omnia organa & instrumenta corporea, quæ Deo apud Prophetas attribuuntur, sunt vel Motus localis, ad docendum de ipsius Vita: vel Sensus, ut doceant de ipsius Apprehensione: vel Tactus, ut doceant de ipsius Actione: vel Loquelæ, quæ docent de Infusione intelligentiarum super Prophetas, (h.e. *de influentia rerum intellectualium, quam Prophetis infundit*), quemadmodum explicabitur. Quare omnia hæc eò tendunt, ut confirment nobis, Deum esse Ens, Vivens, Agens, vel efficiens omnia, quæ sunt extra Ipsum, & Apprehendens sua opera. Quomodo verò hæc omnia ad unum tantùm referantur principium, Substantiam nempe Dei Opt. Maximi, id alibi docebo, cùm de Remotione formarum externarum à Deo sum acturus. In hoc enim capite propositum nobis tantùm est declarare, quo sensu Instrumenta illa corporea Deo attribuantur, ut sc. doceant de functionibus & operationibus illorum, quæ à nobis pro perfectionibus habentur, atque ita confiteri cogamur, illum numeris omnibus esse absolutissimum & perfectissimum, prout jam alibi hoc
p.1.c.26.& 33. ipsum monuimus, cùm explicaremus dictum illud, *Loquitur Lex linguâ filiorum hominum*.

Exempla prædictorum. Verùm exempla quoque nunc proponamus eorum, quæ hactenus dicta sunt. *Primò* igitur Instrumenta vel organa Motus Localis Ipsi
Jes.66.1. attribuuntur: ut, *Scabellum pedum meorum*. Item, *Locum plantarum pe-*
Jes.60.13. *dum meorum*. *Deinde* Instrumenta Tactus: ut, *Manus Dei*. Item, *Digi-*
Psalm.8.4. *to Dei*. Sic, *Opus digitorum tuorum*. Item, *Et pones super me manum tuam*.
Psalm.139.5. Item, *Et brachium Domini*. *Dextera Domini*. Sic Instrumenta sermo-
Jes.53.1. nis vel Loquelæ: ut, *Os Domini loquutum est*. *Et aperuit labia sua*. *Vox*
Psal.118.15. *Domini cum robore*. *Et lingua ejus sicut ignis consumens*. Sic attribuun-
Jesa.1.20. tur Ipsi quoque Organa Sensuum: ut, *Oculi ejus videbunt*. Item, *Palpe-*
Job.11.5. *bræ ejus probabunt*. *Oculi Domini discurrunt*. *Inclina ad me aures tuas &*
Psalm.29.4. *audi*. *Ignem accendistis in naso meo*.
Jes.30.27.
Jer.32.4.
Psalm.11.4.
Zach.4.10. Ex membris internis nullum Ipsi attribuitur, nisi *Cor*, eò quòd
Jes.36.17. vox sit homonyma, & de Intellectu quoque dicatur (prout declara-
Jer.17.4. vimus),

vimus), & quòd sit principium vitæ animantium. Hinc *Meajim* Viscera Deo attribuuntur, quia ponuntur pro Corde. Nam quando dicitur, *Fremuerunt* meaj, h.e. *viscera mea super eum*: Item, *Multitudo* meecha *viscerum tuorum*, nihil aliud significatur, quàm Cor. Vox enim *Meajim* sumitur vel generaliter, vel specialiter. Specialiter quidem de intestinis: generaliter verò de quovis membro interno, & per consequens quoque de ipso Corde; id quod evidenter apparet ex eo, quod dicitur, *Et lex tua in medio* meaj *viscerum meorum*. Nihil enim aliud est, quàm si dixisset, *In medio cordis mei*. Hoc ergo sensu antè citata quoq; loca sunt capienda, *Fremuerunt viscera mea*: Et, *Multitudo viscerum tuorum*. Nam & verbum *Hamah* Fremere, de Corde præ cæteris membris occurrit: ut, Hamah *Fremit in me cor meum*.

Ex membris internis nullũ nisi Cor *Deo adscribitur.*

cap.39.

Jer.31.20.
Jesa.63.15.

Vox מעים Viscera *quid significet. & quomodo Deo attribuatur.*

Psalm.40.9.
Jer.31.19.
Jesa.63.15.
המה Fremere.
Jer.4.19.

Sic non attribuuntur Ipsi *Humeri*, quia communiter adhibentur portandis oneribus, & quia iis summoperè homines defatigantur: multò minùs Organa illa, quæ cibis & alimentis capiendis inserviunt. Nam illa etiam in principio cogitationis manifesta sunt imperfectionis signa & indicia.

Cur non attribuantur Deo Humeri.

Item Organa nutritionis & alimenti.

Cæterùm, Membrorum omnium ratio in rei veritate una est & eadem; quòd nempe sint instrumenta diversarum functionum animæ. Quædam enim illorum sunt necessaria ad Conservationem ipsius Individui, ut sunt omnia membra interna: quædam ad Conservationem speciei, ut membra Generationis: quædam necessaria sunt Individuo ad exequutionem rerum suarum, & ad perficiendas actiones suas; ut Manus, pedes, oculi, quæ sunt instrumenta Motus, Actionis, & Apprehensionis. Motus hominibus est necessarius, ad persequendum id, quod illis conducit ac salutare est, & fugiendum è contrario quod illis perniciosum. Sensus sunt necessarii ad cognoscendum & discernendum ea, quæ illis sunt contraria vel cõvenientia. Actiones artificiales eis sunt necessariæ, ut sibi prospiciant de cibo, potu, amictu, tecto: nam necessariò requiritur ad naturam ipsorum, ut possint sibi necessaria comparare, quemadmodum in multis quoque brutis animantibus artificiosas quasdam operationes videmus, quibus ad suam necessitatem indigent. Jam verò nullum hominem ita vecordem arbitror, qui non sciat, Deum nullâ re ad sui continuationem & conservationem, vel ad res suas dirigendas ac disponendas, indigere; unde consequitur, illum quoque talia instrumenta & organa non habere, sed esse incorporeum. Actiones etenim suas omnes per seipsum, vel per essentiam suam peragit, non verò per instrumenta externa. Porrò, si non habet ta-

lia organa & instrumenta, non inerunt ipsi quoque functiones & operationes illorum, quia hæ sub instrumentis comprehenduntur, (i.e. *ab illis consequuntur*): h.e. nihil erit in ipso præter ejus essentiam, per quod videat, sciat, aut velit aliquid. Nam istæ formæ externæ sive facultates, nomine solo distinguuntur. Sed Rabbini nostri p.m. jam pridem generalem tradiderunt Regulam, quâ omnia ea refutant, quæ formas ejusmodi corporales Deo apud Prophetas tribuere videntur. Docet enim illa te, quòd Corporeitas nulli ipsorum unquam in mentem venerit, neque etiam quisquam de ea dubitârit. Unde invenies, illos in toto Talmud & omnibus Medraschot litteralem verborum Propheticorum sequi sensum, quòd scirent rem esse apud omnes confessam, & extra omnem dubitationis aleam positam, omnia ista parabolicè esse intelligenda, neque etiam ullum inde errorem vel hæresin esse timendam. Quare cùm viderunt, Deum assimilari (*à Prophetis*) Regi, qui præcipit, monet, punit, & præmia subditis suis largitur, qui etiam habet suos servos & ministros, mandata ejus promulgantes, ac quicquid ipsi visum est facientes, ideò hoc ipsi (h.e. *Sapientes nostri*) quoque imitati sunt, & loquuti sunt de Deo secundùm omnia, quæ consequuntur ex ista parabola, quòd loquatur, exaudiat, respondeat, & quicquid præterea Reges agere & facere consueverunt, persuasi, nullâ hîc esse dubitandi vel hæsitandi materiam. Regula autem illa generalis, cujus meminimus, hæc est, quæ legitur in Bereschit rabbah: *Magna est virtus vel fortitudo Prophetarum, qui assimilant formam cum formante eam*, (vel *cum authore ejus*, h.e. formantem vel authorem formæ cum forma, sive formato), sicut dicitur, *Et super similitudinem throni similitudo sicut aspectus hominis.* Quibus verbis docere voluerunt, illas figuras & formas omnes, quas viderunt Prophetæ in Visione Prophetiæ, fuisse figuras sive formas à Deo creatas. Id quod verissimum est. Omnis enim forma, quæ in imaginatione concipitur, est creata. Mirabile autem valdè est, quod dicunt, *Gadol cocham*, h.e. Magna est virtus eorum: nam hac ratione loquendi ostendunt, quòd sibiipsis hoc videatur esse difficillimum. Sic etenim perpetuò ferè loqui solent, quando audiunt de re vel actione & facinore aliquo insolito: ut, *Dixit quidam, Rabbi N fecit tale factum, in loco N. & quidem solus, & noctu. Respondit* N. Camma rabh gubhreh *Quanta est virtus vel fortitudo ejus, quòd hoc solus fecerit!* Nam *Rabh gubhreh* idem est quod *Gadol cocho*. Quare perinde est ac si dicerent; Quantum quæso hoc est, quod Prophetæ coacti sunt facere, dum necesse habuerunt essentiam Dei per res à Deo creatas de-

Talmudici quomodo Corporeitatem à Deo removeant.

Ezech. 1.26.

Quomodo de re aliqua insolita loqui soleant Rabbini.

declarare! Ita ergo apertè & manifestè demonstrârunt, quòd non credant Corporeitatem, & quòd omnes formæ ac figuræ, quæ exhibentur in Visione Prophetiæ, sint res creatæ, sed assimilentur formæ formatori, ut loquuntur, (i.e. *quòd Deo, qui omnium figurarum & formarum author est, formæ ab ipso creatæ attribuantur*). Quòd si autem quis in deteriorem partem vellet mentem ipsorum interpretari, & imperfectionis eos, quos nec vidit, nec cognovit, arguere, sciat, quòd oleum sit & operam perditurus, nec quicquam authoritati illorum, quorum memoria sit in benedictione, derogaturus.

CAP. XLVII.

Quare Deo attribuantur Visus, Auditus, Odoratus, non item Gustus & Tactus. Cur item ipsi attribuatur Intelligentia vel Intellectio, non item Phantasia sive Imaginatio.

MULTOTIES jam indicavimus, nihil eorum Deo à Prophetis attribui, quæ à vulgo pro Imperfectionibus habentur, vel quæ mente suâ non possunt concipere, quâ ratione Deo competant, licet eadem sit illorum ratio, quæ eorum, quibus eum nobis describunt & quasi depingunt; quia ea, per quæ describitur, cogitationibus nostris perfectiones quasdam imprimunt, vel saltèm imprimere possunt. Quocirca necessarium videtur esse, ut explicemus, Quare Deo non attribuantur quoque Gustus & Tactus, cùm reliqui sensus ipsi attribuantur, videlicet Visus, Auditus, Odoratus? Nam Dei Majestas ab omnibus sensibus æqualiter est immunis: omnes item sunt Imperfectiones in notione Apprehensionis (h.e. *& apprehensiones sensuum omnium sunt Imperfectio*), etiam in illis, qui tantùm per Sensus apprehendunt: propterea quòd passioni, remissioni, & dolori sint obnoxii, non minùs atque alia organa & instrumenta. Quare cùm ejus, quod dicitur, *Deus Benedictus Videt*, sensus sit, quòd apprehendat visibilia; & quando dicitur, *Deus Benedictus Audit*, quòd apprehendat audibilia: eodem pacto quoque potuisset de Ipso dici Gustus & Tactus, & explicari, quòd apprehendat objecta Gustus & Tactus. Ratio enim Sensuum omnium una est & eadem: unde si ab ipso tollas apprehensionem Sensus unius,

cap. 26. p. 1.

Cur Gustus & Tactus non attribuãtur Deo, cùm reliqui sensus ipsi attribuantur.

tolles ſimul apprehenſionem omnium quinque Senſuum, &, ſi affirmes de eo apprehenſionem Senſus unius, affirmabis ſimul apprehenſionem omnium quinque. Hoc tamen nihil obſtante, reperimus in Libris noſtris Sacris: *Et vidit Deus. Et audivit Deus. Et odoratus eſt Deus.* Nullibi autem: *Et guſtavit Deus. Et tetigit Deus.*

Cauſſam igitur hujus rei eſſe dico, quòd fixum & ratum ſit in omnium hominum animis, Deum non conjungi cum corporibus per contactum corporalem; quia ſc. ipſum Videre nequeunt. Duo autem iſti ſenſus, Guſtus nimirum & Tactus, non apprehendunt ſenſata, h.e. objecta ſua, niſi per contactum: reliqui verò poſſunt apprehendere objecta ſua, licèt ſubſtantiæ illæ, quæ ſunt ſubjecta qualitatum illarum, longè ſint remota, (h.e. *licèt objecta ipſorum longè ſint remota*). Ideoque hi ſecundum imaginationem vulgi convenienter potuerunt Deo attribui.

Præterea, Senſus in hunc finem & ſcopum Deo accommodantur, ut nos doceant, Deum apprehendere opera noſtra. Jam autem viſus & auditus ſufficiunt, ut quævis, quæ ſunt extra Ipſum, apprehendat.

Vel etiam factum hoc dici poteſt propter noſtram Admonitionem & Commonefactionem, quemadmodum Sapientes noſtri dicunt, *Scito*, vel, *Attendito quid ſupra te ſit, Oculus nempe videns, & Auris audiens.*

Intelligis ergo, quòd in rei veritate, omnium *(Senſuum)* una ſit & eadem ratio, & quòd eodem modo, quo removentur à Deo Guſtus & Tactus, removeri quoque ab ipſo poſsint Viſus, Auditus, & Olfactus; omnes enim in univerſum ſunt apprehenſiones corporales & patibiles. Differentia tantùm in hoc ſita eſt, quòd quorundam imperfectio ſtatim appareat: quidam verò videantur eſſe perfecti. Sic quia Phantaſia & Imaginatio videntur eſſe Imperfectiones, Intellectio verò non item, ideò non accommodatur Deo Phantaſia ſive Imaginatio, (quæ verbo *Damah* דָּמָה exprimitur) ſed Cogitatio & Intelligentia, ſive Intellectio; (quæ exprimitur verbis *Bun* בּוּן & הִשְׂכִּיל vel הִשְׁתַּכֵּל) ut, *Quemadmodum* chaſchabhti *cogitavi facere*. Sic, Ubitbhunato *Et intelligentiâ ſuâ inclinavit cœlos.* Ex quo vides, idem obſervari in Apprehenſionibus Internis, quod in Apprehenſionibus Senſualibus externis, quòd nempe quædam Deo attribuantur, quædam verò non: idque totum *ſecundùm linguam filiorum hominum*: h.e. quod ipſi *(homines ſc.)* habent pro perfectione, id attribuunt Deo *(Propheta)*; & quod ipſi habent pro imperfectione, id Illi non attribuunt. In rei autem veritate Deus nullam habet formam

Cur Phantaſia & Imaginatio non attribuatur Deo.

Jer.18.8.

Jer.10.12.

mam

mam essentialem externam præter ipsius substantiam, quemadmodum demonstrabimus.

CAP. XLIIX.

Quâ ratione Onkelos Paraphrastes Chaldæus Videre & Audire, *de Deo exponat.*

Quomodo Onkelos exposuerit τὸ Audire & Videre de Deo Opt. Max.

QUòD si inspicias Targum Onkeli, deprehendes, illum sibi diligentissimè cavisse in iis locis, in quibus vox *Audiendi* de Deo Opt. Maximo occurrit. Nam si videatur accipi in prima sua significatione, tùm eam ita reddidit, quòd illud *(de quo verbum* Schamah *Audire, dicitur)* perveniat vel pervenerit ad eum, q.d. quòd illud apprehenderit. Si sumatur pro Clamore & Precatione, tùm dicit, quòd Deus Acceperit, vel non Acceperit. Nam perpetuò, quando legimus, *Audivit Dominus*, ipse reddit, *Auditum est coram Domino:* & in significatione altera Clamoris, vel Clamandi, quando verbi gratiâ dicitur, *Audiendo audiam clamorem ejus*, ipse transfert, *Accipiendo accipiam clamorem ejus.* Atque hoc ita perpetuum est in ejus Targum, ut ne in unico quidem loco ab hac expositione recedat.

Verbum חזה in lingua Aramæa homonymum.

Sic, quando verbum Videndi *Raah* Deo attribuitur, mirabiles habet idem Onkelos ejus expositiones, quarum mentem ego quidem ubique non assequor. Quandoque enim pro *Vajar* Vidit Dominus, habet, *Vachasa* Et vidit Dominus: alibi pro eodem ponit, *Ugele* Et revelatum est coram Domino. Dum autem in quibusdam locis verbum *Raah* reddit per *Chasah*, ex eo apparet, verbum *Chasah* in lingua quoque Aramæa esse homonymum, & sumi tàm pro Apprehensione Intellectus, quàm pro Apprehensione sensus. Unde mirandum, quare in quibusdam illud vitâtit, ac reddiderit, *Ugele* Et revelatum est coram Domino Et cùm consuluissem ipsa exemplaria Targum illius, eaque contulissem cum iis, quæ audivi, dum studiis adhuc darem operam, vidi, quòd in omnibus locis, in quibus *τὸ Videre* jungitur nomini Iniquitatis aut Dominii vel Violentiæ & Rapinæ, ipse interpretetur per *Ugele* Et revelatum est coram Domino. Quia enim dubium non est, quin verbum *Chasah* in Lingua illa significet Apprehensionem & scientiam rei apprehensæ, prout est quando apprehenditur: idcircò quando invenit verbum *Raah* Videre, junctum cum nomine Iniquitatis, non dixit, *Vachasa* Et vidit, sed, *Ugele* Et revelatum est coram Domino. In tota autem Lege ubique inveni verbum *Raah*, quando Deo Benedicto attribuitur, redditum

ab

ab ipso per verbum *Chasah*, sequentibus tantùm locis exceptis: *Quia*
Genes.29.32. raah *vidit Dominus afflictionem meam*; Onk. Quia *gele* revelata est co-
Gen.31.12. ram Domino afflictio mea. *Quia vidi omnia, quæ Laban fecit tibi*;
Onk. Quia *gele* revelatum est coram me: ubi quamvis loquatur Angelus, tamen non attribuit ei apprehensionem & firmam cognitio-
Exod.2.25. nem iniquitatis, *(quam sc. Laban contra Jacobum exercuerat)*. Sic, *Et* raah *vidit Dominus filios Israëlis*; Onk. *Ugele* Et revelata est coram Do-
Exod.3.7. mino servitus filiorū Israëlis. Rao raiti *Videndo vidi afflictionem populi mei, qui est in Aegypto*; Onk. *Migla gele* Revelando revelata est coram
Ibid.v.9. me subjectio populi mei. *Etiam* raiti *vidi oppressionem*: Onk. *Gele* Re-
Exod.4.31. velata est coram me oppressio. *Et cùm* raah *vidisset afflictionem eorum*;
Exod.32.9. Onk. Cùm *gele* revelata esset coram eo afflictio ipsorum. Raiti *Vidi populum istum*: Onk. *Gele* Revelatus *est* coram me populus iste, h.e.
Exod.2.25. Vidi rebellionem ipsorum, sicut alibi quoq; dicitur, *Et vidit Dominus*
Deut.32.19. *filios Israelis*, h.e. afflictionem & molestiam ipsorum. Vajar *Et vidit Dominus & exacerbatus est*: Onk. *Ugele* Et revelatum est coram Domi-
Ibid.v.36. no. *Cùm* jireh *videbit quod abierit manus*: Onk. Cùm *gele* revelatum erit coram ipso; nam & hoc loco significatur Iniquitas & Tyrannis inimicorum. In his omnibus respexit & sequutus est dictum illud
Habac.1.13. Prophetæ, *Aspicere iniquitatem non potes*: ideò quotiescunque ipsi occurrit verbum Videndi de Iniquitate, Injuriâ & Rebellione, transtulit, *Ugele* Et revelatum est coram ipso; vel, Et revelatum est coram
Onkeli Paraphrasis in aliquot locis depravata. me. Verùm corrupta & depravata est in exemplaribus nostris hæc expositio sine controversia elegantissima & optima in tribus locis, in quibus invenio *Vachasah*, cum secundùm hanc sententiam debuissent reddi, *Ugele* Et revelatum est coram Domino. Loca sunt
Gen.6.5. ista. 1. *Et vidit Dominus, quòd magna esset malitia hominum.* 2. *Et*
Ibid.v.12. *vidit Dominus terram.* 3. *Et vidit Dominus, quòd exosa esset.* Mihi enim
Gen.29.31. valdè probabile videtur, errorem aliquem librariorum hîc irrepsisse: quia tamen non est penes nos ipsius Onkeli *αὐτόγραφον*, nihil certi affirmare possumus, sed credendum nobis est, Onkeli istam expo-
Gen.22.8. sitionem esse. Quòd verò & illud, *Deus* jireh *providebit sibi de pecude*, exponit, Coram Domino *gele* revelatum est pecus, ideò fecit, ne videatur statuere, Deum ipsummet quæsiturum & exhibiturum pecus: vel etiam, quòd in lingua illa *(Aramæâ)* absurdum sit, Apprehensionem Dei referre ad Animal irrationale. Priora autem loca quod attinet, diligenter inquirenda sunt in vetustis exemplaribus: quòd si ubiq; ita inveniantur, prout nos illa adduximus, sanè confiteor, me rationem & intentionem ipsius ignorare.

CAP. XLIX.

Quòd Angeli non sint corporei, sed intelligentiæ abstractæ. Quomodo item intelligendum sit, quòd nonnunquam corporei & alati apparuerunt.

ANGELI quoque non habent corpora, sed sunt Intelligentiæ abstractæ à materia: attamen facti sunt, & à Deo creati, quemadmodum explicabitur. Hinc dixerunt in *Bereschit Rabbah* Sapientes nostri: Locus ille, Lahat *Flammam gladii versatilis, vel vertentis se*, intelligendus est juxta illud; *Ministros suos ignem* lohet *flammantē* (h.e. per Lahat *ibi intelligitur Angelus, qui est instar flammæ*) hammithappecheth *gladii versatilis*, (h.e. *Versatilis ille Angelus appellatur*), quia Angeli instar Prothei in varias formas se cōvertunt; quandoq; enim Virorū, quandoq; Mulierum, quandoq; Ventorū, quandoq; Legatorum formâ & specie vestiti apparent. Quibus verbis apertè testantur, Angelos non esse materiales, neque certam & constantem aliquam habere formam vel figuram corporalem extra intellectum, sed omnia tantùm fieri in Visionibus Propheticis, & in Imaginatione, quemadmodum explicabitur, quando agemus de Prophetia. Quòd verò inter cætera dicunt, illos sæpè sub *specie Mulierum* apparere, ideò fit, quia Prophetæ etiam nonnunquam viderunt in Visione Angelos in forma Mulierum, & in specie alluditur ad dictum Zachariæ, *Ecce duæ mulieres egrediebantur, & ventus erat in alis earum.*

Angeli sunt incorporei.

Gen. 3. v. ult.

Angeli sub Mulierum quoque specie apparent.

Zach. 5. 9.

Porrò nôsti, Apprehensionem illius rei, quæ immunis est à materiâ, & omni corpore destituta, homini esse difficillimam, præsertim ei, qui nescit discernere inter Intelligibile & Imaginarium, & qui apprehensioni tantùm Imaginationis innititur. Nam illi reverà omnia vel actu vel potentiâ existunt, quæcunque in imaginatione sua concipit: & quæcunque in imaginatione sua concipere nequit, habet pro puris privationibus, vel pro non entibus. Ejusmodi autem homines, quales sunt plerique Speculatores, nullam rem ex veritate possunt cognoscere, neque etiam ex dubiis & rebus controversis nôrunt se extricare. Propter hanc ergo difficultatem Prophetæ quædam in medium attulerunt, quæ juxta sensum litteralem Angelis corpora tribuere videntur, motum item & formam ac figuram humanam: præterea etiam, ut mandata accipientes à Deo Opt. Max.

Apprehensio rerum incorporearum est difficilis.

Cur Prophetæ Angelis corpora & actiones corporeas attribuerint.

& voluntatem ac mandatum ejus facientes & exequentes. Atque hæc omnia in eum finem, ut dirigamur ad credendum, Angelos existere, vivere, & esse perfectos, quemadmodum hæc explicuimus in iis, quæ Creatori attribuuntur. Quandoquidem verò, si hîc substitissent, homo sibi imaginari potuisset, ac si veritas & essentia ipsorum æqualis esset essentiæ Dei, quia & de Deo multa dicuntur, quæ juxta sensum litteralem videntur docere ac si esset corporeus, vivus, mobilis, & figurâ humanâ præditus: ideò ulteriùs progressi sunt, & ostenderunt, gradum essentiæ ipsorum longè esse inferiorem gradu

Cur forma animalium irrationalium illis attribuantur. essentiæ Dei, eò quòd inter formas illas, quas eis tribuunt, ponunt quoque formas Animalium Irrationalium, ut sc. hinc intelligamus, Essentiam Dei tantò & magis perfectiorem esse essentiâ illorum, quantò perfectior est homo quàm animantia irrationalia. Ex formis autem animalium irrationalium nullam nisi Alas eis attribuunt: quia non potest cogitari Volatus sine Alis, sicut nec Incessus sine Pedibus. Facultatum enim illarum substantia non potest con-

Cur volatũ præ aliorum Animalium Motu illis attribuant. cipi extra subjecta illa. Selegerunt verò motum volatilium præ aliis, ad docendum de Vita ipsorum: quia motus ille est perfectissimus & præstantissimus inter motus locales animalium irrationalium, & ab Hominibus ipsis perfectissimus habetur, ita ut sæpè sibi potentiam volandi expetant & optent, quò tantò faciliùs fugere queant ea, quæ sibi sunt contraria & exitiosa; ac persequi illa, quæ sibi sunt salutaria, maximè si procul ab iis absint. Hæc ergo una est caussa, propter quam Motum hunc illis attribuerunt. Sed & hinc factum esse potest: quia sicut avis modò videtur, mox abscondit se, nunc propè, nunc longè est, & quidem exiguo admodùm temporis spatio, immò momento: ita quoque Angeli. Atq; hæc omnia talia

Cur Deo non attribuatur Volatus. sunt, quæ necessariò tibi de Angelis sunt credenda. Deo verò Opt. Max. perfectionem istam imaginatiam, Volatum nempe, non attribuerunt, eò quòd sit Motus Animantis Irrationalis. Cave enim, ne

2.Sam.22.11. erres in eo, quod dicitur, *Et equitavit super Cherubh, & volavit* (h. e. ne existimes, *& volavit* ibi de Deo dici): nam de Cherubh ipso dicitur quòd volârit, ad celerem rei illius adventum significandum, sicut

Jesa.19.1. alibi dicitur, *Ecce Dominus equitat super nubem velocem, & venit in Aegy-*

Ezech.1. *ptum.* Ne etiam seducat te id, quod legimus apud Ezechielem *de facie bovis, facie leonis, facie aquilæ, plantâ item pedis vituli,* (ut sc. existimes, Angelis alias quoque formas animalium irrationalium tribui, contrà quàm suprà diximus): nam illa peculiarem habent explicatio-

par.3.cap.1. nem, quam alibi ex me audies, præterquàm quòd Propheta ibi nil descri-

describit præter animalia. Verùm, ut dixi, sufficientem de his instructionem alibi dabimus. Cæterùm de motu volatilium passim in Scriptura legitur, neque aliter quàm per Alas depingitur, unde & illis *(Angelis)* Alæ tribuuntur, ad dirigendum nos, ut credamus ipsorum existentiam, nequaquam verò ad exprimendam veritatem quidditatis illorum. Præterea, quicquid motu veloci & celeri movetur, propter Motus celeritatem dicitur *Volare*: ut, *Quemadmodum volat aquila*. Aquila enim celeriùs & magìs perniciter volat, quàm omnes reliquæ aves, ideoque similitudo ab illa ducitur. Denique tenendum & hoc: Alas esse caussas volatus, ideò alas externas, quæ videntur, denotare quoq; caussas motus rerum mobilium. Verùm hoc non est de intentione istius capitis. Deut. 28.49.

CAP. L.

Fidem non esse rem, quæ ore profertur, sed quæ in animo creditur.

SCIAS, Lector candide, quòd Fides, non sit id, quod ore profertur, sed res concepta & figurata in anima; quando nempe credimus, rem ita se habere (sc. *extra intellectum*) prout illam in animo conceptam habemus. Quando ergo de dogmatibus Religionis, vel aliis, quæ pro veris & indubitatis habes, ore tantùm disseris, sine vera illorum intelligentia & fide, vel examinatione, nimis hoc est exiguum, neque sufficit. Ita enim reperimus, multos homines stolidos & ineptos quædam observare & credere, quorum rationem nullam in animo suo tenent. *Fides quid sit?*

Quòd si itaque in animo tuo statueris ad sublimem istum gradum speculationis ascendere, ut verè tibi constet, Deum esse unum unitate simplicissimâ, sine ullâ compositione aut divisione, sciendum tibi, Deum nullam habere formam externam substantialem, vel nullum attributum essentiale. Quemadmodum enim nullum potest habere corpus, sic nullum attributum substantiale habere potest. Quare qui dicit, Illum esse unum, sed statuit, Eum varias ejusmodi formas habere, ille verbis quidem Illum unum esse dicit, sed in cogitatione suâ plures esse credit, quemadmodum quidam ajunt, Deus est unus, sed multas habet formas, & tamen Ipse & formæ ejus unum sunt; quamvis corporeitatem negent, & credant, Illum esse simplicissimũ. Intentio enim & mens nostra non est prout loquimur, sed prout credimus. Et non est fides, nisi post formalem rei conceptionem: fides

etenim eſt de eo, quod in animo formatum & conceptum habemus credere, quòd ita ſe habeat extra intellectum, prout formatum eſt in intellectu. Quòd ſi jam cum iſta fide conjuncta ſit certa fiducia ac perſuaſio, rem illam aliter ſe habere non poſſe, nec vel minimum ei adhæreat, quod illam expellere vel labefactare queat, tùm demùm vera eſt fides. Quòd ſi verò exueris & depoſueris concupiſcentias tuas & pravas conſuetudines, ac diligenter conſideraveris & expenderis ea, quę in proximè-ſequentibus capitibus ſum dicturus de Remotione formarum iſtarum, vera eſſe comperies ea, quæ diximus, & eris ex iis, qui verè in animis ſuis formatam & conceptam habent Unitatem; non ex iis, qui ore illam proferunt, ſed in animis ſuis aliter ſtatuunt, de quibus dictum eſt, *Propè es cordi eorum, ſed longè à renibus eorum.* (Jerem. 12. 2.) Homo etenim debet eſſe ex illorum numero, qui veritatem rectè ſciunt & apprehendunt, quamvis non multum de illa loquantur, ſicut David præcipit, *Dicite in corde veſtro ſuper cubili veſtro, & ſilete, Selah.* (Pſal. 4. 5.)

CAP. LI.

De Remotione formarum ſive attributorum à DEO Opt. Max.

MULTÆ ſunt in magna hac rerum univerſitate & variæ res, quæ per ſe nobis notæ ſunt & manifeſtæ, ut Intelligibilia prima, ſenſibilia, & quædam alia, quæ his ſunt propinqua & affinia, ita ut, licèt homo relinqueretur ſicut eſt, nullâ tamen de illis demonſtratione egeret. Talia ſunt, Exiſtentia Motus, Libertatis hominis in agendo, Generatio item & Corruptio rerum naturalium, & Qualitates rerum ſenſibiles, ut Calor ignis, Frigiditas aquæ, & ſimilia alia. Poſteaquam verò abſurdæ ſententiæ & opiniones prodierunt ab hominibus quibusdam, qui vel ex errore in illas inciderunt, vel ſtudio & ἐκ προαιρέσεως eas excogitârunt, ut naturæ & ſenſibus ipſis ſe opponerent, vel aliquid, quod nunquam extitit, perſuaderent; coacti fuerunt Sapientes illa manifeſtè & ſenſibus nota confirmare, & è contrario res illas imaginarias refellere & refutare. Ita coactus fuit Ariſtoteles adſtruere Motũ rerum naturalium, quia à nonnullis negabatur; item demonſtrare, non dari indiviſibilia, ſive atoma, quia illa à multis aſſerebãtur. Ex horum cenſu eſt quoq; Remotio formarum ſeu Attributorũ Dei ſubſtantialium, quia eſt ex Intelligibilibus primis: Attributum enim non eſt ſubſtantia ejus, cui attribuitur, ſed quid-

Cur Remotio Attributorũ Divinorũ demonſtratione egeat.

quiddam ſubſtantiæ ſuperadditum, ideoque accidens: quòd ſi namque attributum ſit ipſa ſubſtantia ejus, cui attribuitur, tùm attributum illud eſt identicum & ſuperfluum in prædicatione. Perinde enim eſt ac ſi diceres, Homo eſt homo; aut quaſi diceres, Homo eſt vivens ratione præditum: Nam *τὸ Vivens ratione præditum*, eſt ipſa ſubſtantia & veritas hominis, neque datur tertium aliquid præter hoc, Hominem inquam, quod ſit vitâ & ratione præditũ, ac itidem per hæc attributa deſcribi poſsit. Quare attributum iſtud nihil aliud eſt, quàm explicatio nominis, & eo ſolo differt ab eo, cui attribuitur: ita ut idem ſit ac ſi diceres, Res illa, cui nomen eſt Homo, eſt res compoſita ex vita & ratione. Vides igitur, Attributa neceſſariò eſſe vel ipſam ſubſtantiam ejus, cui attribuuntur, & tùm nihil aliud ſunt quàm explicatio nominis, quo reſpectu illa à Deo nos non excludimus, ſed alio, ut capite ſequenti explicabitur: vel eſſe quidpiam præter ejus ſubſtantiam, & per conſequens accidens illius. Licèt autem Nomen Accidentis negetur in Attributis Dei, (h.e. *licèt nolint dicere, illa Attributa eſſe Accidentia*): non tamen ſtatim negatur res ipſa. Omnis enim res, quæ ſubſtantiæ addita eſt, extrinſecùs apprehendit eam, nec quidditatem ejus perficit, quæ ipſiſsima eſt natura accidentis. Præterea, ſi ſint plures formæ, ſive plura Attributa in Deo, ſequitur hinc plura eſſe æterna. Unitas enim conſiſtere nequit, niſi credamus ſubſtantiam unam, ſimplicem, ſine compoſitione aut multitudine. Illa quippe res una eſt, quæ, quomodocunque reſpiciatur vel conſideretur, una eſt, neque ullo modo, vel ullam ob cauſſam in duo dividi poteſt, ac nullam planè neque extra Intellectum, neque in Intellectu, pluralitatem admittit, prout id alibi in hoc libro demonſtrabimus. Alii dicunt, quòd Attributa Dei neque ſint ſubſtantia Dei, neque res egrediens extra eam, ſicut quidam ajunt, Univerſalia (*Ideæ Platonicæ*) neque eſſe entia, neq; non entia: item, Subſtantiam individuam neque eſſe in loco, neque ab omni termino excludi: iſta quippe dicuntur tantùm, & exiſtunt ſolùm in verbis, non in animis & mentibus, ac propterea multò minùs exiſtentiam habent extra Intellectum. Patroni tamen iſtarum opinionum (quemadmodum cuivis notum eſt) conantur multis verbis & ſimilitudinibus vel exemplis illas adſtruere, magnisque clamoribus, contentionibus, rationibus ac ſophiſmatis, fidem ipſis conciliare. Quando verò illas cum eo conferunt, quod in animo ſuo credunt, nil ſolidi inveniunt, ſed meram confuſionem, & Intellectus imperfectionem, quia ea conantur probare, quæ non ſunt, & medium creare

inter duo contraria, quæ medium nullum habent. Númquid enim datur medium inter Ens & Non ens? & cùm duæ res ponuntur, tùm illarum una necessariò est eadem cum altera, vel aliquid ab ea diversum, *(h.e. tùm vel sunt eadem, vel sunt diversæ & distinctæ)*. Adacti sunt autem ad hanc opinionem, sicut diximus, quòd imaginationibus suis nimis tribuerunt. Nam de omnibus corporibus cogitamus, quòd sint substantia: omnis autem substantia suas habet proprietates, & sua attributa, neque ulla datur substantia corporea, quæ non habeat sua attributa. Hanc igitur imaginationem sequuti existimârunt, Deum quoque ex diversis rebus substantialibus esse compositum, & ex quibusdam substantiæ superadditis. Unde quidam illorum hanc imaginationem sequuti sunt, & crediderunt, Deum esse corporeum: quidam verò ab hac opinione recesserunt, & removerunt à Deo corporeitatem, sed retinuerunt Attributa. Ad omnia autem ista induxit ipsos, quòd sequuti sunt sensum litteralem Legis, sicut in aliis capp. de hac materia agentibus, explicabo.

Quid homines permoverit ad credenda Attributa in Deo?

CAP. LII.

Quinq; modi, quibus omnis res denominatur, vel describitur.

Quinque modis res aliqua describi potest.

OMNIS, quæ de re aliqua instituitur, Denominatio vel Descriptio necessariò ex uno quinque istorum modorum desumitur.

1. Per Definitionem.

Primò enim fit Denominatio rei per Definitionem illius, quemadmodum Homo definitur, quòd sit Vivens ratione præditum, vel Animal rationale. Et hæc denominatio docet de quidditate & essentia ipsius rei, sicut præcedenti capite explicatum est. Est enim tantùm expositio nominis, nec quicquam aliud. Hæc Denominationis vel Attributionis species omnium consensu longissimè à Deo removetur; quia Deus nullas habet caussas se priores suæ essentiæ, per quas definiri posset. Ideoque in confesso est apud omnes sanæ rationis Philosophos, Deum definiri non posse.

Deus nequit definiri.

2. Ab altera tantùm parte definitionis.

Secundò, denominatur res aliqua ab altera tantùm parte definitionis, ut, cùm homo denominatur tantùm vel ab Animalitate, vel à Rationalitate, E.G. quando dicimus, Omnis homo ratione præditus est; sensus est, quòd in quocunque invenitur humanitas, in eodem etiam existat facultas ratiocinandi. Atque hæ denominationes quoque unanimi consensu à Deo removentur. Quòd si enim

habe-

haberet partem quidditatis, tùm quidditas ejus esset composita. Hoc autem naturæ Dei repugnat non minùs quàm quod præcessit.

Tertiò, fit denominatio à re quapiam extra essentiam subjecti, quâ substantia ejus non perficitur, sed quædam tantùm ejus est Qualitas. Qualitas autem (quæ Genus summum est) species est accidentis. Quare si Deo competeret denominatio ex ista specie, tùm sequeretur, in ipso esse accidentia, quod vel solum sufficere posset ad demonstrandum, à natura Dei alienum esse, quòd sit capax qualitatum. Miror autem, quomodo ii, qui statuunt attributa substantialia in Deo, removeant ab eo Similitudinem & Qualificationem, *(sic liceat exprimere terminum Hebraicum* איך *)*. Nam dum ajunt, Deum non qualificari, nil aliud volunt, quàm Deum non habere qualitates. Omne enim attributum, quod substantiam rei consequitur, vel conservat ejus substantiam, & tùm nihil est diversum ab ipsa; vel est qualitas substantiæ illius. *3. A' Qualitatibus.*

Porrò, genera Qualitatum sunt quatuor, è quibus singulis denominationum vel attributionum exempla proponam, ut tibi constet, hanc attributionis speciem Deo nullo modo attribui. *Quatuor sunt genera Qualitatum.*

Primi generis exemplum est, si describas hominem à natura quadam ejus speculativa, vel à virtute, aut alia dispositione, vel habitu, qui ei inest, animæque ejus adhæret: ut, si dicas, Iste faber, vel, Iste Timens Deum, vel, Iste ægrotus, vel, Sapiens iste, Medicus iste, Misericors iste, &c. Inter hæc omnia nulla est differentia; nam omnis ars, sapientia, vel virtus, cùm habitualiter inest, habitus est animi, quemadmodum illis notum est, qui Logicam vel primis tantùm labris degustârunt.

Secundi generis exemplum est, quando denominas rem à naturali ejus Potentia vel Impotentia: ut, cùm aliquid dicis Lene vel Durum, Forte vel Debile. Omnia enim ista sunt qualitates naturales.

Tertii generis est, cùm denominas hominem à Passibili ejus qualitate vel Passione: ut, cùm dicis, Homo iste iracundus, contentiosus, timidus, misericors; quando nempe virtutes non confirmatæ sunt &c. Item, cùm rem describis à Visu, Gustu, Odoratu, Calore, Frigore, Siccitate, Viriditate &c.

Quarti generis exemplum est, cùm denominas rem ab eo, quod ei accidit quatenus Quanta est, (h.e. *à figura & forma)*: ut, cùm aliquid dicis Longum, Breve, Obliquum, Rectum &c.

Quòd si igitur jam sigillatim omnes istas & similes denominationes consideraveris, deprehendes, eas Deo nullo modo posse attri- *Deus nullas habet Qualitates.*

tribui. Non enim habet Quantitatem, ut ei competat Qualitas ratione Quantitatis, vel figuræ & formæ. Non est Pafsibilis, ut eum apprehendat Pafsibilitas vel Pafsio. Nihiletiam habet, cujus ratione ipsi posit competere Potentia naturalis, vel Impotentia. Deni-que, non habet Animam, cujus respectu ipsi accidat Dispositio vel Habitus, ut Mansuetudo, Pudor, vel aliud quid, quod corpus animatum sequitur, quatenus animatum est, ut Pinguedo, Aegritudo, &c.

Sic ergo explicatum tibi est, nullam Denominationem, vel nullum Attributum desumptum ex summo genere Qualitatis existere in Deo Benedicto: & ita vidimus huc-usque tres Denominationis sive Attributionis modos, qui docent vel de ipsa rei Quidditate, vel de Parte quidditatis, vel de Qualitate aliqua existente in quidditate, ac de singulis demonstratum est, quòd Deo attribui non possint, propterea quòd omnes in universum docent de Compositione, quam à Deo removendam esse alibi demonstrabitur. Quare constanter asserimus, Illum absolutissimè esse Unum.

part.2.c.2.

4. A' Loco, Tépore, vel Persona &c.

Quartò denominatur vel describitur res à proprietate quadam, quæ est extra eam, ut à Loco, vel Tempore, aut Persona: ut, cùm describis Rubenem, quòd sit Pater τȣ̃ N. aut Amicus, vel vicinus illius in certo quopiam loco, aut, quòd hoc vel illo tempore fuerit. Hæc species Attributionis non inducit multitudinem vel mutationem in substantia subjecti. Nam si de Rubene dicatur, quòd sit Socius Simeonis, Pater Hanochi, Dominus Levi, Amicus Judæ, habitans in domo tali, natus in loco tali, hæc omnia neque sunt de ipsius substantia, neque res aliqua substantiæ inhærens, ut qualitates. Ac initiò nō videtur absurdum esse, si per hanc denominationis speciem Creator describatur, taliaque ipsi attribuantur. Verùm si ad veritatis trutinam res examinetur, & accuratè consideretur, liquebit, id nullo modo posse fieri. Nulla etenim est comparatio vel proportio inter Deum & Tempus vel Locum, ut alibi declarabitur. Tempus quippe est accidens motus secūdùm prius & posterius, ac proinde etiam numerari potest, sicut exponetur in aliis locis huic rei peculiariter destinatis, & Motus est rerum corporearum. Deus autem non est corporeus. Quocirca inter Ipsum & inter Tempus nulla est comparatio. Sic nulla quoque proportio est inter Ipsum & inter Locum. Nam de proprietatibus Loci est ambire Locatum; quod verò ita ambitur, necessariò est corpus. Quare cùm Deus non sit corpus, à loco quoque non describi vel denominari potest.

Deus non potest definiri à Loco vel Tempore.

part.2.c.13.

Res tamen consideratione digna hoc loco est; An nulla planè sit pro-

proportio inter Deum Benedictum & Creaturas ejus, à qua Deus denominari posʃit? Equidem quòd nulla inter Deum & creaturam aliquam sit Relatio, manifestum est. Nam de proprietatibus duorum Relatorum est, ut sint ἀντιστρέφοντα & æqualiter inter se permutentur. Jam verò Deus necessariam habet existentiam. Quæcunque autem sunt extra eum, potentiâ tantùm existunt, sicut explicabimus. Quare inter illa nulla potest esse Relatio. At verò Comparationem quod attinet, non videtur esse ἀδύνατον primâ fronte. Veruntamen neque illa hîc locum habet: nam si inter Intellectum & Visum, quæ nostrâ sententiâ eâdem essentiâ comprehenduntur, nulla est comparatio; quomodo posset esse proportio inter illa, quæ nullo respectu sub una & eadem re comprehendi possunt? Essentia enim vel τὸ Esse juxta nos de Deo, & de aliis mere ὁμωνύμως dicitur: unde nulla potest in veritate esse comparatio inter Ipsum & creaturas ejus. Comparatio quippe vel proportio inter ea est, quæ sub una & eadem specie proxima continentur: quòd si verò sub uno tantùm genere contineantur, nulla inter illa potest esse proportio vel comparatio. Idcircò non dicitur, Hæc rubedo est fortior vel debilior quàm ista viriditas, vel ipsi æqualis, licèt sub eodem genere comprehendantur, Colore scilicet. Si autem duæ res sint sub duobus summis generibus, tùm extra omnem controversiam, etiam in noticia communi & naturali, non possunt inter se comparari: quin imò sæpè, etsi ad unum genus referantur: ut, Apud omnes sanæ mentis homines in confesso est, nullam esse comparationem inter centum cubitos, & inter calorem piperis: hoc enim est in prædicamento Qualitatis, illud in prædicamento Quantitatis. Sic nulla est comparatio inter Sapientiam & inter Dulcedinem, vel inter Mansuetudinem & inter Amaritudinem, licèt sint sub uno genere summo, videlicet Qualitate. Quare cùm nulla inter has res posʃit esse comparatio, quomodo comparari posset Deus cum creatura aliqua, cùm tanta in ipsa essentia inter illa sit differentia, ut non major esse posʃit? Prætetea, si inter ea esset comparatio, sequeretur necessariò in Deum cadere accidens comparationis, quamvis illud accidens non sit in ipsa Dei essentia. Vides ergo, neque comparationis respectu aliquam denominationem vel attributionem Deo in rei veritate attribui posse: quamvis inter illas, quibus Creator metaphoricè describi solet, hæc sit omnium convenientisʃima. Nam licèt comparata varientur, tamen non sequitur inde Multitudo æternorum, vel Mutatio in Deo Benedicto.

An nulla inter Deum, & creaturas sit proportio?

5. *Ab Operibus vel Actionibus.* *Quintò* fit denominatio ab Opere vel Actione aliqua. Per Opus autem vel Actionem, non intelligo hîc Habitum artis, qui subjecto inest, ut cùm dico, Faber, Pictor &c., ista enim sunt ex specie Qualitatis, sicut antè docuimus; sed intelligo Opus vel Actionem aliquam certam aut particularem: ut cùm dicis, Ruben est, qui renovavit hanc januam, qui ædificavit istum murum, qui texuit istud vestimentum. *Ab his potest Creator describi.* Atq; hæc Attributionis vel denominationis species longissimè remota est ab essentia Comparati, ideoque commodè illa Deus Opt. Max. describi potest. Nôsti enim, quòd non necesse sit, ut opera talia diversa fiant per res diversas in essentia operantis: & quòd omnia opera Dei fiant non per rem aliquam extra ipsius essentiam, sed per solam ejus essentiam, sicut explicuimus.

Summa ergo eorum, quæ in hoc capite pertractavimus, est, quòd Deus omnimodè sit unus, nullam admittens multitudinem, neque etiam rem aliquam præter ipsius substantiam vel essentiam, & quòd multa nomina & attributa illi in Sacris libris tribuantur, propter multitudinem ipsius operum, non verò propter multitudinem in ejus essentia. Quædam verò etiam ei attribuuntur, ad docendum de ipsius perfectione, ut demonstravimus cap. 26. 46. & 47. hujus libri. An verò fieri possit, ut detur substantia aliqua simplex, in qua nulla sit multitudo, quæ diversa facere queat opera? id in sequentibus declarabitur.

CAP. LIII.

Quid seduxerit eos, qui credunt varia Deum habere attributa? Quid item credendum sit de quatuor illis, de quibus omnes consentiunt, Vivus, Sapiens, Potens, Volens.

VNA est ferè & eadem res, quæ permovit illos, qui credunt, diversa esse in Deo attributa, & eos, qui credunt corporeitatem. Quemadmodum enim illos, qui credunt corporeitatem, non induxit ad eam credendam Speculatio Intellectualis, sed quòd secuti sunt sensum Scripturæ litteralem & externum: ita quoque eos, qui credunt Attributa Dei. Nam cùm vidissent, Deum in Lege & Prophetis, variis Attributis describi, litteraliter illi statim hoc acceperunt,

runt, & crediderunt, Attributa illa reverà in Deo existere; eximentes quidem Deum à corporeitate, sed non ab affectionibus corporeis, quæ sunt accidentia, h.e. à dispositionibus animalibus, quæ omnes nihil aliud sunt, nisi qualitates. Quòd si etenim examines omnia illa Attributa, quæ illi credunt in Deo esse essentialia, deprehendes, illa in universum qualitatem aliquam significare, licèt expresse illud non afferant. Nam, quia omnia corpora animata talia attributa habent, existimârunt, illa quoque Deo rectè attribui. At verò de omnibus tenendum est vulgare illud dictum; *Loquitur Lex secundùm linguam filiorum hominum.* Intentio quippe illorum *(Attributorum sc., quæ à Prophetis Deo attribuuntur)* est, attribuere Deo perfectionem, non substantiam illius rei, quæ Ei attribuitur: ac præterea multa (attributa vel nomina) respiciunt opera ejus diversa. Jam autem non statim variantur res existentes in operante, cùm variantur opera. Cujus rei exemplum tibi producam à rebus, quæ inter nos existunt, ubi ab uno agente vel operante diversæ procedunt operationes, & quidem ab agente involuntario, unde à minore ad majus facilè potest concludi, quid sentiendum sit de agente voluntario. Ignis quasdam res dissolvit, alias congregat & concrescere facit, coquit & comburit, dealbat & denigrat. Jam si quis describeret Ignem, quòd sit dealbans, denigrans, coquens, comburens, congregans, dissolvens, sanè præter veritatem nihil diceret. Verùm si aliquis naturæ Ignis ignarus hæc audiret, imaginaretur sibi, sex diversas res Igni inesse, unde istæ operationes procedant; unum sc., quod denigrat, alterum dealbans, tertium coquens, quartum comburens, quintum fundens vel dissolvens, sextum coagulans & condensans. Etenim actionum istarum quælibet alteri est contraria, neque ulla earum cum altera convenit. Qui verò cognitam & perspectam habet naturam Ignis, novit, illum unâ qualitate omnes istas operationes perficere, Calore videlicet. Quòd si ergo hoc invenitur in eo, quod naturaliter agit, quantò magìs reperietur in eo, quod agit voluntariè, immò quantò magis in Creatore (cujus natura est ineffabilis), credemus omnia attributa, licèt diversa, (nostro sc. sensu) esse unum & idem? Sapientia enim in nobis non est Potentia, & Potentia non est Voluntas. Quocirca hinc non debemus concludere, in Deo diversas res esse substantiales & essentiales, aliud videlicet quod scit, aliud quod vult, aliud quod potest, quæ est sententia illorum, qui Attributa Deo attribuunt, ubi tamen discrepant. Alii enim expresse dicunt & statuunt, Attributa hæc esse res additas

Diversitas actionum, nō inducit diversitatem in agente.

ipsius substantiæ: alii verò non apertè hoc dicunt; at licèt verbis id nolint confiteri, in re ipsa tamen nihil aliud credunt. Dicunt enim, Deus per essentiam est potens, sapiens, vivens; volens est per essentiam. Sed missis illis, veritatem sententiæ nostræ exemplo tibi declarabo. Facultas rationalis in homine est facultas una, neque ulla in ea est pluralitas vel multitudo. Vi autem illius facultatis Homo scit & addiscit scientias & artes: illius virtute dolat, texit, ædificat, discit varias disciplinas, ut Geometriam vel Arithmeticam; illâ etiam novit provinciam vel civitatem aliquam regere & gubernare. Hæ actiones omnes proficiscuntur ab una simplici facultate, in qua nulla est multitudo, & tamen sunt tot illarum actionum, quæ ab ea procedunt, ut vix numerari possint. Quod cùm ita sit, non alienum censendum est à Deo Benedicto, ut plures & discrepantes operationes procedant ab una & simplicissima ejus essentia, ita ut nulla tamen in ea statuatur pluralitas, nec res aliqua adventitia.

Attributa, quæ Deo in Scriptura attribuuntur, qualia sint. Proinde Attributa Dei omnia, quæ in Scriptura Ipsi attribuuntur, vel sunt nomina Operum, non verò Essentiæ illius: vel docent de ejus absolutâ Perfectione; non autem, quasi essentiam haberet ex diversis rebus compositam. At licèt vocem Compositionis nolint admittere, res ipsa tamen & sensus ejus manet, si substantia aliqua ponatur talia attributa habens. Sed tamen restat adhuc dubium quoddam, quod & ipsum tibi explicabo. Nam agnoscunt quidem, ab una essentia posse profluere diversas actiones; sed negant, illa Attributa esse nomina diversarum & variarum ipsius operationum: verùm dicunt, esse Attributa essentialia Dei, non operum ipsius; nam si dicerent, esse essentialia, & esse nomina operum Ipsius, sequeretur, Dei essentiam esse creatam. De numero autem Attributorum illorum essentialium dissentiunt, quia varia ac diversa Scripturæ loca sequuntur. Hoc loco recensebo tibi ea tantùm, de quibus omnes consentiunt, ducti non testimonio & authoritate Scripturæ, sed propriâ ratione, existimantes, illa ita certa & manifesta esse, ut à nemine negari possint. Horum autem sunt numero quatuor, *Vivens, Potens, Sapiens, Volens*, de quibus ajunt, quòd sint res diversæ (sc. *ab essentia Dei, i.e. quòd non sint ipsa Dei essentia*), & perfectiones, quarum nullâ Deus carere queat, (h.e. *sed tamen talia, quæ essentiam Dei necessariò comitantur, & sine quibus esse nequit*), & quòd nullo modo fieri possit, ut sint de operibus ejus. Hæc summa est sententiæ ipsorum.

Sapientia & Vita in Deo idem. Tu autem scias, quòd *Sapientia* & *Vita* in Deo idem sint, quatenus per utrumque hoc attributum significatur, quòd Deus seipsum vel essen-

essentiam suam apprehendat, quia omne, quod apprehendit essentiam suam, Vitâ & Sapientiâ est præditum. Deinde, quòd Essentia apprehendens in Deo reverà nihil aliud sit, quàm Essentia apprehensa. Nam Deus non est compositus ex duabus rebus, quarum una apprehendit, altera non apprehendit, quemadmodum Homo compositus est ex anima, quæ est apprehensiva, & ex corpore, quod non est tale. Sic ergo, cùm vocamus Deum Sapientem, hoc sensu, quòd apprehendat seipsum, Vita & Sapientia in Deo sunt unum & idem, *(atque ita evertitur sententia ipsorum, quia statuunt, attributa illa in Deo inter se differre.)* Verùm illi non respiciunt hunc sensum, sed apprehensionem creaturarum ejus, *(atque ita sibi contradicunt, quia si per Sapientiam intelligitur Apprehensio creaturarum, erit hoc attributum non essentiale, sed operũ Dei).* Sic reliqua duo attributa quod attinet, *Potentiam* sc. *& Voluntatem*, neutrum sanè illorum quoque invenitur in notione essentiæ Dei Benedicti, quia non potest de illis Homo cogitare, quòd Deus Possit seipsum, vel Velit seipsum; sed concipiuntur ea respectu comparationum inter Deum & creaturas ejus: ut, quòd Potens sit, quia creavit omnia; quòd sit Volens, quia existere facit id, quod existit; quòd sit Sciens, illud nempe, quod fecit existere.

Quare nos, qui Unitatem Dei tenemus & asserimus, quemadmodum non dicimus, quòd in essentia ejus sit res quæpiam adventitia, quâ creavit Cœlos, & alia, quâ creavit Elementa, alia item, quâ creavit Intelligentias: ita quoque non statuimus, quòd sit in Deo præter ipsius Essentiam aliquid quod Potest, aliud quod Vult, aliud quo Intelligit creaturas suas: sed firmiter credimus, quòd Essentia ejus unica sit & simplicissima, nec quicquam habeat adventitium, quòd item creârit omnia, quòd sciat omnia, nec tamen per rem aliquam adventitiam, quòd item nomina sive attributa ista Deo adscribantur vel ratione Operum ipsius, vel secundùm comparationem inter Ipsum & ejus Opera; comparatione videlicet acceptâ, prout nos ejus naturam explicuimus, quòd sc. ea fiat non propter rei veritatem, sed propter imaginationes & cogitationes nostras, vel deniq; quòd doceant de perfectione ejus, propter similitudinem cum perfectionibus illarum rerum, quas nos intelligimus, sicut ulteriùs adhuc explicaturi sumus.

CAP. LIV.

Quid petierit Moses à DEO, *quando dixit,* Notas mihi fac vias tuas? *Item,* Ostende mihi quæso gloriam tuam? *Quidq; Deus ipsi ad hæc responderit? Explicatur etiam, quid sint* Viæ Dei.

Moses à Deo duo petiit.

SCITO, quòd Sapientum omnium Antesignanus & Antistes, Moses Præceptor noster, duo à Deo petierit, & quòd ad utrumque responsum à Deo Opt. Max. acceperit.

Primò enim petiit à Deo, ut ostenderet ipsi Essentiam & Veritatem suam. *Secundò* petiit, ut nota faciat ipsi Attributa sua. Ad ambas has petitiones respondit ipsi Deus; primò promittens ei, se notum quidem facturum ipsi nomina & attributa sua, quæ nihil aliud sint quàm sua opera; deinde, indicans ei, Essentiam suam prout est à nemine apprehendi posse: attamen evecturum se eum in talem speculationis locum & gradum, unde queat apprehendere, quicquid homo mortalis de Deo apprehendere possit, quemadmodum sanè tantum apprehendit, quantum nemo unquam ante ipsum, nec post ipsum.

Primò petiit cognitionem Attributorum Divinorum. Exod. 33. 13.

Petitio notitiæ Attributorum Dei Benedicti comprehensa est in his verbis, *Ostende quæso mihi vias tuas, ut cognoscam te, utq; inveniam gratiam in oculis tuis.* In quibus verbis multa admiratione digna observanda occurrunt. Nam dum ait, *Ostende mihi quæso vias tuas, ut cognoscam te, utq; inveniam gratiam in oculis tuis:* docet, quòd Deus Benedictus per nomina vel attributa sua cognosci possit, utpote cùm is, qui novit vias ejus, nôrit ipsummet Deum. Deinde, dum ait, *Ut inveniam gratiam in oculis tuis*, docet, eum, qui cognoscit Creatorem, gratiam invenire in oculis ejus, non verò illum solùm, qui jejuniis vacat & orationibus. Nam is, qui Deum cognoscit, Ipsi placere & appropinquare vel propinquus esse dicitur: qui verò eum non cognoscit, is est, cui Deus irasci, quique à Deo remotus & elongatus esse dicitur. Pro mensura enim Sapientiæ & Ignorantiæ judicatur de ira Dei vel ejusdem gratia, de appropinquatione ad Ipsum, & elongatione ab Ipso. Sed hæc extra oleas, & præter scopum istius capitis, quare revertor ad institutum nostrum.

Postea-

Posteaquàm ergo Moses à Deo petiisset cognitionem Attributorum, & ut populo propitius esse velit, responsumque à Deo de gratia populo exhibenda accepisset, ulteriùs progressus est, & petiit quoque Apprehensionem Essentiæ Dei, idque his verbis, *Ostende mihi quæso gloriam tuam!* *Secundò petiit cognitionem Essentiæ Dei.* Exod.33.v.18.

Responsum itaque à Deo ad utramque hanc petitionem accepit. Ad priorem quidem, quâ petiit, *Ostende mihi quæso vias tuas*, respondit ipsi Deus, *Ego transire faciam omne bonum meum ante faciem tuam.* Ad secundam verò hoc responsum accepit, *Non poteris videre faciem meã, quia non videbit me homo & vivet.* Dum ait, *Quòd velit transire facere ante faciem ejus omne bonum suum*, significat, se ostensurum ipsi omnia entia à se creata, de quibus legimus, *Et vidit Deus quicquid fecerat, & ecce bonum valdè erat*; & quidem ita ostensurum, ut accuratè apprehendat naturas ipsorum, quomodo item invicem sint colligatæ & unitæ, & quæ sit ratio gubernationis ipsorum, idque tàm universaliter & in genere, quàm singulariter & in specie. Huc respicit Deus, quando ait, *In tota domo mea fidelis est*: q.d. Ipse intelligit essentiam Mundi mei totius intelligentiâ fideli, verâ & solidâ. Scientiæ enim, quæ non sunt veræ, non sunt solidæ, sive stabiles & diuturnæ. Quocirca opera illa sunt attributa ejus, à quibus cognoscitur. Quòd verò illud, cujus apprehensionem Mosi Deus promisit, sint ejus opera, id inde probari potest, quia id, quod Deus ipsi notum fecit, sunt mera attributa sive cognomina operum illius, ut, Misericors, Gratiosus, Longanimis, Multus benignitate &c. Sic itaque declaratum tibi est, Vias illas, quarum cognitionem Moses expetiit, quas etiam Deus ipsi notas fecit, esse opera provenientia à Deo. Sapientes appellant מדות Middoth *Mensuras, Proprietates*, ut cùm dicunt, *Tredecim sunt* Middoth *mensuræ, proprietates*, quam vocem etiam usurpant de Proprietatibus hominis, ut, *Quatuor sunt* Middoth, h.e. *proprietates eorum, qui Scholam adeunt.* Item, *Quatuor sunt* Middoth *proprietates in iis, qui dant eleemosynam* &c. Hoc verò non ideò fit, quasi Deus quoque tales proprietates haberet, sed quia facit opera similia operibus illis, quæ à nobis proveniunt ex proprietatibus, h.e. dispositionibus animalibus, nequaquam verò quòd ipse quoque ejusmodi dispositiones animales habeat. *Ad utrumque respõdit ei Deus.* Exod.33.19. Ibid.vers.20. Genes.1.31. Num.12.7. Exod.34.6.7. *Viæ Dei sunt opera Dei.* *Proprietates Dei vocantur* Middoth *à Rabbinis.*

Suffecit autem ipsi enumeratio tredecim illarum proprietatum, quamvis omne bonum, h.e. omnia opera ejus apprehenderit; quia illæ proprietates sunt opera sive actiones Dei, ad Conservationem & Gubernationem generis humani pertinentes, quod unicum Moses *Cur Deus tredecim tantùm proprietates enumerârit?*

Moses

ses in sua petitione intendit. Nam verborum illorum, *Ut cognoscam te, utq; inveniam gratiam in oculis tuis, & vide quòd populus tuus sit gens ista,* summa hæc est: Quia mihi incumbit populum hunc regere & gubernare, vellem in gubernatione illorum incedere in via & modo operum tuorum, quibus tu illos regis & gubernas. Ita ergo nunc quoque tibi ostensum est, quòd Derachim *Viæ*, & Middoth sive *Proprietates* Dei sint unum & idem, Opera nempe Dei, quæ à Deo Opt. Max. in Mundum hunc proveniunt.

Porrò, ab unoquoque opere, quod apprehenditur, denominatur Deus certo aliquo nomine sive attributo, ab illo opere deducto & derivato. E. G. Cùm apprehenditur subtilissimus ejus modus generandi embryonem in animali aliquo, quàm mirâ ratione in ipso existere faciat varias facultates; præterea, quàm curiosè & sollicitè progenitores partum illum educent, à morte & interitu præservent, ab omni damno & læsione custodiant, ac omnia necessaria ipsi subministrent; hinc, quia hæc & similia opera à nobis non fiunt nisi post Passionem & Commotionem viscerũ, quæ vocatur *Misericordia*, ideò

Cur Deus vocetur Misericors? dicitur de Deo, quòd sit *Misericors*, sicut legitur, *Quomodo miseretur pater filiorum.* Item, *Et parcam eis quemadmodum quis parcit filio suo.* Quæ

Psal.103.13. Mal.3.17. proinde nõ ita accipienda sunt, quasi Deus Passioni esset obnoxius, vel quasi viscera ejus commoverentur, sed quia simile quid à Deo ad Sanctos ejus provenit, quod à patre super filium, qui ad clementiam, compassionem & misericordiam erga ipsum commovetur: nequaquam verò propter passionem aut mutationem aliquam.

Job.19.21. Gen.33.5. Ibid.v.11. Quemadmodum etiam nos *Chaninah* Gratiam vocare solemus, cùm quippiam largimur ei, cui nil debemus: ut, Channuni *Gratiam facite mihi amici mei.* Item, *Quos* chanan *gratiosè largitus est Deus.* Item, *Quia* channani *ex gratia dedit mihi Deus:* ita quia Deus creat,

Cur Deus vocetur Gratiosus. conservat & gubernat eos, quibus nullo jure est ad hæc obligatus, ideò vocatur Channun *Gratiosus.*

Cur Deus vocetur Zelotypus, Vindex, Irascẽs, Servans iram, &c. Quandoquidem etiam inter Opera Dei externa genus humanum spectantia, sunt Pœnæ & Plagæ ipsius, quas illis immittit, eæq; vel Particulares, erga certos & paucos quosdam, vel Universales, quæ totas familias, provincias, civitates penitùs consumunt & funditùs everrunt, quemadmodum in aquarum inundationibus, terræmotibus, bellis, pestilentiis, & aliis ejusmodi Dei flagellis evenire solet; ideò, quia hæc à nobis erga alios non exercentur nisi ex ira & gravissima indignatione, vel zelotypiâ, aut vindictæ cupiditate, Deus quoque ab hujusmodi operibus vocatur *Zelotes, Vindex, Irascens,*

ſiens, & *Servans* ſc. vindictam vel inimicitiam, h. e. quia ſimiles actiones & ſimilia opera in nobis proveniunt à diſpoſitionibus animi, quæ vocantur Zelotypia, Vindictæ cupiditas, Ira. Deus autem illa perficit citra ullam paſsionem, ſecundùm uniuscujusque meritum: Deus enim eſt perfectiſsimus, neq; ulla in ipſum cadit imperfectio. Atq; ita omnes Dei actiones, vel omnia ipſius opera, ſimilia quidem ſunt actionibus, quæ in hominibus à certis paſsionibus & qualitatibus animi proficiſcuntur; verùm in Deo non proveniunt à re aliquâ eſſentiæ ſuperadditâ. Quare Princeps vel Gubernator Provinciæ alicujus operam dare debet, ut in iſtis proprietatibus Deo ſimilis exiſtat, exerendo & exercendo illas ſecundùm æquitatem & judicium, nequaquam verò ſecundùm affectus & paſsiones ſuas; ideoque cavebit ſibi, ne iræ fræna laxet, vel alios affectus nimiùm ſibi dominari ſinat. Omnis enim paſsio mala eſt & vitioſa. Prudentem itaq; & cautum hic decet eſſe hominem, quantum in ipſo eſt, ita ut certis temporibus & certis perſonis ſit Miſericors & Gratioſus, non ſimpliciter & nudè ex Commiſeratione & Miſericordia, ſed cum ratione, prout res & æquitas poſtulat. Sic quandoque & erga quosdam ſit Servans, inimicitiam ſc., Ultor, Vindex, Iratus, non tantùm ex ira & indignatione, ſed pro ratione delicti, ita ut verbi gratiâ jubeat aliquem comburere, neq; tamen in ipſum ſit iratus & exacerbatus, neq; etiam ipſum ſpernat & contemnat, ſed ſimpliciter quia videt illum hoc eſſe commeritum, & quòd ex hoc opere magnum ſit ad homines emolumentum redundaturum. Hinc cùm præcepit Deus ſeptem Gentes perdere & exſtirpare, poſtquàm dixiſſet, *Non relinques vivam ullam animam*, ſtatim ſubjungit, *Ne doceant vos facere ſecundùm omnes abominationes ſuas, quas faciunt Diis ſuis, & peccetis in Dominum Deum veſtrum*: q. d. Non eſt quòd exiſtimetis, hoc Crudelitatem ſive Tyrannidem & Vindictæ cupiditatem eſſe, ſed eſt opus, quod ipſe intellectus humanus juſtum & æquum eſſe judicat, ut ſc. è medio tollatur quicunque recedit & declinat à via veritatis, adeoq; removeantur quicunque impediunt homines ab aſſequenda perfectione, quæ eſt Apprehenſio Creatoris. Præterea obſervandum eſt & hoc, quòd deceat, ut plura ſint Principum & Magiſtratuum opera Miſericordię, Clementiæ, Gratiæ, quàm verò opera Pœnæ; eò quòd tredecim illæ proprietates (*Moſi à Deo revelatæ, Exod. 34. 6. 7.*) omnes ſint Miſericordiæ, unicâ exceptâ, hac videlicet, *Viſitans iniquitatem Patrum ſuper Filios*. Nam illius *Nakko lo jenakkeb* ſenſus eſt, Exſtirpando non exſtirpabit, ſicut verbum נִקָּה *Nakah* ſumitur in illo, *Ve-*

Non eſt affectibus indulgendū.

Non iraſci debemus perſonis, ſed vitiis.

Deut. 20. 16.

Ibid. v. 18.

Plura decet Principes facere opera Clemētiæ, quàm Ultionis & Pœnæ.

Exod. 34. 7.

Jeſa. 3. 26.

nikkata Et exstirpata in terra sedebit. Quod verò prædictam proprietatem attinet, *Visitans iniquitatem patrum super filios*, scias, illam tantùm de peccato Idololatriæ accipi, quod inde demonstrari potest, quia in Decalogo dicitur, Super tertiam & quartam generationem *eorum, qui oderunt me*. Nam nemo vocatur *Osor Dei*, nisi Idololatra, sicut dicitur, *Omnem abominationem Dei, quam odit*. Quatuor autem tantùm generationum mentionem facit, quia summum, quod homo de semine suo videre potest, est generatio quarta. Quando igitur interficiuntur Idololatræ civitatis alicujus, tùm occidetur senex idololatra, & filius ejus, nepos item, & pronepos ejus; quasi diceret, Ex præceptis ejus (pręcepta autem sine dubio quoq; comprehenduntur sub operibus) esse, ut semen & posteri Idololatrarum quoque, licèt parvuli, occidantur, propter peccata patrum & majorum suorum. Atque hoc præceptum passim in Lege observatum invenimus, unde etiam de Urbe ad Idololatriam impulsa & prolapsa mandavit, ut ipsa perdatur & quicquid in ea fuerit, idque præcipuè eo fine, ut macula illa deleatur, & magnum damnum, quod inde oriri posset, præcaveatur.

Vide cap.36. hujus partis. *Osores Dei tantùm vocantur Idololatræ.* Deut.12.31. Deut.13.13.&c.

Sic ergo declaravimus, quare Deus ex operibus suis istorum tredecim solùm mentionem fecerit? ideò nempe, quia his tantùm in Gubernationibus Politiarum & Provinciarum opus habemus. Supremus etenim gradus hominis est, ut, quàm maximè fieri potest, Deo similis evadat, ita sc., ut accõmodemus vel conformemus opera nostra ad opera illius, quemadmodum Sapientes nostri explicârunt in expositione versus illius, *Sancti estote, quemadmodum ego sanctus sum*. Dixerunt, *Quomodo? Ipse est gratiosus, sic & tu sis gratiosus: quemadmodum ipse est misericors, sic & tu sis misericors*. Generalis autem intentio nostra fuit demonstrare, quòd Attributa sive Proprietates Deo Opt. Max. attributæ, sint nomina Operum illius, non verò ita intelligendæ, quasi Deus esset Qualitati subjectus.

Levit.11.44.

CAP. LV.

De iis, quæ à Deo sunt removenda. De utilitate item Scientiæ Naturalis ad cognitionem Dei.

Removenda à Deo corporeitas.

IN quàm pluribus hujus libri capitibus jam inculcavimus, removendum esse à Deo omne id, quod corporeitatem inducit, eique

patro-

patrocinatur,ideoq; illi ulteriùs demonstrando,hîc supersedebimus.

Pari ratione à Deo removenda est Passio omnis,quia omnem Passionem necessariò sequitur Mutatio,& quia efficiens passionum citra dubium aliud est,quàm id,quod patitur. Unde si Deus esset Patiens vel Passibilis,quocunque demùm Passionis modo,necessariò aliquid extraneum in Ipsum ageret,eumq; mutaret. *Passio.*

Sic removenda quoque à Deo est omnis Privatio,ac simpliciter negandum,Illum unâ vice perfectione quâdam carere,quæ aliâ vice Ipsi insit. Nam si hoc statueretur,tùm potentiâ tantùm perfectus esset: cum omni etenim potentiâ necessariò privatio est conjuncta, & quicquid de potentia in actum exit,aliud quid de necessitate habet,quod illud educit,& quod actu existit.Quare consequitur,omnes perfectiones Deo inesse actu, nec quicqua... ...si potentiâ ullâ ex parte inesse. *Privatio.*

Præterea,removenda est à Deo omnis Similitudo & Comparatio cum rebus creatis,id quod & quivis facilè per se percipere potest & animadvertere,& à Prophetis nostris jamdudum revelatum, ut. *Cui assimilabitis me & æquabor? Cui igitur assimilabitis Deum? Nemo est sicut tu,&c.* *Similitudo.* Jesa.40.25. Ibid.v.18. Psal.86.8.

In summa,quicquid est ex aliqua è quatuor sequentibus speciebus,id à Deo removendum est; *primò*,quicquid inducit corporeitatem; *deinde*,omnis passio & mutatio; *tertiò*,quicquid inducit privationem,ita ut statuatur res aliqua ipsi nunc actu nô inesse,quæ postea in actu ei insit; *quartò*,omnis similitudo creaturæ alicujus. Atq; hæc sunt de utilitatibus,quas affert Sciêtia Naturalis in cognitione Dei. Quicunq; enim illas scientias ignorat,ille nequit intelligere imperfectionem Passionis,neq; naturam ejus,quod actu vel potentiâ existit; ignorabit etiam,quòd Privatio sequatur id,quod potentiâ existit; quòd item id,quod in potentia manet,imperfectius sit eo,quod de potentia egreditur in actum; & denique quòd id,quod movetur, imperfectum quoque sit,si referatur ad id,cujus virtute movetur,& de potentia in actum exit. Ac licèt quis ista in genere sciat,sed non è fundamentis & per demonstrationes,tamen nesciet adhuc particularia,quæ ex istis generalibus principiis consequuntur,ideoque nullam poterit dare demonstrationem essentiæ Dei,neq; rationem reddere,cur istæ species ab ipso removeantur. His ergo ita præmissis,incipiam in sequenti capite explicare falsitatem sententiæ illorum,qui credunt,Deum habere Attributa essentialia,quę intelliguntur ab iis,qui in Logicis & Physicis sunt versati & exercitati. *Scientiæ Naturalis utilitas.*

CAP. LVI.

Nullam esse similitudinem inter Deum & aliud quid extra Ipsum.

Similitudo quid sit.

SIMILITUDO est comparatio, vel proportio & analogia quędam inter duas res. Inter quascunq; igitur res nulla est proportio vel affinitas, inter illas quoq; nulla est similitudo: & vice versâ, Inter quæcunque nulla est similitudo, inter illa quoq; nulla est proportio vel comparatio: v.G. non dicimus, Hic calor similis est illi colori, vel, Vox hæc similis est illi dulcedini. Atq; hoc per se clarum est & manifestum. Sublatâ itaque proportione vel comparatione inter nos & Deũ Opt.M[illegible].e. inter ipsum, & quicquid est præter ipsum, tollitur quoq; sim[illegible]itudo.

Similitudo inter quæ sit?

Scias autem, quandocunq; duæ res sunt sub una specie, h.e. quando quidditas earum una est, licèt interim discrepent in magnitudine, parvitate, fortitudine, debilitate aut simili aliquâ re, hac discrepantiâ nihil obstante inter illas esse similitudinem. E.G. Similitudo est inter granum sinapis & inter sphæram stellarum fixarum, in tribus sc. dimensionibus, quamvis illud sit extremè parvum, hæc verò extremæ magnitudinis. Essentia enim ipsa dimensionum in illis una est & eadem. Sic Cera liquefacta à Sole & elementum Ignis assimilantur inter se in Calore, licèt ibi calor sit debilis, hîc verò vehementior. Qualitas enim utrobiq; est eadem.

Sic itaq; intelligere deberent illi, qui credunt, quòd Proprietates sive Attributa Dei, qualia sunt, *Existens, Vivens, Sapiens, Sciens, Potens, Volens*, Ipsi sint essentialia, quòd illa attributa nullo respectu eodem modo Ipsi & nobis attribui possint, *(h.e. quòd nihil planè commune habeant)*, ac proinde non tantùm differant Magnitudine, Perfectione, Duratione, Firmitate, ita ut Essentia ipsius sit magìs stabilis & firma quàm essentia nostra, Vita ejus magìs durabilis quã vita nostra, Potentia ejus major potentiâ nostrâ, Sapiẽtia ejus magìs perfecta quàm sapientia nostra, Voluntas ejus magìs universalis quàm voluntas nostra, neque unâ definitione comprehendantur, quemadmodum autem illi volunt. Nequaquam ita se res habet. Nam Magis & Minus dicuntur de duabus rebus, quibus illud tertium, de quo magis vel minus prædicatur, est utrinque commune: ac proinde in quibus locum habet Magis & Minus, inter illa necessariò est aliqua similitudo. Et quemadmodum ex sententia ipsorum sequitur, quòd essen-

Magis & Minus de quibus dicatur.

essentia Dei nullam habeat similem, sic quoq; exinde sequitur, quòd proprietates ejus, quas vocant essentiales, nullas habeant similes, nec cum aliis sub eadem definitione comprehendantur. Verùm ipsi existimant, quòd Dei proprietates & nostræ unâ definitione comprehendantur, nec tamen inter illas sit similitudo, quę sibi invicem manifestè contradicunt.

Quocirca ex his manifestũ est ei, qui intelligit Naturam similitudinis, quòd *τὸ Ens* vel *Existens* & reliqua attributa, ut *Voluntas, Sapientia, Potentia, Vita*, de Deo & aliis, cùm nulla inter eos sit similitudo, merè æquivocè & *ὁμωνύμως* dicantur; non autem analogicè. Nam quæ analogicè de aliis prædicantur, sunt illa, quæ dicuntur de duabus rebus, inter quas est aliqua similitudo in quapiam re, quæ res in illis est accidens, nec quicquam facit ad substantiam illarum. Jam verò Attributa illa, quę Deo attribuuntur, omnium confessione non sunt accidentia; sed attributa illa, quæ nobis insunt, ex Adversariorum sententia sunt accidentia. Quare miror, unde hauriant illam similitudinem, quòd dicunt illa sub unâ definitione comprehendi. Atque hęc demonstratio evincit, nullam planè esse participationem inter Proprietates illas, quæ Deo attribuuntur, & inter nostras, nisi tantùm in nomine, nequaquã verò in ulla aliqua re. Quod cùm ita se habeat, non est credendum tibi, proprietates illas in Dei essentia res esse adventitias, ad instar proprietatum nostrarum: propterea quòd in nudo & solo nomine communicent. Atque res ista in summo gradu habetur apud intelligentes, quare observa & animadverte eam diligenter, ut in promptu eam habeas in iis, quæ ulteriùs te sum docturus.

Analogicè prædicari quid?

CAP. LVII.

Profundiùs agitur de Proprietatibus DEI, *quàm in præcedentibus: & in specie de istis tribus, Existens, Unus, Æternus.*

NOTUM est, Existentiam esse Entis accidens, ideoque rem esse adventitiã ipsius quidditatis Entis, sed non in Deo, id quod clarum est & manifestum in iis, quæ existentiæ suę caussam habent. In eo verò, qui existentiæ suæ nullam caussam habet, (quod innuimus, cùm de eo dicimus, quòd necessariam habeat existentiam,)

Existentia est Entis accidens.

existentia nihil aliud est, quàm ipsius essentia & veritas, & vicissim essentia ejus nihil aliud est, quàm ipsius existentia. Nam essentia ipsius non est ita comparata, ut existentia ipsi accidat; nam ita existentia foret res adventitia, sed semper & necessariò existit, nec quicquam novi unquam in ipso exoritur, neq; etiam accidens aliquod ei accidit. Quare Existit, sed non per existentiam; Vivit, sed non per vitam; Scit, sed non per scientiã; Potens est, sed nõ per potentiam; Sapiens est, sed nõ per sapientiam; verùm omnia in ipso sunt unum & idem, nullaq; in eo est multitudo.

Unitas & Multitudo Entis accidentia.

Deinde sciendum, Unitatem quoq; & Multitudinem accidentia esse Entis, quatenus id nempe unum est vel multiplex, quod in Metaphysicis explicatur. Quemadmodum enim Numerus non est substantia rerum numeratarum: sic Unitas non est substantia illius rei, quæ una est. Omnia enim illa sunt accidentia ex prædicamento Quantitatis discretæ, & apprehendunt Entia, quæ idonea sunt ad talia accidentia recipienda. Illud verò, quod existentiam habet necessariam & simplicissimã, nulliq; compositioni obnoxiam, quemadmodum falsò de eo dicitur multitudo, ita pari ratione falsò de eo dicitur Unitas, h.e. Unitas in illo non est aliquid adventitium ad vel præter substantiam illius, sed est Unum, at non per Unitatem. Ita autem loqui cogimur, quia res istæ ita subtiles sunt, ut intellectum nostrum quasi effugiant, ideoque etiam verbis propriis & usitatis explicari nequeant. Atq; hinc multi errores nascuntur, quòd in omnibus ferè linguis verborum penuriâ laboremus. Sic enim fit, ut impropriis uti cogamur, & talibus, quæ rei dignitatem exprimere nequeunt, ac inde rem nobis longè aliter imprimamus, quàm in veritate se-se habet; ut quando volumus dicere, quòd Deus non sit multiplex, non possumus id aliter, quàm dicendo, illum esse Unum, licèt Unum & Multiplex sit ex differentiis Quantitatis. Idcircò ut rem explicemus, & mentem nostram ad veritatem dirigamus, dicimus; Unus est, sed non per Unitatem.

In Deo autem nequaquam.

Sic cùm Illum vocamus *Kadmon*, h.e. Æternũ, hoc volumus, quòd nullam habeat originẽ: dum autẽ Illum *Kadmon* appellamus, patet, nos longè minùs quàm res est, dicere. *Kadmon* enim (h.e. Antiquus, Primus, Æternus) dicitur de eo, quem apprehẽdit Tempus, quod est accidens motus rei alicujus corporeæ. Præterea est ex categoria Relatorum. Nam Æternum accidens est in Tempore, quemadmodum Longum & Breve accidentia sunt in Linea. Proinde, quem non apprehendit, vel, in quem non cadit accidens Temporis, de eo nõ verè dici-

dicitur Æternus vel Novus sive Creatus, quemadmodum de Dulcedine dici nequit, quòd sit Curva vel Obliqua aut Recta, neq; de Voce, quòd sit Salsa vel Insulsa.

Atq; ista sunt nota iis, qui se exercuerunt, ut res secundùm veritatem intelligant, & eas per Apprehensionem Intellectus, non verò secundùm sensum verborum litteralem examinant. Quando ergo in Scriptura de Deo dicitur, quòd sit Primus & Ultimus, eâdem ratione id fit, quâ ipsi Aures & Oculi attribuuntur, ad docendũ nempe, nullam in Ipsum cadere mutationẽ, nihilq; in Ipso innovari, vel de novo oriri, nequaquam verò quòd Tempori subjiciatur, ita ut proportio aliqua sit inter Ipsum & aliud quid extra Ipsum, Tempus sc., cujus respectu sit Primus & Ultimus. Omnia etenim ista nomina Ipsi attribuuntur secundùm linguam filiorum hominum, & κατ᾽ ἀνθρωποπάθειαν. Sic cùm ipsum Unum vocamus, volumus illum nullum habere similem vel æqualem, non quòd ipsa Unitas ejus essentiæ adhæreat.

CAP. LIIX.

Attributa DEI Negativa esse vera.

ATTRIBUTA, quæ Deo per Negationem attribuuntur, sunt Attributa vera; utpote in quibus nulla est Imminutio, (h.e. *quæ Deo nihil detrahunt, nec minus, quàm convenit, adscribunt*), & quę nullam Imperfectionem Deo assignant. Verùm Attributa Affirmativa sunt tùm communia cum aliis, tùm etiam maximoperè imperfecta, prout fusè jam à nobis declaratum. *Attributa Negativa sunt vera Attributa.*

Quare necessarium erit, ut tibi exponam, quomodo Attributa Negativa cum Affirmativis conveniant? & quomodo ab iisdem differant? Deinde ostendam tibi quoq;, quòd nullam aliam viam habeamus Deũ denominandi vel describendi, nisi per Attributa Negativa.

Dico ergo, Attributum non ita proprium esse illius, cui attribuitur, ut nulli alii rei præterea possit competere, sed potest aliquid esse attributum alicujus rei, licèt aliis etiam sit commune, neque illi soli insit, cui attribuitur. E. G. Si hominem aliquem de longinquo videas, & quæras, Quid est illud, quod video? & tibi respondeatur, Esse animal; erit sanè hæc denominatio vel descriptio quædam illius, quod vides, licèt non appropriet rem & discernat ab aliis omnibus, quæ præter illam sunt; sed tantùm innuat, quòd non sit corpus aliquod vegetabile vel minerale. Sic, si in domo

domo quadam esset Homo aliquis, tuq; scires, esse in illa domo corpus aliquod, sed ignorares qualénam corpus, ac proinde quærens & diceres, Quídnam est in hac domo? & alius tibi responderet, Non est in ea statua vel planta; hîc fieret tibi quidem aliqua descriptio & appropriatio, ita ut scire posses, esse in illa animal quoddam, sed interim ignorares, qualenam illud sit animal. Atq; hac in parte communicant Attributa Negativa cum Affirmativis, quòd necessariò aliquam appropriationem faciāt, quamvis illorum appropriatio nihil aliud sit, quàm remotio & negatio illius rei, quam de subjecto non negatum iri putabamus.

Quomodo Attributa Affirmativa cum Negativis conveniant.

Differunt autem Attributa Negativa ab Affirmativis in hoc, quòd licèt Affirmativa non approprient, tamen de parte aliquâ rei illius doceant, cujus scientia quæritur, sive jam pars illa sit de substantia, sive de ejus accidentibus. Negativa verò nihil certi nos docent de substantia illius rei, cujus scientiam quærimus, nisi per accidens, quemadmodum exemplo id declaravimus.

Quomodo inter se differant.

His itaque sic præmissis, dico, quòd Deo, qui necessariam habet existentiam, eamq; sine omni compositione, sicuti jam demonstravimus, cujus τὸ εἶναι tantùm in genere, non ipsam Quidditatem apprehendimus, falsò attribuantur Attributa Affirmativa. Nam non habet Esse extra Quidditatem, nec Quidditatem extra τὸ εἶναι suum, ut attributum de parte illius aliqua possit docere: neq; etiam Quidditas ejus est composita, ut attributum possit docere de duabus partibus: neque etiam habet Accidentia, ut attributum de istis docere possit. Quare nullo planè modo admittit Attributa Affirmativa.

Non rectè attribui Deo Attributa Affirmativa.

At verò Attributa Negativa quod attinet, illa adhibenda sunt ad dirigendum Intellectum nostrum ad ea, quæ de Deo credenda sunt: quia ex his nulla in Deo planè sequitur Multitudo, & perducunt Intellectum ad summum cognitionis Dei gradum, ad quem pertingere potest. Exemplo rem declarabo. Per manifestas demonstrationes scimus, quòd necessariò sit adhuc aliquid, præter illas substantias, quas sensibus apprehendimus, & illas, quarum cognitionem & scientiam intellectus sibi vendicat, ideoque de eo dicimus, quòd sit *Existens*, cujus sensus est, quòd privatio ejus sit falsa, (i. e. *falsum esse quòd non existat*). Deinde didicimus, quòd illud Ens non Existat metaphoricè, quemadmodum Elementa, quæ sunt corpora mortua, ideoque illud *Vivum* vel *Vivens* vocavimus, cujus sensus est, quòd Deus non sit Mortuus. Præterea intelleximus, quòd hujus Entis Essen-

Attributis Negativis describi potest Deus.

Essentia non sit sicut Essentia cœlorum, quæ sunt corpora viva, ideóque diximus de eo, quòd non sit corpus. Insuper vidimus, Ens illud quoque non esse sicut Essentia vel Existentia Intelligentiarum, quæ quidem neque sunt corporeæ, neque etiam mortuæ, sed tamen sunt aliunde productæ, ideoque de eo dicimus, quòd sit *Aeternum*; h.e. quòd nullam Essentiæ suæ caussam habeat. Post hæc apprehendimus, quòd hujus Entis Essentia non ita sit comparata, ut Existat pro se solùm; sed quòd ab illo multa alia profluant & proficiscantur, & quidem non ut Calor ab Igne, vel ut Lux à Sole emanant: sed ita, ut simul ab illo conserventur, stabiliantur, disponantur & regantur ac gubernentur; ideoque de eo dicimus, quòd sit *Potens, Sapiens, Volens*, quorum attributorum mens & sententia est, quòd non defatigetur, quòd nihil ignoret, quòd non perturbetur vel præcipitetur, ac denique quòd non deserat vel derelinquat *(entia sua scil.)*. Cùm enim dicimus, illud *non defatigari*, indicamus Essentiam ejus sufficienti potentiâ esse instructam, ut alia extra se existere faciat. Cùm dicimus, illud *nihil ignorare*, volumus innuere, quòd Apprehendat, h.e. quòd Vivat: nam omne apprehendens necessariò est vivens. Cùm dicimus, *quòd non perturbetur vel præcipitetur, nec deserat vel derelinquat*, innuimus, quòd omnia ista Entia in pulchro ordine procedant & gubernentur, non derelicta & casu quasi generata; sed quòd cuncta sint & gubernentur per Voluntatem ejus. Tandem addidicimus, quòd nullum sit Ens simile isti Enti, ideoque dicimus de eo, quòd sit *Unum*, quo attributo removemus ab eo Multitudinem vel Pluralitatem.

Ex his ergo colligere potes, omne Attributum, quod Deo Benedicto attribuitur, vel esse Attributum Operis, vel significare Negationem Privationis ipsius; si scilicet significet Apprehensionem substantiæ, non operis ipsius. Attributa verò ista Negativa non aliter usurpabis, quàm sicuti intellexisti; quomodo sc. quippiam de certa aliqua re negatur, quod ei non inesse solet, prout de Pariete dicimus, quòd non Videat. Porrò, Lector charissime, si in Apprehensione quidditatis Expansi istius, (h.e. *Cœli*), quod est corpus mobile, cujus palmas & cubitos jam novimus, cujus etiam partium mensuram & motum magnâ ex parte scimus, Intellectus noster deficiat & fathiscat, & non obstante, quòd sciamus illud certâ materiâ & formâ esse præditum; tamen ideò, quia materia ejus non est sicut communis nostra materia, non possumus illud certis nominibus & attributis affirmativis describere: dicimus enim, Cœli non sunt le-

ves, neque graves, neque paſsioni obnoxii, neque actionem recipientes, neque habentes guſtum, odoratum & ſimilia; idque ideò, quia materiam illorum ignoramus; ſi, inquam, in Apprehenſione Cœli iſta nobis eveniunt, quidnam quæſo fiet, quando animi noſtri conantur apprehendere id, quod materiæ omnis eſt expers & ſimplicisſimum, quodque eſſentiæ ſuæ nullam habet cauſſam, quod item præter eſſentiam ſuam nihil habet adventitium, cujus perfectionis ratio conſiſtit in Negatione imperfectionum de Ipſo? prout explicuimus, quòd de eo nihil niſi τὸ εἶναι ejus apprehendamus, quòd videlicet ſit Exiſtens, cui nihil ſit ſimile in univerſa rerum natura, & quòd cum nullo alio ulla in re communicet, quòd in creandis iis, quæ extra ſe ſunt, non defatigetur, nec ſuccumbat, quòd item ſe habeat ad ea ut nauclerus ad navem; quæ tamen ſimilitudo & comparatio ipſa quoque non eſt vera, nec per omnia conveniens, ſed ſervit tantùm ad ſignificandum & oſtendendum, quòd Deus gubernet Entia, h.e. quòd & illa, & illorum ordinem vel diſpoſitionem ſicut neceſſe eſt, conſervet ac cuſtodiat.

Laus & honor ſit Illi, ad cujus Eſſentiam comprehendendam pectora noſtra nimis ſunt anguſta, cujus Operum cognitio & ſcientia, quam habemus, mera eſt ignorantia, in cujus laudibus celebrandis & deprædicandis, omnis linguarum noſtrarum elegantia, omnis eloquentia imperfecta nimis eſt & incompleta.

CAP. LIX.

De differentia & gradibus Apprehenſionis vel Cognitionis DEI.

QUANDOQUIDEM demonſtratũ hactenus eſt, Eſſentiam Dei nullo modo apprehendi poſſe, & quòd nihil aliud poſſimus apprehendere de Deo, quàm τὸ εἶναι ipſius, quódque nulla attributa Affirmativa ipſi attribui queant, meritò quis quærere poſſet; *Quæ ergo in re ſit differentia inter eos, qui Deum cognoſcunt & apprehendunt?* Nam ſi res ita habet, ut hactenus dictum eſt, ſequi videtur, Moſen & Salomonem non plus apprehendiſſe, quàm quivis alius, qui Sapientiam quærit, nullamque illos habuiſſe hac in parte prærogativam. Jam verò certum eſt, tùm apud Theologos, tùm apud Philoſophos, quòd præſtantia & præcellentia unius præ altero hîc ſit permagna. Scias ergo, omninò rem ita ſe habere, maximamque eſſe inter Apprehendentes differentiam. Nam quemadmodum eò pro-

De differentia inter eos, qui Deũ cognoſcũt & apprehendunt.

propiùs quis ad veritatem & cognitionem rei alicujus accedit, quò pluribus nominibus & attributis illa ipsi describitur: sic multò propius is accedit ad Deum ejusque cognitionem, qui multa eorum de ipso negare potest, quæ de ipso neganda & removenda sunt, quàm is, qui nihil quicquam de ipso negat. Quare ne pigeat hominem annos aliquot ejusmodi scientiæ veritatique principiorum ejus solidè addiscendæ impendere, quæ scientia efficiat, ut rem aliquam de Deo negare possit, & per demonstrationem evidentem scire, quòd non nisi falsò Deo attribuatur. Id quod alius speculationis illius expers minimè novisse potest, sed in perpetuo apud ipsum est dubio, an res illa in Creatore existat, nec'ne. Ita multi, quorum oculi non sunt illustrati, affirmant aliquid de Deo, cujus negatio est evidentissima; quemadmodum ego demonstrationem sum adducturus, quòd Deus non sit corporeus: alii de eo dubitant, & ignorant, an sit corporeus vel incorporeus? alii præcisè affirmant, Illum corpus habere. Vide jam, quanta sit differentia inter tria ista hominum genera. Nam primus sine dubio Deo magis est propinquus, quàm secundus, secundus propior tertio, tertius remotissimus. His verò si addamus quartum, cui per demonstrationem quoque constat, omnem à Deo Passionem removendam esse, quod primus, qui corporeitatem removēdam intellexit, ignoravit, confiteri sanè cogemur, illum primo adhuc esse propiorem. Atq; ita consequenter colligere possumus donec perveniamus ad aliquem, qui multarum rerum de Deo negandarum demonstrationes novit, quæ aliàs ipsi, nostrâ opinione, inesse, vel ab ipso proficisci posse videntur, quem præstantissimum & perfectissimum meritò judicabimus & pronuntiabimus.

Sic ergo hactenus declaratum tibi est, tantò propiùs te ad Deum accessurum, quò plura sciveris per demonstrationem negare: & è contrario, quò plura de ipso affirmaveris, eò longiùs te à veritate cognitionis ejus recessurum. His itaque modis appropinquandum est ad ejus apprehensionem; ut videlicet scrutemur & disquiramus, quò cognita nobis sint ea omnia, quę falsa sunt de Deo Opt. Max., nequaquam verò, ut rem aliquam de ipso affirmemus, vel tanquam additamentum ipsius essentiæ, vel tanquam perfectionem naturæ ejus, quemadmodum ejusmodi perfectiones in nobis inveniuntur. Nam perfectiones omnes sunt quidam Habitus. Et non possunt omnes Habitus reperiri in quovis subjecto. Præterea dupliciter à Deo elongaris, quando aliquid de ipso affirmas: primò, quia omnia, quæ de ipso affirmas, perfectiones sunt secundùm nos tantùm & apud

Attributis Affirmativis dupliciter à Deo elongamur.

nos: deinde, quòd Deus nullius alterius rei capax est; sed omnes ejus perfectiones nihil aliud sunt quàm essentia ipsius, sicuti exposuimus.

Qua de caussa fateatur omnes, Deum à nobis apprehendi non posse.

Convenit cum illo Pauli, 1. Cor. 2. vers. 11. Τὰ τοῦ Θεοῦ οὐδεὶς οἶδεν, εἰ μὴ τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ.

Quandoquidem ergo animadverterunt homines, quòd non possimus in hac nostra infirmitate aliter Deum apprehendere, quàm per Negationem; Negationem autem nobis non notificare quicquam de veritate sive natura illius rei, de qua aliquid negamus: idcircò unanimi consensu omnes omnium sæculorum homines fassi sunt, mentes nostras Deum non posse apprehendere, nec quenquã apprehendere, quid sit, Deus sc., nisi ipsemet Deus. Hinc dicunt Philosophi, *Victoriam ejus esse in amœnitate vel decore ipsius, & absconditum esse à nobis propter summum splendorem & fulgorem, quemadmodum Sol debiles oculos splendore suo perstringit & ab apprehensione sui arcet.* Atque in hunc sensum infinita protulerunt, quæ hîc repetere non è re esse duco. Omnium præstantissimum est illud, quod in Psalmis legimus,

Psal. 65. 2. *Tibi silentium laus est*, h. e. Silere apud Te vera laus est. Verba emphatica admodùm in hoc negotio! quibus Psaltes docet, in omnibus nostris verbis, quibus utimur ad Deum Opt. Max. laudibus extollendum & prosequendum, balbutiem deprehendi, quâ Majestatem Dei diminuamus, ac per consequens longè satius & decentius esse, ut omninò taceamus, Deumque in cordibus & animis nostris cele-

Psal. 4. 5. bremus, quemadmodum alibi Piis mandatum legimus, *Dicite in cordibus vestris, super cubili vestro, & silete, Selah.* Nôsti etiam celebre illud Rabbinorum nostrorum dictum, (cui utinam reliqua eorundem omnia essent similia): quod, licèt notum sit & tritum admodùm, ipsis tamen illorum verbis tibi recitabo, ut eò meliùs illius sensum tibi declarare possim: dicunt, *Stabat quidam coram R. Chaninah, orans, ac dicens, Deus magne, potens, tremende, magnifice, fortis, robuste. Dixit ipsi, Absolvisti nunc omnes laudes Domini tui:* (q. d. nimis liberalis es & superfluus in fingendis encomiis Dei tui): *Nam ne quidem tria priora, sc. Magne, Potens, Tremende, dicere nobis liceret, nisi ea dixisset Moses in Lege, & venissent Viri Synagogæ magnæ, eaq; in orationibus ac precationibus ordinâssent, & tu hæc omnia dixisti! Si Rex quidam terrenus, qui*

Similitudo. *caro est & sanguis, haberet millena millia denariorum aureorum, & ipsum laudarent vel æstimarent tantùm à nummis argenteis, numquid hoc ipsi non probrosum foret?* Hactenus verba pii illius Rabbini, in quibus animadverte ante omnia, quantoperè abominatus fuerit multiplicationem Attributorum affirmativorum, & quomodo ostenderit, Attributa illa in intellectu nostro retinenda, neque unquam ore pro-

proferenda esse. Posteaquàm autem necessitas sermonis ea efflagitavit, ut ita in hominibus conceptus & imaginatio quædam de Deo, per descriptionem ipsius à perfectionibus illorum, formaretur, sicut ajunt, *Loquuta est Lex linguâ filiorum hominum*, cùm iis quoque uti, & Creatorem appellare licuisse, sed tantùm in illis Libris *(Sacris)*, neque extra Sacræ Scripturæ lectionem: ex quo verò tempore etiam venerunt Viri Synagogæ magnæ, qui Prophetæ fuerunt, & ea in orationibus disposuerunt & ordinaverunt, & hîc illorum usum licitum & concessum esse. Duas itaque præcipuas caussas recenset, propter quas illa inter orandum adhibeamus; una est, quòd in Lege occurrunt; altera, quòd Prophetæ illa in oratione ordinârunt: absque prima, nullam ipsorum omninò mentionem facere; absque secunda, non extra ipsorum locum (h.e. *extra Scripturam)* illa transferre, nec in orando usurpare nobis liceret, *Et tu*, inquit Rabbi, *tàm liberè illa multiplicare audes!* Præterea autem istud etiam ex hoc dicto apparet, quòd non omnibus quoque Attributis, quæ Deo in libris Prophetarum attribuuntur, nobis in orationibus nostris uti liceat. Nam non dicit solùm; *Nisi Moses præceptor noster ea dixisset*, non possemus vel auderemus illa dicere; sed adhuc aliam insuper conditionem addit, videlicet, *Nisi venissent Viri Synagogæ magnæ, & illa in oratione disposuissent.* Tùm enim demùm, orationibus nostris ea inserere, concessum est. Quare non agendum est, ut stulti quidã homines facere solent, qui in orationibus, multa elogia, epitheta, verba, rhythmos & carmina cõponere & congerere solẽt, quæ si homini alicui attribuerent, dignitatem ipsius imminuerent, atque iis ad Deum, ut sibi quidem imaginantur, appropinquare satagunt. Nam boni illi Viri res istas excelsas, sublimes, & à vulgi captu remotas, non intelligunt, & Deum Opt. Max. effræni linguarum suarum licentiâ dilacerant, dum ei, quicquid in buccam venerit, attribuunt, & quidem eò usque, ut passibilem Illum in cogitationibus suis fingant, præsertim quando tale quid apud Prophetam aliquem reperiunt. Tùm enim licitum sibi esse omninò arbitrantur illud arripere, & Scripturam pro lubitu quovis modo interpretari; omniaque ad sensum Scripturæ litteralem trahunt, ex quo infinitas postea consequentias & consectaria eliciunt, illisque plurima alia superstruunt. Atque ista licentia regnat potissimùm apud Poëtas, Oratores, & hujus farinæ homines, ita ut quandoque talia componant & scribant, quæ partim sunt purè-putè hæretica, partim in summo gradu fatua & ine-

Cur in Precationibus adhibeantur Attributa Affirmativa.

Βαττολογία in Oratione.

Poëtarum & Oratorum licentia.

pta, ad risum hominem partim permoventia, partim ad fletum, cùm considerat, quantâ cum Dei ignominiâ hæc ipsi attribuantur. Ac nisi misererer imperfectionis illorum, qui talia scripserunt, quædam tibi proferrem, ex quibus de gravitate peccati ipsorum erudireris. Verùm error illorum facilè deprehendi potest à quovis sanâ mente prædito. Hoc tantùm tibi considerandum propono. Si Lingua mala, & Evulgatio nominis mali, h.e. Obtrectatio & Calumnia gravissima censentur peccata, quantò magìs libertate linguæ uti de Deo Opt.Max., & istiusmodi illum Attributis describere ? Nec enim simplex tantùm peccatum, sed Blasphemiam & Sacrilegium appellandum censeo, cùm respectu vulgi, qui illa audiunt, tùm respectu hominis illius inepti, qui ea profert. Illi autem, qui imperfectionem & defectum istorum nominum apprehendunt, & tamen iis utuntur, meo judicio, ex eorum sunt numero, de qui-
2.Reg.17.9. bus dictum est, *Et dixerunt filii Israël verba, quæ non erant recta,*
Jesa.32.6. *contra Dominum Deum ipsorum.* Item, *Et loquitur contra Dominum errorem.* Quicunque ergo cupit esse ex illis, qui parcunt gloriæ Creatoris sui, ille ne quidem aures ejusmodi blasphemiis accommodare debet; multò minùs linguam, ut similia dicat, vel, quod omnium gravissimum, ut illa componat! Cùm itaque jam scias mensuram peccati illorum, qui blasphema in Deum ejaculantur verba, summo studio cavere tibi debes, ne utaris Denominationibus affirmativis, quibus existimes te illum magnifacere, neque egrediaris ultra ea, quæ Viri Synagogæ magnæ in Orationibus & Benedictionibus ordinaverunt. Illa enim sufficiunt, quantum opus est, immò plus quàm satis sunt, sicut dixit R.Chanina. Reliqua, quæ apud Prophetas occurrunt, quod attinet, illa quidem possunt legi, sed credendum est de illis, prout declaravimus, quòd sint Nomina operum Dei, vel quòd contineant Negationem privationum. Atque istud quoque tale est, quod non in vulgus manifestandum & notum faciendum: sed talis est speculationis species, quæ singularibus tantùm convenit, qui nequaquam ita magnificant Creatorem, ut ei aliquid inconveniens attribuant, verùm intelligunt id, quod convenit & rectum est. Sed revertamur ad explicationem dicti illius R.Chaninæ, & Sapientiæ in eo comprehensæ. Non dixit, Similem esse rem hanc ei, si quis Regem habentem millena millia denariorum, æstimaret tantùm centum denariorum. Sic enim docuisset, perfectiones Dei tantùm esse magìs perfectas, quàm illas, quæ Ipsi à nobis

tri-

tribuuntur, (h.e. *gradu tantùm à nostris differre)*, & esse ex una eademque specie. Nequaquam enim res ita habet, ut per evidentem demonstrationem alibi probavimus. Quare in hoc consistit Sapientia istius Parabolæ, quòd dicit, *Regi habenti nummos aureos, quem æstimarent, vel laudarent, tanquam habentem nummos argenteos.* Sic enim docet, perfectiones illas, quæ in nobis existunt, & quæ existunt in Deo Opt.Max., nequaquam ejusdem esse speciei, sed omnes illius respectu esse imperfectas, sicut porrò ostendit, dum ait, *Numquid hoc non probrosum ei foret?*

Sic itaque ostendi tibi, omnes illas attributiones, quas pro perfectionibus habes, summè imperfectas esse relatas ad Deum, si statuantur ejusdem esse speciei cum perfectionibus in nobis existentibus. Quâ verò ratione hac in parte gerere nos debeamus, docuit nos Salomon, quando ait, *Quia Dominus est in cœlu, tu verò in terra, idcircò sint verba tua pauca.* Eccles.5.1.

CAP. LX.

Multiplicanda esse Attributa Negativa.

Exemplis demõstratur vis Attributorum Negativorum.

IN hoc capite exempla tibi quædam proponam, ut meliùs adhuc cognoscas, conveniens esse, ut multiplicentur Attributa negativa, & elongeris ab illa opinione, quasi Deus Attributis quoque affirmativis posset describi. E. G. Sit aliquis, cui certò constet, Navem esse vel existere, esse ens, sed ignoret, cui rei hoc nomen competat, substantiæ'ne alicui vel accidenti? alii autem constet, quòd non sit accidens; alii, quòd non sit animal; alii, quòd non sit statua; alii, quòd non sit planta terræ; alii, quòd non sit corpus compositum compositione naturali; alii, quòd non habeat formam latam & extensam sicut asseres & januæ; alii, quòd non sit rotunda; alii, quòd non acuta, latera habens æqualia, (h.e. *quadrata*); alii, quòd non sit opus densum: hîc clarum sanè est & manifestum, hunc ultimum quasi pervenisse ad veram Navis formam, per istas denominationes negativas, & ferè æqualem esse illi, qui eam per attributa affirmativa scit esse corpus ligneum, concavum, longum, ex multis lignis compositum. Priores autem illos quod attinet, quos nos exempli loco adduximus, ex illis semper prior longiùs distat à cognitione veræ Navis formæ, quàm posterior, ita ut primus nil nisi nudum Navis nomen teneat.

Hoc

Hoc ergo pacto quoque Attributa Dei Negativa te deducent ad cognitionem & apprehensionem ejus. Opera autem danda est, ut ea, quæ negas, non verbis solùm, sed scientiâ & demonstratione certâ neges. Quælibet enim res, cujus negatio per demonstrationem clara tibi est & certa, ad gradum aliquem Apprehensionis Dei te promovebit. Atque hoc modo dicuntur homines alii Deo propinqui, alii ab Ipso remoti, non quòd Deus locum habeat, ad quem homo posset accedere, vel ab illo removeri, ut cœci quidam sibi imaginantur, quod tu observa & animadverte. Hactenus via tibi exposita est, cui insistens ad Deum Opt. Max. appropinquare potes.

Quo sensu alii Deo propinqui, alii ab Eodē remoti esse dicantur.

Attributa Affirmativa periculosa sunt.

Attributa Affirmativa quod attinet, per illa Deum describere & denominare, conjunctum est cum periculo haud exiguo. Jam enim demonstratum est, omne illud, quod nos habemus pro perfectione, etiamsi in Creatore juxta sententiam eorum, qui attributa asserunt, existeret, non posse tamen esse de genere perfectionum nostrarum, sed ὁμωνύμως tantùm ita dici. Unde necessariò tibi recurrendum est ad Negationem. Nam cùm de Deo dicis, quòd Sciat scientiâ unâ, & quidem tali, quæ nec mutatur, nec multiplicatur; quòd multas & varias res nôrit, quæ perpetuò innovantur & mutantur, sine tamen ulla innovatione scientiæ; & quòd scientia ejus una eademque sit & maneat sine mutatione, dum scit rem, antequam existat, dum existit, & postquam existere desiit; cùm, inquam, hæc dicis, satìs ostendis, quòd sciat per scientiam, quæ longè alia est quàm scientia nostra, & per consequens etiam, quòd existat aliâ existentiâ quàm in nobis est. Ex quibus vides, te necessariò ad Negationes delabi, neq; persistere in veritate Attributi substantialis, sed in multitudine, & credere, Illum esse substantiam quandam ignotas habentem proprietates. Nam dum illas Ipsi te attribuere existimas, removes ab illis similitudinem cum illis proprietatibus, quæ in nobis reperiuntur, unde proin & hoc necessariò consequitur, quòd non sint ejusdem speciei. Præterea, dum talia de Ipso affirmas, nihil aliud dicis, quàm Deum subjectum quoddam esse, de quo varia prædicantur adjuncta, sed subjectum illud non esse sicut alia subjecta, & adjuncta illa non esse sicut alia adjuncta, atque ita summa nostra apprehensio in hoc Fidei articulo nil aliud erit, quàm pura-puta Dubitatio, vel Homonymia. Jam, omne subjectum habet sine dubio adjuncta, & illa (*subjectum sc. & adjunctum*) duo sunt quoad definitionem, licèt unum sint respectu existentiæ.

Subje-

Subjectum enim aliud est quàm adjunctum. At verò in aliquot hujus libri capitibus tibi demonstrabitur, nullam cadere in Deũ compositionem, sed simplicem Ipsum esse simplicitate in summo gradu simplicissimâ. Quare non solùm dico, quòd is, qui affirmat proprietates quasdam de Deo, abbrevietur in apprehensione sua, vel æquivocè & *ὁμωνύμως* apprehendat, vel aliter quàm res est; sed ajo, quòd licèt non animadvertat, existentiam Dei è fide sua removeat, (h.e. *quòd neget omninò Dei existentiam*), id quod clarum est & manifestum. Nam qui abbreviatur in apprehensione veritatis rei alicujus, (h.e. *qui imperfectè eam apprehendit*), is partem ejus apprehendit, partem ignorat; ut, si quis de Homine nôsset, illum esse animal, sed ignoraret illum Ratione esse præditum. Jam verò in essentia Dei nulla est multitudo, ut pars ejus aliqua cognosci possit, alia non. Sic, qui *ὁμωνύμως* aliquid apprehendit, is mente concipit & format sibi veritatem substantiæ alicujus prout est, & affirmat eam de substantia alia. Hæ autem proprietates, juxta sententiam illorum, qui eas defendunt, non sunt substantia Dei, sed res præter illius substantiam. Ita, qui aliter rem, quàm se habet, apprehendit, is necessariò aliquid de ea apprehendit, *(ut cùm ægrotus dulce existimat esse amarum)*. Ast si quis crederet Gustum esse Quantitatem, de eo non dicerem, quòd apprehenderet rem aliter quàm est, sed expressè dicerem illum ignorare naturam & essentiam Gustus, nec scire, cui rei hoc nomen competat. Hæc speculatio subtilis admodum est: quare diligenter & attentè eam considera.

Ex his ergo intelligis, illum imperfectum dici in apprehensione Dei, & elongatum à cognitione ejus, cui non constat ullius rei negatio de Deo, quæ de ipso neganda est: ac proinde, quò pauciora quis de ipso negat, tantò imperfectiorem ejus esse apprehensionẽ, quemadmodum in principio hujus capitis exposuimus. Qui verò aliquid de Deo affirmat, is nihil novit præter solum nomen, quia res illa, quam per illud nomen significari existimat, nequaquam existit, sed est merum figmentum & mendacium, & perinde est, ac si illud attribueret alicui rei, quæ nullibi est in rerum natura. E. G. Si homo aliquis audivisset nomen Elephantis, ac sciret esse nomen animalis alicujus, cuperetq; scire formam & veritatem ejus, ac ipsi aliquis, sive decipiendi studio, sive ex errore, diceret, esse animal, habens unum pedem, tres alas, stans in profundo maris, corporis splendidi, faciem habens similem faciei humanę, loqui instar hominis, nonnunquam volare sicut aves, interdũ natare sicut pisces; de hoc sanè nõ possem

dicere, quòd Elephantē aliter quàm in se est depinxerit, vel quòd abbreviatus sit in apprehensione Elephantis, sed rotundè dicerem, ista omnia, quæ in hac descriptione posuit, esse falsa, neq; tale quid in rerum natura dari, sed esse non Ens, Entium nominibus & appellationibus insignitum, prout sunt Chimeræ, Centauri, aliæque figuræ imaginariæ, quibus nomina Entiū, vel simplicia, vel composita, imponunt, *(Chimæram enim vocat hîc* עוניה, *quod est vocabulum simplex & certæ cujusdam avis: Centaurum* סוס־אדם *Hominem-equum, quod compositum)*. Ita planè in hoc negotio res se habet. Scimus, quòd Deus sit Existens: demonstrari potest, quòd Existentia ejus sit necessaria, quòd ex necessitate Existentiæ ipsius sequatur absoluta simplicitas, sicut explicabo; sed quòd substantia illa simplex, existentiæ necessariæ, habeat proprietates, & ab aliis rebus apprehendatur, illud est non-ens omnibus modis, sicut demonstratum est. Quare cùm dicimus, quòd substantia illa simplex, quæ vocatur Deus, sit talis substantia, in qua sunt res multæ, quibus denominatur, imponimus hoc Nomen puræ-putæ privationi, sive non-enti.

Animadverte itaque, quantum sit periculi in Attributis Affirmativis, & quid credendum nobis sit de illis Attributis, quæ Deo in Lege & Prophetis attribuuntur; quòd sc. omnia serviant ad docendum de perfectione ejus, vel sint Nomina operum ab ipso provenientium, ut sæpiùs jam monuimus.

CAP. LXI.

De potestate Nominum DEI, *& de mysterio Nominis, quod scribitur, sed non legitur.*

Nomē Dei יהוה *cur* Schem hammephorasch?

OMNIA Dei Opt. Max. Nomina, quæ in Libris Sacris inveniuntur, derivata sunt (ut palàm est) ab operibus ejus, unico excepto *Jod He Vau He*, quod est Nomen Dei Proprium, unde vocatur *Schem hammephorasch* Nomen expositum, quia clarè & citra ullam æquivocationem de substantia Creatoris docet. Reliqua verò Ipsius Nomina, excellentia quoq; sanè, ὁμωνύμως de ea docent, quia sunt derivata ab operibus, quorum similia inter nos reperiuntur, sicut exposuimus. Ipsum etenim illud Nomen, per quod Nomen Tetragrammaton *Jod He Vau He* legitur, *(Adonaj sc.)* deductum est à Dominio; ut, *Loquutus est vir ille* Adone *Dominus terræ nobiscum dura.*

Nomen Adonaj אדני. Genes. 42. 30.

Diffe-

Differentia autem est inter אדני, quando *Nun* legis cum *Chirek*, *Adoni* sc., & inter אדני, quando *Nun* legis cum *Kametz*, & dicis *Adonaj*, quemadmodum differentia est inter *Sari* שָׂרִי, quod significat *Princeps meus*, & inter *Saraj*, שָׂרַי, ut, Saraj *uxor Abrahami*. Nam in hoc (*Saraj sc. & Adonaj*) est tùm significatio Honoris, (*quia Dominum significat*), tùm Universalitatis, multa comprehendens, (*quia est numeri pluralis, & ita multiplex dominium significat*). Præterea dicitur quoque de Angelis hoc nomen *Adonaj*: ut, Adonaj *Domini mei, ne quæso transeas*. Atq; hæc de nomine *Adonaj* porissimùm, per quod legitur Nomē Tetragrammaton, monere volui, quia magìs Proprium est, quàm reliqua Nomina, quæ de Ipso sunt manifestata. Cætera enim quod attinet, ut, *Dajan* Judex, *Schaddaj* Omnipotēs, *Tzaddik* Justus, *Channun* Gratiosus, *Rahum* Misericors, & *Elohim*; illorum Etymologia & Universalitas cognita est ac manifesta, (h.e. *de illis constat, & quòd sint communia, & unde sint derivata*). Sed illud Nomen, cujus literæ sunt *Jod He Vau He*, non habet etymologiam notam, neque communicatur alteri. Ac nullum est dubium, quin Gloriosum istud Nomen, quod, ut nôsti, nō proferre licet, nisi in Sanctuario, & à Sacerdotibus Dei sanctis solùm in Benedictione Sacerdotū, (vel, *Sacerdotali, quæ habetur* Num.6.23.&c.) ut & à Sacerdote magno in die Jejunii, quin, inquam, doceat de re aliqua, in qua inter Deū & alia, nulla prorsus est cōmunicatio; ac probabile omninò est, quòd tùm secūdùm significationem ipsius vocis, (h. e. *secundùm literas, quibus scribitur*) de qua inter nos hodiè non nisi parum exstat, tùm secundùm lectionem (h. e. secundùm puncta) significet aliquid, quod necessariam habet existentiam. Summa; Magnificentia hujus Nominis, & Prohibitio lectionis ejus inde provenit, quia docet de substantia Dei, quo respectu, vel in qua significatione nulli creaturæ communicatur, sicut de eo Rabbini nostri dicunt, *Nomen meum proprium mihi*.

Genes.12.17.

Adonaj *dicitur de Angelis*. Gen.18.3.

Nomen Tetragrammaton de quânam re doceat.

Reliqua verò Nomina omnia docent de Attributis sive Proprietatibus, h.e. non de sola substantia, sed de substantiâ proprietates vel attributa habente, propterea quòd sunt derivata & aliunde desumpta; atque ideò cogitationi imprimunt multitudinem, h.e. inducunt ad cogitandum existentiam proprietatum, quòd sc. sit substantia, & res adventitia præter substantiam. Hæc enim est natura omnis nominis derivativi, ut doceat de re aliqua, & de subjecto, cui res illa inhæret, licèt non apertè illud exponat. Quandoquidem autem per demonstrationem liquet, Deum non esse tale subjectum, quod alias res recipiat; hinc colligimus, quòd Nomina derivativa Ipsi at-

Reliqua Dei Nomina de qua re doceant.

tribuantur vel respectu operum ipsius, vel ut dirigamur ad perfectionem ipsius. Propterea indignatus fuit R. Chanina contra eum, qui dixit, Magne, Fortis, Tremende, *(quemadmodum sup. vidimus cap. 59.)* quia illa epitheta inducunt ad credendum, Proprietates essentiales esse in Deo, h.e. esse perfectiones in ipso existentes. Et cùm multa sint ejusmodi Nomina Deo attributa, quæ ab operibus ipsius derivata sunt, ideò multi in hanc opinionem prolapsi sunt, ac si tot distinctas haberet Proprietates, quot sunt ejus opera, à quibus nomina illa deducta sunt. Hinc promittit Deus, se ejusmodi sui notitiam & apprehensionem hominibus largiturum, quæ istud dubium ex animis ipsorum tollat, cùm ait,

Zach. 14. 9. *In die illa erit Dominus unus, & Nomen ejus unum*, q.d. Quemadmodum ipse unus est, sic etiam uno solùm nomine tùm vocabitur, & quidem tali, quod tantùm de substantia ejus doceat, nequaquam verò aliundè sit derivatum. In Capitulis sive Apophthegmatis R. Elieser legimus, *Antequam creatus esset Mundus, fuit tantùm Deus Benedictus & Nomen ejus.* Ex quo colligimus, quòd Nomina ipsius derivativa demùm post creationem Mundi inventa sint & excogitata, id quod verissimum est; quia Nomina illa omnia deducta sunt ab operibus ipsius in hac Mundi machina existentibus. Nam si consideraveris essentiam ejus unicam & simplicem, sine ullo opere, & ante creationem Mundi, nullum ei invenies Nomen derivativum, sed unum solùm Nomen proprium, de essentia ipsius docens.

Nomen Tetragrammaton est Schem hammephorasch.

Nullum autem inter nos est Nomen, quod non sit Derivativum, præter hoc unicum *Jod He Vau He*, quod est *Schem* illud *hammephorasch*, sive Nomen expositum. Quare cavebis, ne aliud

Nomina Dei in amuletis usurpata, sunt ficta & ementita.

præter hoc excogites, neq; si à superstitiosis & insanis hominibus, amuleta sive chartas experimentales conscribentibus, talia audias, vel in scriptis eorum legas, illa observes, vel iis utaris. Nomina etenim illa, quæ effingunt, de nulla planè re docent, & tamen vocant ea Nomina *(Divina)*, existimantque illa singularem requirere sanctitatem & puritatem, & virtutem habere miracula edendi ac faciendi. Verùm ista omnia ab homine perfecto non solùm non credenda, sed ne audienda quidem sunt. Nam nullum prorsus nomen vocatur *Schem hammephorasch*, præter hoc Tetragrammaton, quod scribitur, sed non secundùm litteras suas legitur. Sic enim legimus expressè

Num. 6. 23. in libro *Siphre*, ad illum locum, *Sic benedicetis filiis Israëlis*, Coh *Sic, h.e. In lingua hac*, Coh *Sic, h.e. Cum nomine exposito, quod in Sanctuario* (h.e. in templo Hierosolymitano) *profertur secundùm Scripturam suam; in Provincia verò* (h.e. extra templum) *non nisi per pronomen vel cognomen suum* (Ado-

(Adonaj sc.). In Talmud quoque scriptum est; Coh *Sic*,h.e.*Cum* Schem hammephorasch. *Si dicas,Cum* Schem hammephorasch *sive Nomine Tetragrammato, vel sine eo,cum cognomine sc.ipsius* (Adonaj)? *docet me dicere,* Et ponent Nomen meũ; Nomen sc. *meum,appropriatum mihi:* (h.e. Si objicias vel quæras,an debeat Benedictio fieri per Nomen ipsum,an per Cognomen? quid respondendum sit, docent me verba ista,*Et ponent Nomen meum,&c.)* Sic itaque declaratum tibi est,*Schem hammephorasch* (h.e.Nomen expositũ) esse Nomen quatuor litterarum,& illud solùm sine æquivocatione & homonymia docere de essentia Dei Opt.Max.,& hac de caussa Rabbinos de eo dixisse, in persona sc.Dei,*Nomen meum appropriatum mihi.* Sotah *fol.*37.

Nunc exponam tibi capite sequenti,quidnam impulerit illos,qui alia credunt Nomina Divina,& amuleta conficiunt? illiusq; quæstionis fundamentum,cum omnibus ejus mysteriis ita explicabo, ut nullum tibi dubium remanere possit,nisi teipsum libenter,ac studio quasi,decipere velis & seducere.

CAP. LXII.

De Nomine Tetragrammato quædam alia. Item de Nomine DEI duodecim,& quadraginta duarum litterarum.

PRÆCEPTUM Divinum accepimus, ut Sacerdotes populo benedicant,& quidem cum Nomine Dei prout scribitur,quod est *Schem hammephorasch*,h.e.Nomen expositum: sed nulli homininum notum erat,quomodo illud pronunciarent,quâve vocali vel unicam ejus literam efferrent, an aliquas dagessarent vel non,aut an litera aliqua Dagesch recipiat? Verùm Sapientes tradebant illud,h.e.modum pronunciandi illud,unus alteri,neq; quemquam de eo erudiebant,nisi discipulum dignum ac idoneum, & semel in septimana. Meâ autem sententiâ,illud,quod dicunt,*Nomen quatuor literarum tradebant Sapientes filiis & discipulis suis semel in septimana*,non solùm de prolatione & pronunciatione ejus intelligendum,sed etiam de rationibus,propter quas hoc Nomen Deo appropriatum est,& de mysteriis Divinis, quæ sub eo latent. Num.*6.23.* *In* Kiddúschin *c.4.fol.71.*

Præterea fuit quoque apud ipsos *Nomen duodecim literarum*,quod sanctitate inferius erat Nomine Tetragrammato. Illud autem,prout mihi quidem videtur,non erat unicum vocabulum,sed duo aut tria, *Nomen duodecim literarum.*

quæ literas habebant duodecim. Utebantur eo pro nomine Tetragrammato, quotiescunque eis in lectione illud occurrebat, quemadmodum nos hodie pro eo legimus *Aleph Daleth*, (h.e. nomen *Adonaj*). Verùm sine dubio magìs emphaticum erat, & aliquid magìs singulare significabat Nomen illud 12. literarū, quàm Nomen *Adonaj*. Neq; denegatum fuit illud ulli unquam ex filiis S. pientum, sed docebant quemvis, qui id discere cupiebat, quod non faciebant in Nomine Tetragrammato: nam non docebant illud, nisi filios & discipulos suos semel in septimana. Cùm verò nomen hoc discerent temerarii quidam homines, & eo dogmata fidei corrumperent, sicut cuivis imperfecto accidere solet, quando videt rem aliter se habere quàm principiò sibi imaginatus erat, tùm & illud inceperunt occultare, neque ampliùs id docebant, nisi modestos & verecundos ex Sacerdotibus, ut eo benedicerent populo in Sanctuario; quia jam desierant pronuntiare *Schem hammephorasch*, h. e. Nomen Tetragrammaton, itidem propter abusum & perversitatem hominum, sicut ajunt: *Ex quo mortuus est Simeon justus, cessârunt fratres ejus Sacerdotes benedicere cum Nomine* (Tetragrammato sc.): *sed benedicebant cum Nomine duodecim literarum.* Item: *In principio cuivis tradebant Nomen duodecim literarum, sed ex quo multiplicati sunt homines præsumptuosi & fastuosi, qui illud didicerunt, tradiderunt illud tantùm modestis & verecundis in Sacerdotio, qui illud absorbebant vel celeriter demurmurabant in melodia fratrum suorum Sacerdotum. Dixit R. Tarphon, Ascendi aliquando post patrem meum in suggestum, & admovi aures meas ad Sacerdotem, ac audivi quòd absorberet illud in melodia fratrum suorum Sacerdotum.*

Cur occultatum fuerit?

Nomen quadraginta duarū literarum.

Fuit etiam apud Veteres *Nomen quadraginta duarum literarum.* Cuivis autem sanâ mente prædito notum est, quadraginta duas literas nequaquam posse unicam tantùm vocem constituere. Quare sine dubio fuerunt plures voces, constantes quadraginta duabus literis. Neque dubium est, quin voces illæ aliquid significârint, quod appropinquare fecit hominem ad veram cognitionem essentiæ Dei Benedicti, secundùm eum modum, quem declaravimus. Plures autem illæ voces *Nomen* vocabantur, quia de una tantùm re docuerunt, sicut alia Nomina propria: multiplicabantur autem ad meliorem rei intelligentiam. Res quippe unica potest proponi & explicari multis verbis. Illud verò, quod docebatur, non erat solùm pronuntiatio nuda literarum, sine ulla rei impressione, sed etiam (quod observa) doctrina rerum, de quibus voces illæ docebant. Neque unquam Nomen hoc 42. literarum, vel Nomen 12. literarum, vocantur

tur *Schem hammephorasch* : sed *Schem hammephorasch* vocatur tantùm Nomen illud Dei appropriatum (*Tetragrammaton sc.*), sicut declaravimus. Duo tamen ista posteriora sine controversia Sapientiam aliquam Divinam docuerunt, quod inde probari potest, quia de eo Magistri nostri dicunt; *Nomen quadraginta duarum literarum sanctum & sanctificatum est, neq; tradunt illud nisi ei, qui verecundus est, qui stat in medio dierum suorum* (h. e. mediæ ætatis viro), *qui non facilè irascitur, qui non inebriatur, qui non est obstinatus & pertinax in malis suis moribus, & cujus sermo est placidus & mansuetus cum creaturis. Quicunq; autem illud sciebat, reverenter habebat, & castè ac relligiosè observabat, is superis habebatur charus, inferis desideratus*, (h.e. Diis Hominibusque charus erat & acceptus), *omnibus creaturis terrori, in doctrina & eruditione sua confirmatus*, (de verbo ad verbum, *Doctrina ejus confirmatur in manu ipsius*), *utriusq; tandem Mundi, hujus sc. præsentis & futuri hæres.* Hactenus Talmud. Quàm pauci verò sunt, qui verum horum verborum sensum & scopum rectè percipiunt! Plerique enim existimant, de literis tantùm & earum prolatione hoc intelligi, neque quicquam aliud hîc latere & exponi, sed per solas illas literas ad cognitionem sublimium illorum Mysteriorum perveniri, qualitatibus item ac dotibus illis, quarum facta mentio, ad illas tantùm addiscendas opus esse. Verùm certum est, illa omnia nil fuisse, nisi expositionem rerum Divinarum, & ex illorum numero, quæ vocantur *Arcana Legis*, sicut explicuimus. Expositum etiam est inter cætera in Libris, qui compositi sunt de Sapientia Divina, quòd hujus Sapientiæ, quæ est Apprehensio Intellectus agentis, nemo possit oblivisci, quod his verbis significatur, *In ejus manu doctrina confirmatur.*

Posteaquam autem fatui & mali quidã homines ea, quę de supradictis nominibus adduximus, invenerunt, ansam inde plura mendacia componendi arripuerunt, literas aliquas pro lubitu in dictionem unam colligentes, ac hominibus persuadentes, illam hoc vel illo modo scriptam aut dictam, talem vel talem habere operationem & effectum. Mendaciis his ita ab isto hominum genere confictis, cœperunt illa in certos libros referri, qui cùm ad manus bonorum alioqui, sed nimis credulorum Virorum, qui solidum non habebant judicium inter verum & falsum discernendi, pervenissent, & ab illis inter κειμήλια sua asservati & absconditi fuissent, simplices posteri illos invenientes, fidem eis tanquam veris adhibuerunt, & pro talibus receperunt, juxta id, quod Salomon ait, *Stultus credit omni verbo.* Prov. 14.15

Verùm

Verùm digressi sumus à laudabili nostro proposito,& à subtilissima nostra speculatione,ad res,quod cuivis Tyroni notum,futilissimas & ineptissimas : cui occasionem præbuit id,quod de Nominibus Dei & sensu illorum,quidque de illis vulgus sentiat & sciat,diximus. Quare ad ea,quæ antè jam monuimus, revertor, quòd sc. omne Nomen DEI sit derivativum ab aliquo opere,excepto *Schem hammephorasch*,seu Nomine Tetragrammato. Necesse autem est,ut in peculiari capite adhuc loquamur de alio Nomine,videlicet *Ehjeh ascher ehjeh*, h.e.*Ero qui ero*; quia & illius explicatio facit ad subtilem istam,quam tractamus, speculationem, Remotionem sc. Proprietatum corporalium.

CAP. LXIII.

Observat nonnulla ad id, quod Moses dixit, Quod est Nomen ejus? Item, de Ejeh ascher Ehjeh, Jah, Schaddaj.

ANTEQUAM ad ipsam explicationem Nominis *Ehjeh ascher ehjeh* accedam,præmittam propositionis loco aliquid de eo,
Exod.3.13. quod Moses dixit,*Et dicent mihi,quod est Nomen ejus? quid tùm respondebo eis?* quomodo sc. illa quæstio convenerit huic negotio,ut Moses quæreret,quid sibi ad illam respondendum esset? Equidem quod
Exod.4.1. ibidem dicitur,*Ipsi verò non credent mihi, sed dicent, Non apparuit tibi Deus*,de eo certum est,quòd hoc pacto deceat alloqui eum,qui gloriatur de Prophetiæ dono,donec probationem adduxerit. At illud nonnihil difficultatis habet. Nam si res ita habet,prout ex literarum cortice apparet,quòd Nomē Dei fuerit id,quod Israëlitis dicere debebat,necessariò sequitur,vel Israëlitas illud Nomen jam scivisse, vel nunquam prorsus auditum illis fuisse. Si jam sciverunt,nullam ipsis probationem attulisset,licèt indicâsset,quia illi æquè ac ipse illud scivissent. Si non sciverunt,quomodo probavit esse hoc Nomen DEI,si scientia Nominis probationis loco ipsi inservire debuit? In-
Exod.3.16.18. super, postquam Deus Nomen hoc ipsum docuit dixit ei,*Vade,congrega seniores Israël, & obedient voci tuæ*: & respondit ipsi Moses,& dixit,*Ecce non credent mihi,neq; audient vocem meam*; cùm tamen Deus ipsi jam dixisset,*Audient vocem tuam*. Post-hęc dixit ipsi Deus, *Quid hoc est,quod est in manu tua? respondit,Virga* &c.

Quod ergo tibi ad solutionem & explicationem sciendum,id jam expo-

exponam. Nôſti, quantum in temporibus illis invaluerit Hæreſis † *Zabaorum*, & quomodo omnes propè in univerſum homines, non-niſi paucis exceptis, Idololatriæ addicti fuerint, ita ut ſtellis & imaginibus, quas illis fecerant, omnem virtutem divinam & ſpiritualem adſcriberent. Et quivis tùm temporis vel gloriabatur, quòd novum argumentum & novam probationem invenerit, quòd ſit Deus ſuper hunc Mundum univerſum, ut Abraham: vel gloriabatur, quòd deſcenderit ſuper ipſum ſpiritus ſtellę vel Angeli alicujus &c.

† Zabaiſtarum Legis, *mentio fit apud Averrhoëm in diſput. Metaph.*4. *pag.* 351. *edit. Veneta in* 8.

Verùm qui gloriaretur de Prophetia, dicendo, Deum ſecum loquutum eſſe, & ipſum miſiſſe, de nullo unquam auditum fuit ante Moſen Doctorem noſtrum. Nam quod de Patriarchis legimus, Deum ad ipſos loquutum eſſe, & eis apparuiſſe, id alium ſenſum habet, ac propterea te non debet ſeducere. Nuſpiam enim illud ſenſum Propheticum habere reperies, ita ut jubeantur clamare ad filios hominum, aut in viam eos dirigere: nec unquam invenies, quòd Abraham, vel Iſaac, vel Jacob, vel aliquis alius ante ipſos dixerint, *Dixit mihi Deus, ut ſic faciatis, vel non faciatis*, vel, *Miſit me ad vos.* Nihil minus. Sed factus eſt ad ipſos ſermo Dei in eo tantùm, quod ipſos ſolos ſpectabat & attinebat, h.e. de eo, quod pertinebat ad ipſorum perfectionem, & ad ſignificandum illis ea, quæ ipſis facienda erant, vel annunciandum id, quod ipſis & ſemini illorum eventurum erat. Ipſi verò inſtituebant homines ſuos per modum ſpeculationis & diſciplinæ, ſicut nobis declaratur, cùm dicitur, *Et animas, quas fecerunt in Charran.* Cùm ergo Deus Moſi apparuiſſet, & ipſi in mandatis dediſſet, ut ſuo nomine mortales alloqueretur, hancque legationem apud ipſos expediret, ſtatim apud ſe cogitavit, illos ante omnia petituros, ut probet, Deum eſſe in hoc Mundo; deinde ut oſtendat, ſe ab illo miſſum & ablegatum eſſe. Omnes etenim homines, paucis quibusdam exceptis, neſciebant tùm temporis, Deum eſſe: ſed ſumma ipſorum ſpeculatio conſiſtebat in contemplatione cœli ac virtutum & operationum ejus, neque ulteriùs ſe extendebat. A' rebus ſenſibilibus abſtrahi ſe non patiebantur, neque perfecti fuerunt perfectione intellectuali. Proinde docuit ipſum Deus ſcientiam, quam ipſis traderet, & quæ ipſis perſuaderet, Deum eſſe, Nomen ſc. hoc *Ehjeh aſcher Ehjeh.* Eſt autem hoc Nomen derivatum à verbo *Hajah*, quod ſignificat Eſſentiam vel Exiſtentiam; *Hajah* enim ſignificat *Eſſe* vel *Exiſtere*: [perinde enim eſt, ſive dicas *hajah*, ſive *nimza*, nam hæc duo ſunt ſynonyma]. Myſterium verò ejus omne latet in iteratione vocis ejusdem, quæ ſignificat Exiſtentiam per

Ante Moſen nemo fuit, qui dixerit, Deum ſecum eſſe loquutum.

Geneſ. 12. 5.

Nomen DEI *Ehjeh aſcher Ehjeh.*

P

modum attributionis vel prædicationis. Nam pronomen relativum *Ascher* continet in se mentionem Attributi alicujus inhærentis sibi, (est enim per se imperfectum semper, & notat aliquid aliud ei adhuc conjungendum, sicut *Aldi* apud Arabes), & positum est Nomen primum, quod Subjecti vicem sustinet Ehjeh *Ero*, & Nomen secundum, quod Attributum ejus est, itidem vocatur Ehjeh *Ero*, vox planè in substantia eadem cum priore; quasi ostendere vellet, Denominatum sive Subjectum & Attributum unum idemque esse in substantia, quod nihil aliud est, quàm quod nos dicimus, Deum existere, sed non per existentiam. Quare explicatio & expositio illius *Ehjeh ascher Ehjeh* est, *Hannimza ascher hu hannimza* Existens qui est Existens, h.e. is qui necessariò existit. Hoc enim est, quod probare & demonstrare debuit, Deum esse Ens necessariò existens, neque unquam vel non fuisse, vel non futurum esse, sicut hujus rei demonstrationem afferam.

Postquam ergo Deus Benedictus ipsi *(Mosi)* ostendit rationes, quibus ejus Existentiam probaret apud Sapientes populi sui, pergit, & dicit ad eum, *Vade & congrega seniores*, ac simul ei promittit, quòd ipsum intellecturi sint, & ab illo accepturi id, quod notum ipsi fecit, sicut dicitur, *Et audient vocem tuam*. Moses itaque respondit ei; En, credo equidem, ipsos credituros quòd sit Deus, & hoc recepturos, propter rationes istas intellectuales, sed quam eis probationem afferam, quòd hîc Deus miserit me? Ad hoc ergo probandum, datum ipsi est postea signum. Ex quibus omnibus apparet, sensum illius quæstionis, *Quod est Nomen ejus?* hunc esse, Quis est ille, à quo existimas te missum esse? Quòd verò ita eloquitur, & his verbis quæstionem format, *Quod est Nomen tuum?* honoris caussâ factum est. Perinde enim est ac si diceret, Existentiam & Veritatem tuam nemo ignorat, si verò interrogatus fuero de Nomine tuo, quid ipsis de hoc Nomine tuo indicabo? Itaque honoris caussâ noluit Moses ad Deum dicere, esse quosdam, qui existentiam ipsius ignorent, sed rejecit ignorantiam illorum in Nomen, non in id, quod per Nomen intelligitur & significatur.

[Margin: Exod.3.16. — Ibid.v.18.]

[Margin: *Nomen* JAH.] Sic Nomen duarum litterarum *Jah* יה desumptum est ab Aeternitate existentiæ ipsius.

[Margin: SCHADDAJ.] *Schaddaj* derivatum est à *Daj* sufficiens: ut, *Et substantia erat* [Margin: Exod.36.7.] *daijam sufficiens ipsis*; *Schin* autem idem valet quod *Ascher*: ut, [Margin: Eccl.4.2.] *Schececvar* Qui jam; ac proinde significat, *Qui sufficiens est*, quod Deus

Deus sibi sufficiat, neque opus habeat existentiâ alius alicujus Entis, aut ut ab alio conservetur: sed existentia Dei sibi ipsi sola sufficiat.

Chasin derivatum est à Potentia & Fortitudine: ut, Vechason *Et fortis veluti quercus.* CHASIN. Amos 2.9.

Sic *Tzur* Nomen est æquivocum, sicut alibi id exposuimus. TZUR. part.1.c.10.

Ita ergo hactenus declaratum tibi est, Omnia Nomina Divina aliunde esse deducta & derivata, vel esse homonyma, ut *Tzur*, id quod verissimum est. Nullum namque Nomen est DEI, quod non sit derivatum, præter Tetragrammaton, quod est *Schem hammephorasch* Nomen expositum, de nulla alia re vel proprietate docens, nisi de Essentia DEI, de cujus ratione hoc est absolutè, quòd perpetuò & necessariò existat.

CAP. LXIV.

Quot modis dicatur NOMEN DEI, & GLORIA DEI.

SCITO, *NOMEN DOMINI* quandoque significare solum & nudum NOMEN: ut quando dicitur, *Non assumes NOMEN DOMINI DEI tui in vanum.* Item, *Qui expresserit NOMEN DOMINI.* Et sic sæpissimè. Quandoque verò significat Essentiam & Veritatem ejus: ut, *Et dicent mihi, quòd est NOMEN ejus?* Interdum usurpatur pro VERBO DEI, ita ut, quando dicimus *NOMEN DEI*, idem valeat quod Verbum DEI, aut Sermo DEI: ut, *Quia NOMEN meum in medio ejus*, h.e. Verbum meum, vel Sermo meus in medio ejus, quia sc. illud est instrumentum voluntatis & beneplaciti mei, sicut explicaturus sum in homonymia vocis *Angelus*. *Nomen* DEI *quid significet.* Exod.20.7. Levit.24.16. Exod.3.13. Exod.23.21. *part* 2.c.6.

Sic per *GLORIAM DOMINI* significatur nonnunquam Splendor aliquis creatus, quem DEUS quasi prodigii vel miraculi loco ad Magnificentiam suam ostendendam alicubi habitare fecit: ut, *Et habitavit GLORIA DOMINI super monte Sinaj & obtexit eum.* Item, *Et GLORIA DOMINI replebat tabernaculum.* Interdum autem eo itidem significatur Essentia & Veritas ejus: ut cùm Moses ait, *Monstra mihi quæso GLORIAM tuam,* qui pro responso audivit, *Non videbit me homo & vivet*: ex quo apparet, *GLORIAM*, cujus mentionem fecit, nihil aliud esse GLORIA DOMINI *quid significet.* Exod.24.16. Exod.40.35. Exod.33.18. Ibid.v.20.

quàm Essentiam Dei, quam honoris caussâ GLORIAM appellavit, quemadmodum similiter exposuimus illud, *Et dicent mihi, quod est Nomen ejus?* Quandoq; per GLORIAM intelligitur *Laus*, quâ homines & reliquæ creaturæ Deum afficiunt & celebrant, *(de verbo ad verbum,* Magnificatio omnium hominum &c.) Vera quippe ejus laus & celebratio (Heb. *magnificatio*) est Apprehensio magnitudinis ipsius. Quicunque ergo apprehendit Magnitudinem & Perfectionem ejus, magnificat ipsum pro mensura apprehensionis suæ. Homo autem solus magnificat Ipsum sermone & verbis, quibus docere potest id, quod in Intellectu suo apprehendit, & aliis significare. Ea, quæ non habent Apprehensionem, ut silentia, *(h.e. Lapides, Metalla &c.)* illa magnificant Deum, dum per naturam suam docent de potentia & sapientia ejus, qui ipsis dedit existentiam; respectu nempe eorum, qui illa contemplantur & considerant, sive illi facultatem loquendi habeant, *(ut homines)*, sive non habeant, *(ut sphæra & intelligentiæ separatæ)*. Atque sic latè admodùm hunc usum extendit Lingua Hebræa, & sermonem attribuit eis quoque, quæ non habent Apprehensionem, quasi illa Deum laudarent, & hoc vel illud dicerent, ut, *Omnia ossa mea dicent, Domine quis sicut tu?* Ubi ossibus attribuit, quasi ipsa hoc dicerent, quia sc. illorum natura & consideratio in homine istam fidem & vocem producit, & quia ex illis scitur hoc, *(Nullum esse Deo similem)*: ac propterea hoc negotium vocatur *Gloria, (dum inanimata & sermone carentia faciunt, ut homines Deum glorificent)*: ut, *Plena est omnis terra gloriâ ejus*, h.e. *Plena est omnis terra laude ejus.* Nil enim novi est, Laudem vocari Gloriam: ut, *Date Domino Deo vestro Gloriam.* Item, *Et in templo ejus omnes dicunt gloriam.* Et sic frequentissimé.

[Margin: Exod. 3. 13. — *Quomodo Homo Deum magnificet.* — *Quomodo Inanimata Deum celebrent.* — *Lingua Hebræa etiam Intellectu carentibus attribuit sermonem.* — Psalm. 35. 10. — Jesa. 6. 3. — Jer. 13. 16. — Psalm. 29. 9.]

Tu ergo vide, ut hujus vocis homonymiam diligenter observes, & in unoquoque loco in vera ac genuina significatione accipias. Sic enim ex multis dubiis liberaberis.

CAP. LXV.

In quo explicatur Homonymia verborũ דִּבֵּר ׳ אָמַר Amar *&* Dibber, h.e. *Dixit, vel Loquutus est: & ostenditur, quòd de* DEO *usurpata, semper significent Voluntatem & Beneplacitum.*

POSTEAQUAM ad hunc gradum cognitionis veritatis pervenisti, ut scias, Deum Benedictum existere, sed non per existentiam; esse Unum, sed non per Unitatem: non existimo opus esse, ut tibi explicetur, quâ ratione *Sermo* vel *Loquutio* à Deo removeatur; inprimis cùm unanimi consensu tota gens nostra affirmet, *Legem esse creatam*, cujus assertionis nullus alius sensus est, quàm Sermonem, qui Deo attribuitur, esse creatum. Attribuitur autem Deo ipsi Sermo, quem Moses audivit, quia Deus illum creavit & innovavit, sicut creavit reliquas creaturas, de qua re plura dicentur, cùm agemus de Prophetia. Quòd itaque *Sermo* Deo attribuitur, id eodem modo fit, quo ipsi attribuuntur aliæ proprietates, ab aliis operibus, quæ nostris similia sunt, desumptæ, & erudiuntur mentes nostræ, quòd scientiam aliquam Divinam Prophetæ assequuti sint & apprehenderint, cùm dicunt, *quòd Deus cùm ipsis loquutus sit*, vel, *hoc aut illud dixerit*; ut sciamus ea, quæ nobis ab illis communicantur, non cerebri ipsorum esse figmenta & somnia, sed à Deo Opt. Max. profecta, sicut explicabitur, & ex parte alibi jam explicatum est.

part.2.c.35.36.

Sermo *quâ ratione Deo attribuatur.*

1.cap.46.

Hujus capitis scopus & intentio est docere, duo ista verba, *Dibber* & *Amar*, h.e. *Dicere & Loqui*, homonym*us* dici. אמר *&* דבר *quid significent.*

Primò enim dicuntur de Sermone, qui Linguâ fit: ut, *Moses* jedabber *loquatur*. Item, Vajomer *Et dixit Pharao*. Exod.19.19. Exod.5.5.

Deinde dicuntur de re aliqua concepta & formata in Intellectu, neque Sermone externo prolatâ: ut Veamarti *Et dixi ego in corde meo*. Item, Vedibbarti *Et dixi in corde meo*. Item, *Et cor tuum* jedabber *loquetur*. Item, *Tibi* amar *dicit cor meum*. Item, Vajomer *Et dixit Esav in corde suo*. Et sic frequentissimé. Eccl.2.15. Ibidem. Prov.23.33. Psalm.27.8. Gen.27.41.

Tertiò dicuntur quoque de Voluntate: ut, Vajomer *Et dixit se percussurum Davidem*; perinde enim est, ac si diceret, Et voluit occidere eum: vel Cogitavit secum, se illum occisurum. Item. *An ad occiden-* 2.Sam.21.16. Exod.2.14.

Num.14.10. *dum me omer dicis?* sensus enim est, *An vis me occidere?* Sic, Vajomeru
Quo sensu Deo *Et dixerunt totus cœtus ad lapidandum eos*, &c. Omne *Amar* & *Dibber*,
attribuantur. h.e. Omnis *Sermo & Loquutio*, quæ de Deo dicitur, est ex alterutra duarum posteriorum significationum, h.e. vel est cognomen Voluntatis & Beneplaciti ipsius, vel est cognomen rei alicujus, quæ à Deo intelligitur. Quod dico, *esse cognomen rei alicujus, quæ à Deo intelligitur*, ita intelligo, significare rem aliquam, quam Deus Intellectui nostro infundit, sive jam illam nobis notam faciat per vocem aliquam creatam, sive per modum aliquem Prophetiæ: nequaquam autem quasi Deus Benedictus literis & voce uteretur, vel animam haberet, cui quædam possent imprimi, quæ in substantia ipsius sint adventitia & accidentaria. Ista etenim omnia ipsi attribuuntur, sicut reliqua nomina & attributa.

Quando significant Voluntatem & Beneplacitum Dei verba ista *Amar* & *Dibber*, h.e. Dicere & Loqui, cùm itidem ὁμωνύμως & per similitudinem ita dicuntur, ut in præcedentibus declaravimus. Quia etenim homines non assequuntur in principio cogitationis, quomodo res aliqua fieri possit per solam voluntatem, sed necesse est, ut qui aliquid vult fieri, id vel ipsemet faciat, vel aliis faciendum præcipiat: ideò adscribitur Deo, quòd Jubeat rem aliquam esse, quam esse Vult, diciturq;, quòd Ipse Jusserit aliquid esse, & statim fuerit, per modum similitudinis ab operibus nostris, & quia hæ voces quoque Voluntatem significant, prout explicuimus. Sic quotiescunque in opere Creationis occurrit, *Et dixit*, idem valet quod *Voluit*, aut *Delectatus est*, id quod notissimum est, & alii quoque ante me jam monuerunt.

Τὸ Dicere Dei, *in Historia Creationis, intelligitur de* Voluntate Dei.

Quòd autem illa *Dicere* in opere Creationis intelligenda sint de *Voluntate*, non de *Sermone*, inde demonstratur; quia Sermo, quo aliquid præcipitur & mandatur, necessariò dirigi debet ad Ens quodpiam, quod illud mandatum potest recipere. Tùm autem nulla Entia adhuc fuerunt: unde sequitur, illa de sola Voluntate esse in-
Psalm.33.6. telligenda. Sic quod dicitur, *Verbo Domini cœli creati sunt*, idē est cum
Ibid. eo, *Et spiritu oris ejus omnis exercitus eorũ*. Quemadmodum enim *Os ejus*, & *Spiritus ejus* sunt metaphorica: ita quoq; *Sermo* & *Verbum ejus* sunt metaphorica, & sensus est, quòd existant per ipsius Voluntatē & sententiam, id quod nullus Sapientũ nostrorũ paullò celebriorũ ignorat.

Cæterùm non necessarium esse arbitror, ut probem, duo hæc verba, *Amar* & *Dibber*, in Lingua Hebræa esse synonyma. Id enim vel
Jos.24.27. ex unico hoc dicto, in quo conjunguntur, satis superq; liquet, *Ipsa audivit omnia* imre *dicta Domini, quæ* dibber *loquutus est*.

CAP.

CAP. LXVI.

Quomodo Tabulæ Legis dicantur ſcriptæ Digito DEI, & Opus DEI.

LEGIMUS apud Moſen, *Et Tabulæ erant opus* DEI, cujus dicti ſenſum eſſe exiſtimo, quòd eſſentia ipſorum erat naturalis, non artificialis. Omnes enim res naturales vocantur *Opus* DEI: ut, *Ipſi viderunt opus* DOMINI. Hinc poſtquam David mentionem feciſſet omnium ferè rerum naturalium, plantarum, animalium, ventorum, pluviarum, & aliarum ſimilium, concludit tandem, *Quàm multa ſunt opera tua,* DOMINE*?* Et ibidem paullò antè longè excellentiùs, *Cedri Libanon quas plantavit*; de Cedris Libani inquiens, quòd à DEO plantatæ ſint, propterea quòd eſſentia ipſarum erat naturalis, non artificialis. Quâ ratione intelligendum quoque illud, quod dicitur, *Et Scriptura, Scriptura* DEI. Item, *Et Scriptura* DEI *erat:* ubi apertè Scriptura illa Deo attribuitur, quemadmodum etiam in alio loco, ubi dicitur, *Scriptas digito* DEI. Et *Digitus* DEI hìc non aliter ſumitur quàm in illo, *Supra cœlos*, (qui ſunt) *opus digitorum tuorum*. De his autem (*Cœlis*) conſtat, quòd per *τὸ Dicere Dei* creati ſint, ſicut dicitur, *Verbo* DOMINI *cœli creati ſunt*. Quare ex iſtis apparet, Scripturam accommodare Verbum *Dicendi*, ad exiſtentiam, productionem vel creationem rei alicujus: & eſſentiam, vel ſubſtantiam illius rei, de qua dicitur, quòd ſit facta *per Verbum*, dici *Opus digiti*; ac proinde illud, *Scriptas digito* DEI, idem eſſe quod *Verbo* DEI; & *Verbo* DEI, idem quod *Voluntate & Beneplacito* DEI. Onkelos hìc à vera & genuina expoſitione recedit. De verbo ad verbum enim reddit, *Scriptas digito* DEI, per *Digitum* intelligens aliquid externum relatum ad DEUM, & *τὸ Digito* DEI capiens ſicut illa, *Mons* DOMINI, *Baculus* DOMINI; pro Inſtrumento nempe aliquo creato, quo ſculptæ fuerint Tabulæ Voluntate DEI. Quid autem ipſum ad hanc interpretationem permoverit, neſcio. Sanè longè ſatius fuiſſet, ſi dixiſſet, *Ubememra dadonaj* Et Verbo DOMINI, ſicut dicitur, *Verbo* DOMINI *cœli creati ſunt*. Nam an'non æquè vel magìs admiranda eſt cenſenda Scriptura litterarum in Tabulis, quàm exiſtentia ſtellarum in firmamento? Quemadmodum ergo has non per inſtrumentum aliquod in cœlo collocavit & exiſtere fecit, ſed per primam ſuam voluntatem: ſic quoque Scri-

Exod.32.16.
Cur Tabulæ Legis vocentur Opus DEI?
Pſal.107.24.
Pſal.104.24.
Ibid.v.16.
Cur Scriptura DEI?
Exod.32.16.
Exod.31.18.
Pſal.8.4.
Pſal.33.6.

Scriptura illa scripta fuit per primam ipsius voluntatem, sine aliquo
Avoth cap. 5. instrumenro. Nôsti, quod in hunc sensum in *Mischna* legitur; *Decem res creata sunt inter vesperas* &c. & ex eorum numero quoque est
Scriptura Tabularum est ex operibus Creationis. *Scriptura Tabularum*; ex quo colligimus, extra controversiam & in confesso apud omnes semper fuisse, Scripturam Tabularum esse sicut reliqua opera Creationis, quemadmodum in *Mischna* exposuimus.

CAP. LXVII.

In quo explicatur verbum שָׁבַת Schabhat *Cessavit*, & נוּחַ Nuach *Quievit, Requievit.*

QUEMADMODUM verbum *Dicendi* in omnibus sex dierum Creationis operibus translarum est ad Voluntatem Dei, dum dictum est, Vajomer *Et dixit*: sic usurpatum est verbum Schabhat *Quiescere, Cessare*, de die Sabbathi, quia in eo nihil crea-
Genes. 2. 2. tum fuit, dictúmque est, Vajischboth *Et quievit vel cessavit die septimo.* Nam, Desistere à Loquendo, etiam per verbum *Schabhat* exprimi-
Job. 32. 1. tur: ut, Vajischbetu *Et quieverunt, cessârunt tres viri illi respondere Jobo.* Item per verbum *Nuach* Quiescere. Nam quando dicitur,
1. Sam. 25. 9. *Et loquuti sunt ad Nabal secundùm omnia verba illa in nomine Davidis*, vajânuchu *& quieverunt*, ejus sensus meo judicio est, *Substiterunt, Destiterunt, Nec loquuti sunt ampliùs, donec responsum audiverunt.* Nam nulla præcessit mentio Laboris aut Defatigationis, ac licèt defatigati fuissent, alienum tamen fuisset hoc loco verbum *Nuach*: sed narratur, illos orationem suam verbis placidis & lenibus, sicut videre est, concepisse, & postea siluisse, h.e. nihil ampliùs dixisse vel fecisse, quod jure Nabalem ad tàm durum & inhumanum responsum permovere potuisset. Scopus autem narrationis illius est, extremam sorditiem & turpitudinem illius hominis revelare. Atque juxta hanc
Exod. 20. 11. significationem dictum quoque est, Vaijanach *Et requievit* (h.e. cessavit loqui) *die septimo.* Sapientes tamen nostri, ut & alii Interpretes, in significatione *Quiescendi* exposuerunt, illudque ad opera Dei retulerunt. Sic enim exponunt: *Et quiescere fecit Mundum suum*, vel, *Et quievit Mundus ejus in die septimo*, h.e. Et cessavit creatio, vel, Cessare fecit creationem in die illo. Posset etiam esse ex *Quiescentibus primâ radicali*, vel ex *Quiescentibus tertiâ*, & idem cum הֵנִיחַ *Hinniach*, vel הִנְחָה *Hinchah*, Reliquit die septimo omnia Entia in eo loco & statu, in quo tùm erant, & in quo nunc sunt, ut sensus sit; Unoquoque

quæ die è sex præcedentibus, innovata & creata esse quædam Entia hujus rerũ Universitatis, quam oculis nostris conspicimus: die verò septimo omnia relicta esse in hoc statu, quo nunc apparent. Neque huic expositioni obest, quòd forma vocis non sit ex forma *Quiescentium Pe* vel *Lamed*. Scimus enim, quanta anomalia & confusio sit in istis verbis, *Defectivis* inprimis & *Quiescentibus*; ita ut propter rationem & analogiam Grammaticam sententia nostra, tanquam impertinens & absurda, non sit rejicienda. Cui accedit, quòd constet, nos hodie Linguæ nostræ non usq; adeò peritos esse, & modos ac rationes uniuscujusq; linguæ esse varias & multiplices. Invenimus quippe hoc verbum in significatione *Ponendi, Collocandi*, quoque in forma *Quiescentium Ajin*, h.e. secundâ radicali: ut, *Et præparetur* vehinnicha *& collocetur ibi*. Item, *Et non permittebat aves cœli* lanuach *sedere super eos*. Et hûc meo judicio referendum est quoque illud, *Quia* anuach *sedebo in die angustiæ*.

Confusio verborum Anomalorum in Lingua Hebræa.

Zach.5.11.

2.Sam.21.10.

Habac.3.16.

Quod verò attinet verbum *Naphasch*, quod tanquam æquipollens Moses alibi adhibet, ubi ait, *Et in die septimo quievit* vajinnaphasch, illud formatum est à nomine *Nephesch* Anima, cujus Homonymiam jam exposuimus, & inter alia quoque Intentionem animi & Voluntatem significare diximus. Sensus itaque illius vocis erit, *Et perfecta, ad finem perducta, absoluta erat omnis ipsius voluntas, omne ipsius beneplacitum in die septimo.*

Exod.31.17.

par.1.cap.41.

CAP. LXIIX.

In quo explicatur dictum illud Philosophorum; Deum esse Intellectum, Intelligens, & Intelligibile.

NOSTI protritum illud Philosophorum de DEO Opt.Max. axioma: *Deum esse Intellectum, Intelligens, & Intelligibile, & ista tria in ipso esse Unum, neq; multitudinem efficere.* In quem sensum nos quoque jam pridem in magno nostro Opere Talmudico scripsimus, principale Legis nostræ fundamentum, & primarium ejus articulum esse, *quòd Deus sit Unus, nihilq; sibi conjunctum habeat*, h.e. quòd nihil sit æternũ præter Ipsum solũ, ac propterea de Ipso dici, *Chaj* Vivens, vel Vivus Dominus, non *Che* Vita Domini, *(sicut dicitur*, Che Pharao *Vita*, h.e *per vitam Pharaonis):* quia Vita ipsius non est aliquid præter ipsius Essentiam, sicut explicuimus in Remotione Attributorum.

Deus est Intellectus, Intelligens, & Intelligibile.

Genes.42.15.

Hoc autem Axioma ejusque sensum difficulter intelliget, qui

nunquam legit libros, qui compositi sunt de Intellectu, & qui ejus naturam essentiamq; non intelligit, sed eandem ejus rationem esse opinatur, quæ est rerum sensibilium, ut v. G. Albedinis aut Nigredinis. Nam istiusmodi homines existimabant, perinde esse quod dicimus, Deum esse Intellectum, Intelligens, & Intelligibile, ac si quis diceret, Albedinem, Album vel Dealbatum, & Dealbans esse unum & idem; ac multi inepti & stolidi hoc vel similibus exemplis conabuntur nostram sententiam refellere & refutare: aliis, qui aliàs sibi videntur sapientes, veritatis hujus assertio & notitia nimis difficilis videbitur & mentium nostrarum captum longè exsuperare.

Verùm res ista manifesta est & demonstrativa, prout eam Philosophi Divini declarârunt, quorum rationes & probationes tibi nunc proponam.

Scias igitur, Hominem, antequam rem aliquam intelligit, esse *Intelligentem*, vel *Intelligere potentiâ*: quando verò rem aliquam intelligit, ut E. G. formã hujus vel illius arboris, quæ ipsi ostenditur, illamq; à materia ejus abstrahit, atq; ita abstractam illam formam in mente sua concipit & sibi (quod est opus Intellectus) imaginatur, tùm dicitur *Intelligens actu*, vel *Intelligere actu*: & sic Intellectus ille ipsius in actu, est ipsa Forma arboris à materia abstracta, quæ est in intellectu ipsius. Nam Intellectus nihil aliud est quàm Res intellecta. Quare hoc pacto expositum tibi est, Rem intellectam esse Formam arboris abstractam, & eandem esse Intellectum existentem in actu, neq; duas res esse, Intellectum, & Formam arboris intellectam. Nam Intellectus, qui est in actu, & Intellectum, non sunt diversa. Res verò illa, per quam intellecta est forma arboris & à materia abstracta, nempe *τὸ Intelligens*, sine dubio nihil est aliud, quàm Intellectus in actu existens. Operatio enim Intellectus est ejusdem essentia, & Intellectus in actu non est diversum quid ab Operatione ipsius. Nam veritas & ipsa quidditas Intellectus est ejus Apprehensio: proinde non est Intellectus in actu res alia, quàm Apprehensio, nec Apprehensio aliud quid, quàm Intellectus: sed corpus, h. e. substãtia & veritas Intellectus est Apprehẽsio, & quandocunq; ponitur Intellectus existens in actu, nihil aliud est quàm Apprehensio ejus rei, quę intelligitur, quod manifestũ est illis, qui se in hujusmodi exemplis exercuerunt. Quocirca explicatũ tibi est & hoc, quòd Veritas & Essentia Intellectus sit ipsa Actio & Operatio illius, Apprehensio sc.; & per consequens, quod illud, cujus vi & virtute forma arboris à materia fuit abstracta & apprehen-

prehensa, Intellectus putà, ipsum quoq. sit Intelligens. Intellectus enim ille in essentia sua est id, quod formã abstraxit & apprehendit, & hoc ipsum est ejus Operatio, propter quam dictum est de eo, quòd sit Intelligens, & Operatio ejus est ejusdem Essentia: istud autem, quod positum est tanquam Intellectus in actu, nihil aliud habet, quàm formam illius arboris. Sic itaque declaratum est, quando Intellectus existit in actu, Intellectum esse ipsam Rem intellectam: & Operationé intellectus, quę nihil aliud est quàm τὸ Intelligens, ejusdem esse essentiam. Ex quibus proinde rectè concludimus, Intellectum, Intelligens & Rem intellectam perpetuò esse unũ in omni eo, quod in actu intelligitur. Quãdo verò relinquitur in potẽtia, tùm sunt necessariò duo, Intellectus in potentia & Intelligibile in potentia, ut cùm dicis v. g. Intellectus iste materialis, qui est in Rubene, est Intellectus in potentia, & ista arbor est intellecta in potentia, hic sine dubio ista sunt duæ res diversæ & distinctæ. Quando verò egreditur in actũ utraq; hæc potẽtia, & forma arboris actu ipso intelligitur, tùm Forma illa intellecta est ipse Intellectus, & per eundẽ Intellectũ, qui est Intellectus in actu, forma illa abstracta est & intellecta. Nam quicquid habet actũ existentem, id actu existit. Quocirca omnis Intellectus in potẽtia & Intellectũ vel Intelligibile in potẽtia, sunt duę res diversę: & quicquid est in potentia, nõ potest esse sine subjecto sustinente potentiam illam; unde proinde exsurgunt tres diversæ res, id quod in Hominis exemplo videre est. Est enim Homo tanquam subjectũ potentiæ, qui est τὸ Intelligens in potentia, & Potentia illa, quæ est Intellectus in potentia, & Res, quę intelligenda est, Intellectum nempe in potentia: quasi in præsenti nostro exemplo diceres, Homo, & Intellectus materialis & Forma arboris, & hæc tria sunt inter se distincta: cùm verò Intellectus de potentia exit in actũ, tùm tria illa fiunt unum, neq; unquam invenies, quòd Intellectus & Intellectum sint distincta, nisi quando accipiuntur in potentia.

Intellectũ, Intelligens, & Intelligibile, unũ sunt in omni eo, quod actu intelligitur.

Quia ergo certò constat, quòd Deus Benedictus sit Intellectus in actu perpetuo, sine ulla potentia, (sicut jam declaratũ est, & ulteriùs adhuc declarabitur) ita ut quandoque apprehendat, quandoq; verò non apprehendat, sequitur necessariò, Ipsum & Rem, quæ ab ipso apprehenditur, esse unum idemq;, Essentiam nempe ejus, & Actum Apprehensionis, à quo dicitur Intelligens, esse ipsam substantiam Intellectus, qui est ejus essentia. Quod cum ita sit, perpetuò erit Deus Intellectus, Intelligens & Intellectum.

Sic itaque hactenus explicatum est, quòd Intellectus, Intelligens

& Intellectum, unum sint numero, non solùm in Deo, verùm in omni Intellectu, atque adeò in nobis quoque, quando Intellectus est in actu. Nos autem quod attinet, egredimur de potentia in actum successivè, & Intellectus abstractus, h.e. Intellectus agens nonnunquam impeditur in operatione sua, non quidem à se-ipso, verùm ab extrinseco quodam impedimento. Sed hujus rei declaratio non est nostri propositi. Scopus & intentio nostra est, docere, Deum esse Intellectum in actu perpetuo, ac neque ab ipso, neque extrinsecùs, ullum ei impedimentum in Apprehensione obvenire posse; ideoq; illum semper esse Intellectum, Intelligens & Rem intellectam, secundùm quod se res habet in omni Intellectu in actu, quod multoties jam in hoc capite inculcavimus, eò quòd mentes hominum nihil minus, quàm hoc ipsum, credere & sibi imaginari possunt. Ac ut concludam, non existimo, dubium tibi moturam conceptionem intellectualem in imaginatione, & exempla rerum sensilium in potentia vel facultate imaginativa; quia non conscriptus est hic liber, nisi pro iis, qui in Philosophia probè sunt exercitati, eaque, quæ hactenus de Anima & ejus facultatibus dicta sunt, intelligunt.

CAP. LXIX.

Quòd Philosophi Deum Caussam primam; *alii autem hoc nomen vitantes,* Efficientem, *Ipsum appellârint, & demonstratur, nullam inter has duas appellationes esse differentiam.*

Loquẽtes, *Hebr.* מדברים Medabberim, *certa quadam sine dubio fuit secta Philosophorũ apud Arabes: nã crebra eorũ mentio fit etiam apud Averrhoën in disput. Metaph. Unde cum illic hoc nomine vocitentur, volui-*

PHILOSOPHI, prout nôsti, vocant Deum Opt. Max., *Caussam primam*, à quâ appellatione celebres & famosi Scriptores è *Loquentium* secta valdè abhorruerunt, eumque *Agens* vel *Efficientem* vocitare maluerunt, existimantes, magnam inter *Caussam* & *Agens* vel *Efficiens* esse differentiam. Dixerunt enim; Si dicamus Caussam, sequetur necessariò, esse aliquod ipsius caussatum & effectum, atque ita Mundum esse æternum, & à Deo necessariò creatum. Si verò dicamus, Efficiens vel Agens, non statim sequitur necessaria alicujus operis vel effecti existentia: quia Efficiens potest esse ante opus & effectum suum, immò non potest cogitari efficiens, nisi cogitetur præcedere opus & effectum suum.

Sed

Sed hæc sunt verba eorum,qui nesciunt distinguere inter illud, quod est Potentiâ, & quod est Actu. Proinde scias,nullam esse differentiam in hoc negotio,sive dicas *Caussa*,sive *Efficiens*. Quando enim accipis *Caussam* in potentia,erit & ipsa tempore prior suo caussato: quando verò caussa est in actu, necessariò quoque caussatum actu existit per existentiam caussæ. Sic,quando τὸ *Efficiens* sumis pro Efficiente in actu,necessariò quoque sequetur existentia effecti ipsius. Ita Architectus, antequam domũ ædificat,non est Architectus actu, sed potentiâ, cùm verò domum ædificavit,fit Architectus ipso actu. Sic Materia domus illius, antequam domus ædificata fuit,erat domus in potentia,exstructâ autem ex ea domo,est domus in actu,& necessariò sequitur existentia rei ædificatæ. Quocirca nihil lucrabimur,etiamsi Efficientis nomen Caussæ appellationi præferamus: ideoque in hoc capite ostendere volui,quòd paria sint duo hæc nomina,& quòd eâdem ratione *Caussam* aliquid vocare possimus,licèt nullum ipsius caussatum existat,quâ aliquid vocamus *Efficiens*,quod à nullo impediri & prohiberi potest,cùm vult agere,licèt nullum ipsius effectum existat.

mus & nos illud retinere. Passim in hoc libro ab Authore allegantur & refutantur.

Cur Loquentes DEUM *maluerint* Agentem *vel* Efficientẽ, *quàm* Caussam *appellare?*

Quòd verò Philosophi Deum *Caussam* potiùs quàm *Efficientem* appellârint,non ideò fecerunt, ut sic receptam apud ipsos opinionem de Æternitate Mundi probarent,sed alias ob caussas,quas paucis tibi enarrabo.

Cur Philosophi DEUM Caussam *potius, quàm* Efficientem *appellârint?*

Explicatum tibi est in Physica scientia, quatuor esse caussas omnium earum rerum,quæ à caussa aliqua proficiscuntur,*Materiam* sc.,*Formam*, *Efficientem*,& *Finem*,& harum alias esse *Propinquas*,alias *Remotas*,universas tamen & singulas vocari caussas. Ex illorum autem (*Philosophorum* sc.) opinionibus & sententiis est & hæc, (cui ego non contradico), Deum esse Caussam Efficientem,Formam & Finem. & hujus rei gratiâ Deum vocârunt *Caussam*,quòd tres illas caussas complectatur; quòd sit Mundi Efficiens, Forma & Finis. Proinde in præsenti capite & istud tibi explicabo,quâ ratione rectè dicatur de Deo,quòd sit Mundi Efficiens,Forma & Finis. Non est autem,quòd te hîc multùm crucies de Æternitate Mundi, an ea vera sit nec'ne? nam de hac quæstione alibi agemus. Nostra intentio hîc est,docere,Deum esse caussam efficientem singularum rerum in hoc Mundo existentium,prout est Creator totius Mundi in universo.

Dico igitur,quòd singularum illarum quatuor caussarum, prout in Physicis quoque traditur,aliæ adhuc semper priores & superiores quærendæ & investigandæ sint caussæ,& quòd in omni eo,quod

Quomodo investiganda sit semper caussa prima.

generatur, quatuor illæ caussæ propinquæ inveniantur, harũ deinde aliæ, istarum iterum aliæ, donec ad caussas primas perveniatur. Sic, si sumamus Effectum aliquod hujusmodi, ejus investiganda primùm caussa efficiens proxima: hujus efficientis iterum alia, & sic consequenter, donec ad primũ Movens pervenimus, quod reverà est Efficiens omnium illarum caussarum mediatũ. Nam si verbi gratià *τὸ Aleph* moveretur à *Beth*, *Beth* à *Gimel*, *Gimel* à *Daleth*, *Daleth* ab *He*, (quâ ratione in infinitum procedi posset) &c. sine dubio *He* moveret quatuor præcedẽtes literas omnes, *Aleph*, *Beth*, *Gimel*, *Daleth*, & in veritate de Motu *Aleph* diceretur, quòd *He* ipsius sit Efficiens. Et hoc pacto Creatori tribuuntur omnia opera in rerum natura, omnium ipse Caussa est remota & ultima, quæcunq; demùm è Causis Proximis illa effecerit. Sic cùm examinabimus Formas naturales, quę generātur & corrumpuntur, inveniemus, in illis necessariò præcedere Formam aliquam priorem, quæ disponat Materiam ad hanc Formam recipiendam, atque istâ Formâ aliam adhuc priorem esse, & sic consequenter, donec perveniemus ad Formam ultimam, per quam Formæ mediæ existunt, quæ sunt caussa Formæ illius propinquæ. Forma autem illa ultima cujuslibet rei, est Deus Benedictus. Dum verò dicimus, *Deum esse Formam ultimam totius Mundi*, non debes existimare, nos hoc intelligere de Forma illa, de qua ait *Aristoteles in Metaphysicis*, quòd non sit generabilis, nec corruptibilis: quia Forma illa, cujus ibi facit mentionem, est Naturalis, non Intelligentia abstracta: neq; enim volumus, Deum ita esse Formam Mundi ultimam, prout Forma materialis est Forma materiæ; Formam nempe corporis alicujus. Nequaquam. Sed mens nostra est, quemadmodum omnis res, quæ formam habet, id utiq; est, quod est per formam suam, & eâ pereunte, rei quoque essentia perit & interit: ita quoque Creatorem se habere ad omnia principia Entium remota. Nam per ejus Existentiam omnia existunt, & ipse quoq; continuat ac conservat statum ipsorum per rem quandam, quæ vocatur *Influentia*, sicut in aliquot hujus libri capitibus explicabimus. Et si fieri posset, ut Creator non existeret, vel in nihilum redigeretur, perirent quoq; omnia Entia, & aboleretur vel interiret quidditas caussarum ab ipso remotarum, & caussatorum sive effectorum ultimorum, ac quicquid inter hæc intermedium existit. Quod cùm ita sit, rectè proinde dicimus, sicuti per formam suam res est id, quod est, & per eandem veritas & quidditas illius conservatur ac confirmatur: ita quoque Deum se habere ad hunc Mundum, & eatenus illum esse *Formam ultimam* & *Formam*

Deus est Mundi Forma ultima.

For-

Formarũ, quatenus in Ipso & per Ipsum omnis forma in hoc Mundo ultimò existit & confirmatur, quemadmodum res formam habentes per formas suas confirmantur & conservantur. Et hac de caussa vocatur in Lingua nostra *Vita sæculorum*, h.e. Vita Mundi, sicut alibi declarabitur.

DEUS *cur* Vita Mundi? *part.1.cap.72.*

Eadem est ratio Finiũ, sive Caussarũ Finalium. Quòd si enim objecti alicujus Finem habes proximũ, quærendus tibi finis hujus finis alius, & sic consequenter. E.G. Si dicas, Solii Materiam esse lignum, Efficientem fabrum, Formam quadratam, Finem, ut sessioni inserviat, hîc jam ulteriùs tibi progrediendum est, & quærendum, quis sit Finis Sessionis in solio? Ad quod si tibi respondeatur, ut in illo sedens in altiori & eminentiori loco sit constitutus; porrò quæres, ad quid, vel in quem finem in sublimem ejusmodi locum collocetur? Si dicatur, propter magnificentiam & authoritatem; porrò instabis, cui bono inservit hæc magnificentia? Si respondeatur, ut homines eum timeant & revereantur; ulteriùs perges, in quem finem sit metuendus & timẽdus? Si dicatur tibi, ideò, ut homines mandata illius observent; adhuc urgebis & dices, quis finis observationis mandatorum ejus? Si respondeatur, ut conservent & securos præstent homines ab injuriis; porrò quæres, quis hujus rei sit finis? Ad quod tibi respondebitur, ut ordo & societas hominũ conservetur. Atq; ita inquirendum est in omnibus Finibus, donec tandem ad Ultimum perveniamus, qui erit vel Voluntas Creatoris, juxta quorundã sententiam, ut hûc tandem redeat responsio; Sic voluit Deus Benedictus: vel erit Decretum Sapientiæ ipsius, juxta sententiam aliorum, ut ultima sit responsio; Sic fuit Decretum Sapientiç Dei. Hoc ergo pacto ordo & dispositio cujuslibet finis deveniet tandem ad Voluntatem vel Sapientiam Dei, quæ nihil aliud sunt ex nostra sententia, quàm ipsius Essentia, non autem aliquid aliud præter eam. Quocirca rectè concludimus hinc, cujuslibet rei Finem ultimum esse Deum Benedictum, & per consequens quoque omnium in universum rerum hunc esse finem, ut, quoad fieri potest, similes ipsi in perfectione evadant. Hæc enim est ipsius Voluntas, quæ nihil aliud est quàm ipsius Essentia, & hoc respectu de Deo dicitur, quòd sit *Finis finium*.

DEUS *omnium rerum Finis est ultimus.*

Sic itaquè tibi exposui, quomodo de Deo dicatur, quòd sit Efficiens, Forma & Finis omnium rerum, cujus rei gratiâ illum Philosophi vocârunt *Caussam*, non verò solùm *Efficientem*.

Porrò autem scias, quosdam speculationis Magistros è *Loquentium* sectâ

fectâ eò usque dementiæ & insaniæ pervenisse, ut ausi fuerint asseverare, Etsi fieri posset, ut Deus non existeret, tamen propterea non sequuturum, illa quoque desitura & in nihilum redactum iri, quæ existere fecit & creavit, Mundus nempe iste; quòd sc. non sequatur, ut destructo Efficiente destruatur quoque Effectum, postquam jam productum est.

Quomodo destructo Efficiente destruatur quoque Effectum. Ad quod respondeo, verum esse quod dicunt, si aliquid solùm sit Efficiens, & Effectum non opus eo habeat ad sui *Esse* conservationem: sic enim non destruitur horreum, licèt moriatur faber vel architectus illius, quia nimirum illud non conservabat. Verùm quia Deus quoque est forma Mundi, sicut explicuimus, & ipse Mundum in suo esse conservat & cõtinuat, falsum est, pereunte caussâ conservante, remanere posse id, quod ab illa conservatur; quia nullam habet firmitatem & subsistentiam, nisi quam ab illa accipit. Ex quo vides, in quanto errore versentur ii, qui dicunt, Deum esse tantùm Efficientem, non etiam Formam & Finem.

CAP. LXX.

In quo explicatur verbum רָכַב Rachabh *Equitare vel Vehi, &c.*

Num.22.22. VERBUM hoc *Rachabh* homonymum est. *Primò* enim significat Equitare, vel Vehi à bestia aliqua, ut moris est: ut, *Ipse autem* rochebh *equitabat super asinam suam.*

Deinde transfertur ad significandum Dominium in rem aliquam: quia nempe equitans dominatur currui suo. Sic dicitur,
Deut.32.13. Jarkibhehu *Equitare faciet eũ super excelsa terræ.* Item, Vehirkabhticha
Jesa.58.13. *Et equitare faciam te super excelsa terræ,* h.e. Dominabimini super ex-
Hos.10.11. celsa terræ. Sic, Arkibh *Equitare faciã Ephrajim,* h.e. Dominari faciam
Deut.33.26. eum. Et hoc sensu dictum est de Deo, Rochebh *Equitans cœlum in auxilium tui,* h.e. Qui dominatur super cœlos in auxilium tui. Et alibi,
Psal.68.5. Lerochebh *Ei, qui equitat super* עֲרָבוֹת Arabhoth, h.e. qui dominatur super *Arabhoth,* sphæram nempe supremam, quæ reliquas omnes circumdat. Apud Rabbinos etenim nostros passim inculcatur, septem esse expansiones sive orbes, & supremam inter illas, quæ reliquas circumagit, esse *Arabhoth.* Ubi non est quòd mireris, quòd septem tantùm numerent expansiones, cùm plures esse constet; nam nonnunquã numeratur tanquam unus tantùm globus, etsi plures in eo sint sphæræ, sicut notum est iis, qui in his rebus operam navârunt, &

ego

ego alibi ulteriùs declarabo. Nihil aliud hîc volumus, quàm de- *part.2.cap.24.*
monſtrare, Rabbinos noſtros perpetuò docere, *Arabhoth* eſſe ſphæ- ערבות Ara-
ram omnium ſupremam, & de illa quoque intelligendum eſſe, quod bhot *eſt ſphara*
dicitur, *Equitans* ſchamajim *cœlum in auxilium tui.* Sic enim legimus *ſuprema.* Deut.33.26.
in *Maſſechet Chagigah:* Arabhoth, *Excelſus habitat ſuper eo, ſicut dicitur;* Pſalm.68.5.
Exaltate eum, qui equitat *baarabhoth. Unde verò ſcimus, quòd Cœlum
ſic appellatur? Inde, quòd hîc ſcriptum eſt,* Qui equitat *baarabhoth,* & il-
lic, *Qui equitat* biſchme *ſuper cœlos.* Ex quibus omnibus liquet, in- Pſalm.68.34.
telligi ſphæram unam, quæ reliquas circumagit. Obſerva autem,
quòd dicant: *Habitat ſuper eo*, non verò, *In eo.* Nam ſi dixiſſent, *In eo,*
videri potuiſſet, ac ſi Deo locum aliquem aſsignarent, vel Ipſum,
Virtutem aut Potentiam cœli ſtatuerent, quemadmodum *Tzabaei,* Tzabaiſtarum
Deum Spiritum ſphæræ, h.e. Animam cœli eſſe exiſtimârunt. Dum *mentio ſit apud*
verò dixerunt, *Habitat ſuper eo*, ſignificârunt, Deum Benedictum à *Averrhoem in*
cœlo ſeparatum, neq; aliquam ipſi inhærentem eſſe virtutem. Por- *Diſp. Metaphyſ.*
rò autem docent, de Deo dici, *Qui equitat cœlos,* propter admirandam *pag.351.editionis Veneta in 8.*
hanc ſimilitudinem; quia Equitans honoratior eſt & præſtantior, *Quare Deus di-*
quàm id, quod equitatur, (quamvis impropriè hoc dicatur, & non *catur* Equitare
pro dignitate rei ſufficienter; nam Equitans non eſt ejuſdem ſpeciei Cœlos?
cum eo, quod equitatur, ac proinde non poſſunt inter ſe comparari),
& Equitans movet & ducit beſtiam, prout & quócunque ipſi libue-
rit, illâque, tanquam inſtrumento aliquo, pro ſuo beneplacito uti-
tur, & omninò nihil commune habet cum ea, neque inhæret ei, ſed
eſt extra eam & ſeparatus ab ea. Sic enim Deus quoque (cujus No-
men glorificetur) movet ſphæram ſupremam, per cujus motum mo-
ventur omnia, quæ in ea ſunt: Ipſe autem eſt ab ea ſeparatus, neque
virtus aliqua illi inhærens. Et in *Bereſchit rabba* in explicatione di-
cti illius, *Habitaculum Deus æternus,* ſcribunt; *Ipſe eſt habitaculum Mun-* Deut.33.27.
di; non verò Mundus habitaculum ipſius. Et mox adjungunt, *Equus eſt
acceſſorium vel adjunctum equitantis; non verò equitans acceſſorium equi.
Hoc eſt quod ſcriptum habetur,* Quia equitabis ſuper equos tuos. Atque Habac.3.8.
hæc ſunt verba Rabbinorum noſtrorum, in quibus animadverte,
quomodo expoſuerint, quòd Deus cum ſphæra ſuprema conjunga-
tur & comparetur; tanquam ſc. cum inſtrumento ſuo, quo hanc re-
rum Univerſitatem gubernat. Quando enim legis apud Sapientes
noſtros, quòd in Cœlo hoc vel illo ſint talia & talia; in Cœlo alio
alia: non ita intelligendum eſt, ac ſi in cœlis alia corpora eſſent præ-
ter cœlos; ſed ſenſus eſt, quòd virtutes, quæ rem aliquam generant,
eamque in diſpoſitione ſua conſervant, ab illis Cœlis proveniant.

Cujus rei demonstratio & probatio vel ex eo peti potest, quod iterum Rabbini nostri dicũt: *In* Arabhoth (h.e. in Sphæra suprema) *esse Justitiam, Judicium, Thesauros vitæ, Pacem, Thesauros benedictionis, Animas justorum, Animas item & Spiritus creandos, ac tandem Rorem illum divinum, quo Deus vivificaturus est mortuos.* Constat etenim, quòd nullum ex istis enumeratis membris corpus sit in loco aliquo existens; nam per *Rorem* hîc non intelligitur ros naturalis & propriè sic dictus. Observa autem, hîc de istis rebus dici, quòd sint *in eo* (cœlo supremo), non verò *super illo*, ad indicandum, quòd ea, quæ in Mundo sunt, existentiam habeant à Virtutibus provenientibus è sphæra suprema, quas ei Deus quasi implantavit, quarumque principium illam esse voluit, inter quas *(virtutes)* rectissimè ac verissimè numerantur quoque *Thesauri vitæ.* Vita enim omnium animantium utiq; est à Vita illa, ut post-hæc sum explicaturus. Deinde recensent quoque, quod itidem non negligendum, *Animas justorum, animas item & Spiritus creandos*; est enim hoc longè præstantissimum & excellentissimum illi, qui rem rectè intelligit. Nam Animæ illæ, quæ post mortem sunt superstites, non sunt Anima illa, quæ procreatur in homine tempore generationis. Anima quippe illa, quæ procreatur tempore generationis, est potentia solùm & dispositio, sed res illa, quæ separatur post mortem, est res in actu. Præterea, *Anima* quæ generatur, non est idem quod *Spiritus* qui generatur: ideò enim numerant inter ea quæ generantur, *Animas* & *Spiritus*; sed separata à corpore *(anima sc. & spiritus)* sunt unum & idem. Verùm alibi jam Homonymiam vocis *Ruach* Spiritus, exposuimus, idque tùm in hoc libro, tùm in *libro Scientiæ*, (est Tractatus in libro *Jad*). Ex his vides, quomodo ea, in quibus præstantissimi inter Philosophos laborârunt, in *Medraschoth* hinc inde sint dispersa, & quidem ita, ut, si vir aliquis sapiens ea intueatur ac consideret, non credat, illa esse vera ab initio speculationis; sed potiùs ea irrideat, quia secundùm sensum ipsorum litteralem procul à veritate remota esse videntur. Cujus rei caussa est, quòd ænigmaticè & per parabolas de iis loquuti sint, ut illa hoc pacto ab intelligentia vulgi removerent. Sed revertor ad id, quod aggressus sum explicare, & dico, Sapientes nostros, ut his suis verbis fidem conciliarent, rationibus è Scriptura depromptis demonstrâsse, res illas enumeratas & recensitas esse in *Arabhoth*, h.e. in Sphæra suprema. De *Justitia & Judicio*, quæ primo loco recensentur, probant ex eo, quod scriptum est, *Justitia & judicium habitaculum solii tui.* Sic quoq, adducunt probationes de cæteris, quæ

Anima, quæ post mortẽ superstes manet, est alia, quàm ea, quæ procreatur in homine tempore generationis.

part.1.c.40.

Psal.89.15.

quæ enumerârunt, quia scilicet illa Deo attribuũtur, & apud ipsum esse dicuntur. In Capitulis sive Apophthegmatis R. Eliesaris legimus: *Septem expansiones creavit Deus Sanctus & Benedictus, & ex illis omnibus non elegit Solium gloriæ regni sui, nisi in* Arabhoth, *sicut dicitur,* Exaltate eum, qui equitat *Arabhoth.* Hæc ille. Psal. 68. 5.

Porrò scias, quòd in genere Jumenta, quæ equitantur, vocentur מְרְכָּבָה *Mercavah* (q. d. *Vehiculum*), cujus rei exempla passim occurrunt: ut, *Et ligavit Joseph* merkabhto. Item, Bemerkabhah *In merkabhah secundani.* Item, Merkabhoth *Pharaonis.* *Deinde,* quòd multæ bestiæ conjunctim ita appellentur, sicut ex illo loco probari potest, ubi dicitur, *Cæterùm ascendebat & egrediebatur* merkabhah *ex Aegypto cum sexcentis argenteis, equus verò cum centum & quinquaginta.* Et hinc evincitur etiam, quòd in specie dicatur de quatuor equis. Sic ajo, ideò, quia dicitur, *quòd solium gloriæ portabant quatuor animalia,* à Sapientibus nostris illud vocari *Merkabhah,* propter similitudinem cum *Merkabhah,* quæ constat è quatuor individuis, sive bestiis. Atque hæc de *Merkabhah* in hoc capite sufficiant, de quo alibi adhuc plures admonitiones & doctrinas producemus. Hujus capitis (cui mox finis imponendus) scopus erat demonstrare, illius loci, *Qui equitat cælum,* sensum esse; Qui circumagit & potentiâ ac voluntate suâ movet sphæram, quæ reliquas ambitu suo circumdat & comprehendit; & illius, quod in fine versus dicitur, *Et altitudine suâ cælos;* Qui altitudine & potentiâ suâ *(quam nempe τῷ* Arabhoth *sive Cælo supremo indidit)* circumagit cœlos, (h. e. *sphæras reliquas.)* Ubi observa, quòd Motum vel motionem *τῦ Arabhoth (quâ sc. Deus supremam sphæram movet)* exprimat per verbum *Rachabh:* reliquorum verò motum, qui fit vi & virtute ipsius *Arabhoth* sive Sphæræ supremæ, voce *Gaavah,* h. e. Altitudinis vel Potentiæ. Nam, cùm sphæra suprema movetur motu diurno, moventur simul cum ea reliquæ sphæræ omnes, tanquam Partes in Toto. Et hæc est magna & valida illa potentia, quæ movet Totum, ideoque vocavit eam *Gaavah,* Altitudinem, Excellentiam, Fortitudinem. Atque hujus rationis probè esto memor, propter ea, quæ tibi adhuc sum dicturus. Est enim Motio vel circumactio cœli, principalis & maxima probatio, per quam Existentia Dei probatur, prout ejus rei demonstrationem adducam.

Margin: מרכבה Mercavah *quid?* — Gen. 46. 29. — Gen. 41. 43. — Exod. 15. 4. — 1. Reg. 10. 29. — Deut. 33. 26.

CAP. LXXI.

Multa mysteria de rebus Divinis periisse inter Judæos, & alia.

Multa mysteria Divina perierüt inter Judæos.

SCITO, multas egregias scientias, quæ in Gente nostra olim fuerunt de Veritate istarum rerum, partim Longitudine Temporis, partim infidelium & stultorum populorum in nos dominatione, partim etiam quòd non cuivis concessa erant, (sicut exposuimus) periisse & in oblivionem devenisse, (nihil enim permissum erat, nisi ea, quæ in Libros sacros digesta & relata erant.) Nam nôsti, Talmud ipsum inter nos receptum, olim non fuisse in certum librum digestum, propter rationem illam, quæ tùm passim obtinebat in Gente nostra; *Verba, quæ dixi tibi ore, non licet tibi scripto divulgare.*

Cur prohibitum fuerit, mysteria Divina scripto consignare?

Atque hæc fuit summa Sapientia circa Legem nostram, quâ fugiebantur & vitabantur illa, in quæ sequentibus temporibus incidit; Varietates nempe, & perplexitates sententiarum ac opinionum, Dubia item, quæ oriri solent ex sermone scripto, & in librum relato, quibus accedunt Errores, qui à scriptoribus & librariis facillimè committuntur, ex quibus postea oriuntur inter homines dissensiones, controversiæ, schismata, & sectæ, in negotiis & commerciis magna confusio. Sed tùm negotium omne erat penes Synedrium magnum, sicut exposuimus in Commentariis nostris Talmudicis, & sicut de eo Lex ipsa testatur. Quòd si ergo circa Legem oralem cautum est, ne illa publicè in Libro conscripta omnibus prostaret, ne fortè corrumperetur aut depravaretur: quantò magis debuit hoc fieri circa Arcana ista Legis, & caveri, ne divulgentur publicè, & ita margaritæ porcis objicerentur? Ideò tradebantur illa tantùm quibusdam singularibus, & ab his iterum aliis eximiis & extraordinariis à Deo donis instructis Viris, sicut declaravi tibi in eo, quod Rabbini nostri dicunt, *Non tradunt arcana Legis, nisi consiliario, sapienti* &c.

Atque hæc vera caussa est, propter quam solida illa fundamenta, eximiique Relligionis nostræ articuli, inter nos perierunt, & nonnisi pauca admodùm doctrinæ illius veteris vestigia & indicia comparent, quæ in *Talmud* & *Medraschoth* sparsim hinc inde extant, quæ tamen ipsa sunt velut grana cordis parva, (h.e. *nuclei parvi*), magnis cincta corticibus: ita ut omnes ferè homines, in corticibus il-

lis enucleandis laborantes, existiment, nullum prorsus illis inesse cor, (h.e. *sanæ doctrinæ nucleum vel medullam*).

Illa autem pauca, quæ de Unitate Dei, & aliis rebus ad hoc negotium spectantibus apud quosdam ex Gaonæis & Karræis invenies, ea acceperunt illi à *Loquentibus Ismaëlitarum*, & sunt pauca admodùm respectu eorum, quæ Ismaëlitæ ipsi hac de re scripserunt. Ismaëlitæ autem principium suum in hac via, sive in hoc negotio, ducunt à Secta quadam inter ipsos exortâ, cujus nomen est מעתזולה h.e. *Separati*. Et ab his acceperunt socii nostri, quæ hac de re habuerunt, horumque ductum & vestigia sunt sequuti. Post hoc tempus orta est inter Ismaëlitas Secta alia, quæ in lingua ipsorum vocatur האשעריה *Assaria*, & cum illa aliæ quoque opiniones & sententiæ, de quibus nihil apud Scriptores nostros reperimus; non quòd priorem sententiam posteriori prætulerint, sed quia ita contigit, ut priorem sententiam jam amplexi fuerint, & pro certa ac demonstrativa acceptârint. Hispani verò *Andeloseni* de Gente nostra omnes, amplexi & sequuti sunt Philosophorum sententias, in quibus fundamenta Legis nostræ non destruunt, neque eos vel in unico verbulo *Loquentes* sequi deprehendes. Hinc è paucis illis, quæ à recentioribus ipsorum scriptoribus habemus, ipsos in multis ad nostram sententiam accedere & inclinare videmus. Scias autem, quòd omnia illa, quæ de his rebus disseruerunt & scripserunt Ismaëlitæ, tàm illi, qui sunt de Secta *Muatzali*, quàm illi, qui sunt de Secta *Assaria*, quòd inquam illa omnia sint superstructa placitis & principiis, desumptis ex libris Græcorum & Aramæorum, qui in hoc incubuerunt, ut à Philosophis dissentirent, illorumque dogmata destruerent & refutarent. Caussa autem hujus rei hæc est. Cùm Christianorum natio sub imperio suo complexa est Gentes illas (*Aramæos & Græcos*), & Christiani dogmata multa (*Philosophorum placitis contraria*) defenderent: inter illas autem Gentes, Philosophorum sententiæ valdè communes & vulgares essent, (ab illis enim prognata est Philosophia), Regesque Legi illi (*Christianorum*) faventes ex illis exsurrexissent; tùm Sapientes Græci & Aramæi temporum illorum videntes, quòd Philosophorum opiniones & sententiæ tàm manifestè & clarè illa argumenta (*Christianorum sc.*) refutarent, excogitârunt *Sapientiam* illam *Verborum*, (Hebr. *Devarim*, unde *Medabberim* Loquentes dicti) principiaque ejusmodi exstruxerunt, quæ tùm ad fidem ipsorum confirmandam, tùm ad Philosophorum opiniones contrarias refellendas conducebant.

Secta מעתזולה h.e. Separatorū *apud Arabes. Mentio ejus apud Averrh. in disput. Metaphys. pag.* 160. *edit. Ven. in* 8.

Secta Assariæ *mētio apud eundem Averrh. in disput. Metaph. p.* 5. *col.* 2. *p.* 8. *c.* 2. *&c.*

Loquētes Ismaëlitæ originē suā ducūt à Græcis & Aramæis.

Cùm postea succedebant, & dominium obtinebant Ismaëlitæ, & ad ipsos Philosophorum libri transferebantur, & cum illis quoque Responsiones illæ, quas Græci & Aramæi composuerant contra libros Philosophorũ, ut scripta *Johannis Grammatici, Aben Adi*, & aliorum; tùm illi statim ambabus, quod ajunt, ulnis illa sunt amplexi, magnos thesauros nactos se arbitrantes. Et his non contenti, selegerunt ac corraserunt præterea ex sententiis Philosophorum priorum, quicquid sibi utile fore existimabant, quamvis illud à Philosophis posterioribus satis superque jam fuerit refutatum, ut est sententia de Atomis, de Vacuo &c. quia viderunt, quòd istis opus habeat quivis Legis ipsorum studiosus.

Post-hæc latiùs extenderunt (Ismaëlitæ) verba sua, (h.e. contradictionem istam adversùs Philosophos), & descenderunt in viam mirabilem, de qua nullus unquam *Loquentium Græcorum & Aramæorum* quicquam scivit: quia hi in nonnullis adhuc conveniebant cum Philosophis.

Deinceps prodierunt inter Ismaëlitas dogmata Legis adhuc alia ipsis propria & peculiaria, quæ & ipsa coacti fuerunt defendere. Et de his iterum magna inter eos orta dissensio, unaquâque sectâ talia principia statuente & defendente, quæ ipsi ad sententiam suam defendendam inserviebant.

Nullum autem est dubium, quin sint quædam, in quibus tres istæ nationes, *Judæorum* inquam, *Christianorum & Ismaëlitarum*, conveniunt, ut est sententia de Creatione & Novitate Mundi, (per cujus verificationem verificantur mirabilia), & alia: quædam verò illis peculiaria, quibus se oneraverunt duæ illæ Gentes, ut negotium Trinitatis *(quam Christiani statuunt)*, & sententia alterius sectæ *(Ismaëlitarum)* de Prophetia, sive Sermone Dei cum hominibus, ad quæ necesse habuerunt excogitare singularia quædam principia, quibus suas illas sententias defenderent. Nos autem de his, quæ illis sunt peculiaria, nil dicemus.

Scopus & intẽtio Loquẽtium primorum.

Summa rei est, quòd omnes *Loquentes*, tàm primi ex Græcis, qui Christiani facti sunt, quàm Ismaëlitæ, in principiis suis exstruendis non sequuti sint vel attenderint ad ipsam rei, unde ea desumpserunt, naturam, sed tantùm viderint, quomodo res deberet esse comparata, ad sententiam ipsorum confirmandam, vel saltèm non destruendam: & postea, cùm hoc perceperunt, audacter rem ita se habere asseruerint, probationibus super hac re adductis, principiisq; suis eisdem superstructis. Atque sic fecerunt sapientiores inter ipsos, qui

qui primi istarum rerum fuerunt auctores & directores, illasque in libros retulerunt, protestando tamen, solâ speculatione ad ita sentiendum se inductos, sine ullo sententiæ prioris respectu.

Verùm posteriores, libros ipsorum legentes, de hoc illorum artificio nihil sciverunt; ita ut, cùm in libris illis antiquis invenirent magnum conatum ingensque studium ad rem aliquam confirmandam vel destruendam, nihil minus cogitârint, quàm illam confirmationem vel refutationem in materia Relligionis esse necessariam: sed simpliciter crediderunt, majores suos hoc tantùm fecisse, ut confunderent sententias Philosophorum, & in dubium revocarent ea, quæ illi pro certissimis & maximè demonstrativis habuerunt. Neque vel minimam suspicionem habuerunt, ac si res aliter haberet, quàm censuerunt. At verò certissimum est, priores illos nihil asseruisse vel negâsse, quàm id, quod sententiis ac dogmatibus ipsorum, quamvis remotissimè, & post centum quasi cõsequentias, nocere & præjudicare potuisset: atque ita morbum ex ipso fundamento auferre voluisse. Ad hæc omnia in genere dico tibi, rem omninò habere sicut dixit Themistius: *Natura rerum non sequitur opiniones hominum, sed opiniones hominum debent sequi naturam rerum.*

Cùm verò considerâssem & libros *Loquentium* perlegissem, quemadmodum studiosè quoque & pro virili scrutatus sum libros Philosophorum, inveni omnium ipsorum *(Loquentium)* unicam speciem, partibus tantùm distinctam. Principale enim fundamentum omnium est, nullam certam cognitionem rerum haberi posse, quòd sc. hoc vel illo modo se habeant; eò quòd in Intellectu contrarium semper esse & cogitari possit. Præterea etiam in quàm plurimis locis Imaginationem & Phantasiam cum Intellectu confundunt, ejusque nomen illi attribuunt. Et postquàm præmiserunt ac posuerunt Principia sua, quæ tibi in alio capite recensebo, demonstrationes conficiunt, & concludunt, Mundum esse novum, vel creatum, ac propterea de necessitate habere Conditorem & Creatorem. Hinc deinde ulteriùs probant, Conditorem illum esse Unum, & proinde Incorporeum. Atq; hæc est in genere via omnium *Loquentium Ismaëlitarum*, quibus similes sunt nonnulli ex nostris, qui illorum viæ insistunt. Veruntamen in modis probationum & principiorum de Novitate Mundi, & Æternitatis ipsius destructione discrepant; in hoc autem conveniunt omnes, quòd Mundus sit novus, & propterea Creatorem aliquem habeat.

Fundamenta præcipua Loquentium:

i. cap. 73.

Viâ autem illâ rectè expensâ, (h.e. *probationibus illorum consideratis*), procul

Dubia sunt & infirma.

procul ab eâ recessit animus meus, quemadmodum sanè decet, ut quivis cordatus ab ea recedat. Nam quæcunque illi pro demonstrationibus adducunt ad adstruendam Novitatem Mundi, incerta & dubia prorsus sunt, neque absolutè & præcisè demonstrativa, nisi fortè illi, qui nescit, quæ sit differentia inter Demonstrationem, Topicam, & Sophisticam; sed ei, qui ista intelligit, luce meridianâ clariùs patet, illis probationibus multa adhærere dubia, & principia illa non posse ullâ ratione demonstrari.

Meo judicio summum, quod Orthodoxus aliquis Legis studiosus hîc poterit præstare, est, refutare demonstrationes Philosophorum de Æternitate Mundi: & hoc si facit, rem sanè præstat laude dignissimam. Quivis enim sanæ mentis & veritatis alumnus novit, istam quæstionem de Æternitate Mundi, (h.e. tùm Novitatem, tùm Æternitatem ipsius) firmis & absolutis demonstrationibus probari non posse, de quâ re multa adhuc nobis erunt dicenda, quamvis satis superque de hac materia ubique ferè inveniatur. Nam inde à ter-mille annis ad præsens usque tempus in utramque partem Philosophi hanc quæstionem variè ventilârunt, ut ex libris ipsorum videre est. Sed dicet aliquis; Si res ita habet circa hanc quæstionem, quomodo potest ex illa desumi principium, cui superstruatur Existentia Dei? Sanè si dubium sit, an Mundus sit æternus vel novus, & certâ demonstratione probari nequeat, dubium quoque relinquitur, an Deus sit nec'ne? Vel dicendum nobis est, nos certis demonstrationibus Novitatem Mundi probare posse, & ita vi cogemus homines ad recipiendum hoc à nobis, si illis volumus persuadere, nos scire Existentiam Creatoris per demonstrationem; id quod à veritate est alienum.

Sed meâ sententiâ verus procedendi modus, isque omnium certissimus, rectissimus, & maximè quoque demonstrativus est, ut probetur primò Existentia Dei, Unitas illius, & Remotio corporeitatis ex principiis & hypothesibus Philosophorum, quibus Æternitatem Mundi adstruere satagunt: nõ quòd ego credam Æternitatem Mundi, vel in hoc illis assensum præbeam, sed quòd mihi videatur solidissimè inde evinci & demonstrari posse veritas trium istorum articulorum, de Existentia, Unitate, & Incorporeitate Dei Opt. Max., idq; sine ullo respectu aut præjudicio sententiæ de Æternitate vel Novitate Mundi. Deinde, ut tribus his nobilissimis quæstionibus, ex invictis demonstrationibus decisis ac probatis, ad Novitatem Mundi accedatur, & ad eam probandam omnis generis

argu-

argumenta, quæ haberi possunt, congerantur. Quòd si autem quis crediderit Novitatem Mundi, sive quòd ipsi hac in re sufficiant demonstrationes *Loquentium*, sive quòd id credat ex verbis Prophetarum, id tantò melius est. Non est autem quòd quæras, quomodo consisteret Prophetia, si Mundus esset æternus; donec audieris ea, quæ de Prophetia in hoc libro dicturi sumus. Hic enim nolumus adhuc de illo negotio agere. Istud hoc loco nôris, quòd in principiis & hypothesibus *Loquentium* plurima sint absurda, Naturę Mundi & ordini creationis è diametro repugnantia, quæ proinde, ut & probationes illorum, in capite peculiari tibi recensebo.

Nunc in genere tibi exponam, quæ mea sit via in hoc negotio, (h. e. *in probanda Dei existentia*). Sic dico: Mundus necessariò est vel novus, vel æternus. Si novus, habebit Novatorem sine omni dubio. Nihil enim innovat (h.e. *creat*) se-ipsum, sed innovatur, vel de novo producitur ab alio. Novator autem Mundi est Deus. Si est æternus, tùm per necessariam demonstrationem sequitur, quòd præter omnia Mundi corpora sit Ens aliquod, quod neq; sit corpus, neque potentia in corpore, unum, æternum, nullam habens caussam, nulli mutationi obnoxium. Ens autem illud est Deus. Ex quo vides, quòd demonstrationes Existentiæ, Unitatis & Incorporeitatis Dei desumendæ sint ex principio vel hypothesi Æternitatis Mundi, firmæque demonstrationes hinc exsurgant; neque tamen cogamur dicere, an Mundus sit novus vel æternus. Idcircò invenies in Commentariis meis Talmudicis, quandocunque occasio aliqua se-se mihi offert ad loquendum de fundamentis Legis, & probandam Dei existentiam, quòd ejusmodi verbis id faciam, quæ inclinant ad æternitatem Mundi, nequaquam quòd ego illam credam; sed quia volo Existentiam Dei in Relligione & Fide nostra probare per viam demonstrativam, in qua nulla sit dissensio vel controversia, ne res ista tàm magna & ardua fundamento lubrico & infirmo nitatur, quod quivis labefactare vel suffodere possit, aut ne quis cogitet, quasi nullum prorsus fundamentum habeat. Rationes enim illæ Philosophicę de tribus istis quęstionibus, sunt desumptæ ex ipsa Natura rerum, neq;, nisi certo respectu, falsitatis alicujus redargui possunt: cùm è contrario rationes *Loquentium* desumptæ sint ex principiis, quæ Naturæ contrariantur & repugnant, ita ut coacti sint asserere, nullam certam ullis rebus inesse naturam.

Peculiare autem caput in hoc libro segregabo, in quo agam de Novitate Mundi, eamq; aliquot rationibus demonstrabo, atq; idem

quod *Loquentes* obtinere satagunt, impetrabo, quin tamen Naturam rerum aboleam, illique vim inferam aut vel in minimo puncto Aristotelis demonstrationibus contradicam. Quicquid enim illi firmissimo & validissimo suo pro Novitate Mundi argumento (quod nō possunt conficere, nisi Naturam totam destruant, & omnibus iis, quę Philosophi statuerunt, contradicant) efficiunt, eódem ego ratione æquè validâ pertingam, neque tamen Naturę vel sensibus contradicere necesse habebo.

Visum mihi quoq; est commemorare generalia *Loquentium* principia, viamq; illorum tibi demonstrare, quâ ratione ex illis Novitatem Mundi, Existentiam, Unitatem & Incorporeitatem Dei probent, ut & ea, quæ ex illis principiis sequuntur. Postea etiam principia Philosophorum, sed proxima tantùm, illorumq; viam exponam.

Noli autem à me flagitare in hoc libro, ut Principiorum illorum Philosophicorum, quæ paucis & breviter tantùm attingam, veritatem tibi probem: nam ita tota ferè Physica & Theologia mihi explicandæ essent. Noli etiam à me exspectare, ac si adducturus tibi essem argumenta *Loquentium*, quæ pro veritate principiorum suorū adducunt. Nam in hac re & illi totam suam vitam consumpserunt, & consument dies suos illi, qui sequentur ipsos, & libri ipsorū nimis sunt multi. Omnia enim illorum principia, paucis exceptis, refutantur ex manifesta rerum natura, circaque illa, multa dubia sensibus ipsis perceptibilia nascuntur; unde opus habent multos libros & disputationes conscribere pro confirmatione principiorum illorum, ad dubia illa solvenda, & ea, quæ ita manifeste in natura illis repugnant, depellenda, licèt id nullâ ratione aut solertiâ fieri posit.

Principia verò illa Philosophica quod attinet, quæ breviter adducam ad demonstrationem trium prædictarum quæstionum, Existentię sc., Unitatis & Incorporeitatis Dei, illorum veritatem & sensum majori ex parte statim percipies, simul ac illa audiveris: quorundam verò demonstratio deducitur è Physica & Metaphysica, quò proinde converteres, & inde probationem ejus rei, quâ opus habebis, petes.

Porrò sæpiùs jam edoctus es, nihil esse præter Deum & hoc Universum. De Deo autem nulla probatio haberi potest, nisi ex hoc Universo, & quidem tùm ex Universalitate, tùm ex Particularitatibus ejus. Unde proin sequitur, probè, quæ ratio illius sit, tenendum esse, ut exinde principia probationum desumi possint, sciendumque, quæ sit illius forma, figura, & natura. Quocirca visum mihi est operæ pre-

ræ pretium esse, ut in peculiari capite historicè & in genere naturam hujus Universitatis describam. Quo facto, in sequentibus capitibus principia *Loquentium* quoque tibi exponam, & quânam ratione quatuor sæpè jam recitatas quęstiones probent. Post-hæc, principia & rationes Philosophorum de dicta materia proponam. Denique, quam ego in illis viam & rationem teneam, paucis explanabo.

CAP. LXXII.

Comparatio Mundi & Hominis. Quare Homo vocetur Microcosmus.

SCITO, quòd Mundus hic totus in universalitate sua unicum sit Individuum, h.e. quòd Globus sphæræ exterioris vel extremæ cum omnibus, quæ in ipso continentur, sit unum quoddam Individuum, sicut Ruben vel Simeon, quoad Individuitatem. Diversitas verò & varietas substantiarum hujus globi se habet ut varietas substantiarum in unoquoq; Individuo, ut Homine verbi gratiâ. Quemadmodum enim Ruben exempli gratiâ est Vir unus, vel Individuum unum, sed ex diversis partibus & membris compositum, veluti carne, ossibus, nervis, ex variis item humoribus, qualitatibus & spiritibus: sic iste Globus in universalitate sua compositus est ex sphæris, quatuor elementis, & iis, quæ ex his conflata sunt & composita, neque datur in illo vacuum, sed est corpus continens, solidum, densum & plenũ, cujus punctũ centricum est globus Terrę, quæ circumdata est ab Aquâ, hæc ab Aëre, Aër ab Igne, Ignis à Corpore quinto, quod corpus ex multis constat orbibus vel sphæris, quarum una est intra aliam, & ita exactè eam ambit, illique adhæret, ut nullum inter illas detur inane sive vacuum, moventurque motu circulari & æquabili, nunquam tardiùs, nunquam velociùs, h.e. non moventur uno tempore tardè, alio velociùs, sed quælibet illarum ex natura sua certam habet mensuram velocitatis & motûs sui, ita tamen, ut una velociùs & celeriùs moveatur quàm altera. Motus omnium velocissimus est motus sphæræ primæ, Diurnus videlicet, qui unius diei spatio absolvitur. Hæc sphæra secum movet reliquas omnes, motu Partis in Toto: illæ enim nihil aliud sunt, quàm illius, tanquam Totius, Partes. Centrum autem harum sphęrarũ variat. Quarundam enim centrum est centrum ipsius Mundi, quarundam verò centrum est extra centrum Mundi. Quædam ex illis motu suo proprio semper moventur ab Oriente in Occidentem, quædam

Mundus hic est veluti unum quoddam Individuum, ex diversis partibus compositum.

verò ab Occidente in Orientem. Stellæ, quæ in istis sphæris existunt, sunt sphæræ illius, in qua sunt, partes, semperque fixæ permanent in loco suo, & nullum proprium habent motum, sed, ut videtur, moventur motu illius corporis, cujus pars sunt. Materia corporis hujus quinti universaliter sic sumpti, quod circulariter movetur, alia est quàm materia quatuor Elementorum, quæ illius complexu continentur. Orbium verò sive sphærarum Mundum ambientium nequeunt ullo modo vel ratione pauciores esse quàm octodecim. An verò plures esse possint, consideratione eget, sicut & illud; Utrùm sphærarum quædam sint, quæ totum Mundum non circumdant? Intra sphæram porrò illam, quæ nobis est proxima, reperitur alia materia, quæ diversa est à materia corporis quinti, quatuor illas primas formas seu qualitates recipiens, ex quibus quatuor corpora prima *(h.e. Elementa)* proveniunt, Terra videlicet, Aqua, Aër & Ignis, quorum unumquodque proprium & naturalem suum locum habet, extra quem nunquam reperitur. Ista autem corpora sunt mortua, nequaquam vitâ vel ratione & intellectu prædita, nec moventur à se ipsis, sed immobilia in loco suo permanent ac subsistunt. Quòd si accidat, ut illorum aliquod violenter è loco suo moveatur, tùm vi & violentiâ cessante, continuò ad locum suum naturalem redit. Inditum quippe est naturæ ipsorum hoc principium, ut motu recto iterum ad locum suum moveri queant: neque possunt quiescere vel moveri extra lineam rectam. Motus autē istius recti quatuor horum Elementorum, quo iterum ad locum suum moventur, duo sunt genera, *Motus* videlicet *versùs Peripheriam,* (Aristoteles vocat *Motum à medio)* qui est Ignis & Aëris: *& Motus versùs centrum* (Motus ad medium), qui est Terræ & Aquæ. Et postquam hoc pacto ad locum suum revertuntur, iterum quiescunt. At verò Corpora illa Cœlestia rotunda & sphærica, Viventia sunt, & animâ, per quam moventur, prædita, neque habent in se principium quietis: neque etiam alterationi vel mutationi sunt obnoxia, nisi quoad situm, dum motu circulari moventur. An verò Intellectum habeant, in quo aliquid concipere & formare possint, illud subtilioris est considerationis. Porrò, cùm corpus quintum circulariter in universalitate sua movetur, tùm propter motum istum violentum in Elementis semper aliquid innovatur. Propter illum enim Ignis & Aër è locis suis extruduntur, & in Aquam depelluntur, quæ deinde conjunctim Terram permeant, & ad imam ejus profunditatem penetrant, unde Elementorū permixtio & confusio oritur: cùm deinde iterum incipiunt ad loca

Vide p. 2. c. 4. & 5.

sua

ſua remeare & reverti, particulæ & fruſta Terræ conjunctim cum Aëre, Aqua & Igne è loco ſuo exeunt, quę poſtea in ſe invicem agũt, & vicisſim à ſe invicem patiuntur. Et inde fit Mixti vel Mixtionis illius varietas, ita ut inde primò generentur omnis generis vapores, deinde mineralia, metalla, germina, plantæ, animalia; omnia pro ratione Mixtionis. Quicquid autem generatur, iterum corrumpitur, & prout ex quatuor Elementis generatur, ita in illa vicisſim reſolvitur, quemadmodum ipſa quoque Elementa tùm ex ſe invicem generantur, tùm in ſe invicem corrumpuntur. Materia enim omnium una eſt & eadem; neque poteſt inveniri materia abſq; forma; ſicut vicisſim nequit in rebus iſtis generabilibus & corruptibilibus forma inveniri ſine materia. Ita ergo illa tùm inter ſe invicem, tùm alia, quæ ex illis conſtant, per generationem & corruptionem in orbem quaſi revolvuntur, atq; ad ſuum principium revertuntur, ſicut ſphæra circulariter movetur & ad principium ſuum redit, ita ut motus materiæ iſtius formatæ, dum unam formam poſt aliam recipit, ſimilis ſit motui ſphæræ, quæ per diverſos ſuos gradus & partes ad unum tandem principium revertitur.

Deinde, quemadmodum in Corpore humano ſunt Membra principalia, & Membra minùs principalia, quę gubernatione membri principalis indigent: ſic in hoc Mundo partes aliæ ſunt principales, ut Corpus quintum, aliæ Minùs principales, quæ Rectore & Gubernatore opus habent, ut Elementa & Corpora ex his miſta ac compoſita.

Et, quemadmodum membrum principale, *Cor* videlicet, indeſinenter movetur, & omnis motûs in corpore eſt principium: quemadmodum item reliqua membra omnia ipſi ſunt ſubordinata, illisq; omnes facultates transmittit & largitur, quibus ad functiones & operationes ſuas opus habent; ſic quoq; Sphæra ſuprema reliquas Mũdi partes motu ſuo regit, omnibusq; rebus generabilibus & corruptibilibus facultates, quas habent, immittit: omnis enim motus in hoc Mundo principium motûs ſui accipit à ſphæra prima, omniumq; animatorum animæ principium eſt in anima illius ſphæræ. Virtutum autem ſive facultatum illarum, quæ ab orbibus cœleſtibus in hunc Mundum perveniunt, ſunt quatuor: prima eſt Facultas mixtionis & compoſitionis, quæ ſufficit in mineralibus: ſecunda eſt, quæ plantis omnibus dat animam vegetantem: tertia, quæ brutis dat animam ſentientem: quarta, quæ ratione præditis dat animam rationalem: & hæc omnia fiunt medio lucis & tene-

brarum,quæ rectitudinem & ambitum illorum (orbium vel sphærarum) circa Terram sequuntur, *(ut,cùm Sol rectà est supra Terram,dies est,cùm Terram circumit & infra horizontem est,fit nox)*.

Quemadmodum etiam, si cor hominis vel ad momentum oculi quiescat, homo moritur, omnesq; ipsius motus & facultates cessant: ita si sphæræ quiescerent, totus Mundus moreretur, & quicquid in eo est,cessaret.

Præterea,quemadmodum Vivens totum, quãtum est,per motum cordis sui vivit,licèt multa adhuc membra habeat,quæ quiescunt & nihil sentiunt,ut ossa,cartilagines & alia: sic Universum hoc totum est Individuum unum,vivens per motum sphæræ, quæ est instar cordis animalium , licèt in eo multa sint corpora quiescentia & mortua.

Hoc pacto in mente tua concipere & formare debes totum hunc globum,veluti Individuum unum, mobile, animatum : ista enim conceptio & imaginatio valdè necessaria est,& plurimùm prodest ad demonstrandum,Deum esse unum,ut videbimus; & per hanc vicissim colligitur,quòd Unus ille creârit Unum. Quemadmodum enim membra hominis,quæ quidem in veritate sunt membra hominis,non inveniuntur vel existunt separatim,h.e.neque jecur,neq; cor,neq; caro per se & seorsim existit: sic nequit fieri,ut inter partes Mundi quædam solæ & seorsim sine aliis in hoc Universo existant; v.G. ut inveniatur Ignis sine Terra,vel Terra sine Cœlo,vel Cœlum sine Terra.

Proin,quemadmodum in homine Facultas est,quę omnia membra inter se colligat,regit & gubernat,singulis necessaria ad conservationem ipsorum suppeditat, &,quæ ipsis perniciosa, depellit & avertit,de qua Medici agunt,quamq; *Facultatem ἡγεμονικὴν Rectricem corporis vivi* appellant sæpè etiam *Naturam*: sic quoque in hoc Mundo Facultas quædam est,quæ singula aptè inter se connectit,& non solùm species illius,sed etiam Individua specierum, quamdiù illa conservari possunt,atq; adeò quędam Individua Mundi *(i.e.quasdam sphæras)* ab interitu conservat. De hac Facultate considerandum & dispiciendum,an in Mundum veniat mediante sphęrâ *(supremâ sc.)*, an sine medio à Deo Opt.Max.proveniat?

Quemadmodum insuper in Corpore Hominis quædam sunt, quæ certum finem certamque intentionem habent; quorum alia pertinent ad conservationem Individui,ut sunt *Organa cibi & alimenti*,alia ad conservationem speciei,ut *Instrumenta generandi*,alia ad acquiren-

quirendas Necessitates, cibum, potũ, & alia munia obeunda, ut *Oculi, Manus, Pedes, &c.* quædam verò sunt, quæ nullam per se certam intentionem habent, sed sequuntur ex membrorum illorum temperamento, (quod temperamentum est proprium & necessarium formæ illius, quâ operationes illas intentas perficiunt), & quidem post generationem eorum, quæ principaliter intenta sunt, secundùm necessitatem materiæ, ut *Pili corporis* & *Color ejus*, unde ordinariè & æqualiter in omnibus non inveniuntur. In quibusdam enim quandoq; omninò desunt, in aliis in minori, in aliis verò in summa quantitate reperiuntur, quæ differentia non invenitur in aliis membris. Nam nullum invenies hominem, qui decuplo majus jecur habeat præ alio; reperies verò quosdam, qui barbâ & pilis in quibusdam corporis partibus omnino carent, & è contrario quosdam, qui decuplo aut vicies plus habent barbæ, quàm alii. Et hoc frequens & commune admodùm est in pilis & coloribus. Sic quoque in hac Universitate sunt quædam, quorum generatio per se intenditur, quæ sunt firma & permanentia, ex ordine Naturæ sequentia, neque nisi exigua in illis reperitur differentia, pro ratione nempe qualitatis vel quantitatis ipsius speciei; quædam verò sunt, quorum per se non intenditur generatio, sed quæ universalem generationem & corruptionem sequuntur, ut sunt variæ speciès Vermium, quæ ex fimo generantur, & alia quædam Animalcula, quæ in fructibus putrescentibus generantur; Vermes item, qui in ventre generantur; & quicquid denique ex putrefactione humorum generatur. Summa, hûc referendum mihi videtur omne id, in quo non est facultas generandi sibi simile. Hinc enim est, quòd vides, illa ordinem & speciem suam per se non conservare, licèt fieri non possit, ut non existant: quemadmodum fieri non potest, ut non sint varii colores, & variæ pilorum species in corpore humano.

Quemadmodum in hominibus sunt quædam, quorum Individua firma permanent, ut Membra principalia; & quædam, quæ in specie, non in Individuo permanẽt, ut quatuor humores: sic in complexu universali hujus Mundi sunt quædam, quæ firma permanent in Individuo, ut Corpus quintum in omnibus suis partibus; quædam verò, quæ in specie tantùm permanent, ut quatuor Elementa, & quæ ex illis sunt composita.

Quemadmodum deniq; ex iisdem facultatibus hominis, ex quibus generatio, duratio, & mensura durationis ejus (h. e. *longitudo* vel *mensura vitæ ejus*) consequitur, ejusdem quoque per se sequitur

corru-

corruptio & interitus: sic in toto Mundo caussæ generationis, sunt quoq; caussæ corruptionis. E.G. Si quatuor illæ facultates, quæ in omni corpore nutribili reperiuntur, Facultas inquam Attractiva, Retentrix, Digestiva, & Expultrix, se haberent ut Facultates Intellectus, ita ut nil, nisi quod salutare & naturæ conveniens, tempore item & mensurâ decenti ac convenienti facerent & operarentur, à multis morbis & malis hominem immunem redderent: quia verò hoc fieri non potest, sed actiones & operationes suas naturales sine cogitatione & intellectu perficiunt, neq; ullo modo id, quod faciunt, intelligunt, inde necessariò morbi & ægritudines variæ oriuntur, etiamsi illæ *(facultates* sc.*)* sint instrumēta generationis & conservationis hominis. E.G. Si Facultas attractiva res tantùm bonas, salutares, & naturæ suæ ex omni parte convenientes, mensurâ item decenti attraheret, ab infinitis morbis homo sine dubio liber existeret: quia verò hoc non agit, verùm tùm indifferenter quemvis humorem occurrentem attrahit, licèt ille humor in quantitate vel qualitate sua à justa proportione nonnihil declinet, ut nimis calidum vel nimis frigidum, nimis crassum vel nimis subtilem, tùm etiam non conveniente mensurâ, sed nimis fortiter, plurima exinde nascuntur mala. Hinc enim fit, ut nervi suffocentur, obstructiones & putrefactiones oriantur, humorum qualitates corrumpantur, eorundemq; quantitas immutetur; ex quibus deinde varii oriuntur morbi, Scabies, Pruritus, Verrucæ, vel etiam majores plagæ, Apostemata, Lepra, Tabes & aliæ, quibus vel unius alicujus, vel omnium membrorum forma corrumpitur. Atq; ita se res habet cum reliquis facultatibus. Eodem modo in hoc Universo illa ipsa res, quæ inservit ad generationem & conservationem rerum generabilium, ut est mixtio Elementorum cum virtutibus cœlestibus, à quibus moventur & hinc inde sparguntur ac distribuuntur; illa ipsa inquam caussa est, à qua ea proveniunt, quæ naturæ rerum noxia sunt & perniciosa, ut sunt, Imbres, Pluviæ, Nix, Grando, Turbines, Tonitrua, Fulgura, Aëris corruptiones & infectiones, aliæq; res lethiferæ & pestilentes, quibus regio, terra, vel clima aliquod consumitur, dum integra loca hiatu terræ, terræ-motibus, vel aquarum inundationibus sæpè pereunt.

Noli autem existimare, Hominem propter istas comparationis hujus, quam inter Mundum & Hominem hactenus instituimus, partes vocari *Mundum parvum* vel *Μικρόκοσμον*. Comparatio enim ista ad singula animantia, quæ in membris suis perfecta sunt, trahi & extendi potest: neque tamen hactenus quenquam vidi, qui Asinum vel

vel Equum vocârit Microcosmum. Verùm ornatur Homo hoc nomine, propter quandam rem, quæ ipsi soli præ aliis animantibus est propria, *Facultatem* nempe *rationalem*, h.e Intellectum materialem, quem apud nullum invenies è reliquo animantium genere. Illa etenim omnia ad conservationem & propagationem essentiæ suæ non indigent ratione, intellectu vel gubernatione, sed eunt & agunt juxta naturam suam, comedunt quod inveniunt & palato ipsorum arridet, in quocunque loco, qui commodus ipsis videtur, habitant, & cum quavis fœmella, in quam incidunt, quando in ardore sunt & calore, se commiscent, atq; ita tùm se per totum vitæ suæ spatium, tùm speciem suam conservant & propagant, neq; alio speciei individuo opus habent, quo adjuventur vel sustententur & conserventur, quodq; ipsis ea faciat & præstet, quæ sibi ipsis præstare nequeunt. *Homo cur Microcosmus appellatur.*

Homo verò, si per se & solus esset omni regimine & gubernatione destitutus quemadmodum bestiæ, primo momento periret, neq; per unicum diem superstes manere posset, nisi id fortè per accidens contingeret, h.e. nisi fortè fortunâ aliquid se offerret, quo sustentaretur. Ipsius enim cibi & alimenta, quibus sustentatur, arte & præparatione longâ indigent, quæ non fieri potest sine ratione & intelligentia, instrumentis item ac personis multis, quarum unaquæq; in peculiari negotio est occupata. Atq; hanc ob caussam opus habent (*homines*) aliquo, qui illos regat & in ordinem cogat, ita ut alii alios adjuvent.

Sic, quia oportet ut custodiant se tempore æstatis à calore, à frigore tempore hyemis, ut abscondant se à pluviis, nive, ventis, & talia ejusmodi observent, quorum nullum sine ratione & intelligentia perfici potest: ideoque hanc ob caussam data est ipsis Facultas illa rationalis, quâ possunt ratiocinari, cogitare, intelligere, facere, præparare, variisq; modis & artibus sibi de victu, tecto & amictu prospicere; quâ etiam omnia corporis sui membra gubernant, ita ut tùm principale, tùm minùs principalia suum faciant officium. Idcircò si Homo aliquis destitutus esset hac facultate, & haberet tantùm facultatem vitalem, primo momento pereundum ipsi esset. Est autem facultas ista excellens admodùm, & longè præstantior quàm omnes reliquorum animantium facultates: sed & abstrusa valdè est, neque ita facilè per sensum communem ejus natura potest percipi, sicut reliquarum facultatum naturalium.

Pari ergo modo in hoc Universo Res quædam est, quæ tùm totam illius compagem regit, tùm principale ejus membrum movet,

(*Arabhot* sc., sive primū Mobile), cui facultatem dedit reliqua omnia movēdi & regendi. Sine illa Re cessaret necessariò totus iste globus cum omnibus tàm principalibus, quàm minùs principalibus suis partibus: & per illā è contrario in omnibus suis partibus conservatur. Res autem illa est DEUS OPT. MAX. Hinc, quemadmodū Homo propter unicam & solam hanc rationem vocatur *Microcosmus*, quia in illo principium quoddam est reliquum totum movens; sic propter hanc inprimis rationem Deus in lingua nostra vocatur *Vita Mundi*: ut, *Et juravit per Vitam Mundi.* Dan.12.7.

Atq; hæc est pulcherrima & jucundissima inter Mundum & Hominem collatio & harmonia. Scias autem, quemadmodum omne simile quoq; est dissimile; ita & hāc comparationem in quibusdam deficere, & quidem in tribus tantùm.

Differentia inter Mundum & Hominem.

Primò, Membrum principale, Cor videlicet, in animantibus omnibus id habentibus, utilitatē & emolumentū capit ex reliquis membris ipsi subordinatis, id quod in hoc Universo nō reperitur. Nam in illo, ea quę reliquis virtutem aliquam infundunt & instillant (*sc. Intelligentiæ separatæ*), nullam utilitatē recipiunt ab illis, quę sub ipsorū sunt potestate & imperio, sed quicquid boni dant & largiūtur, id faciunt ex mera liberalitate & generositate naturæ suæ, ut Deū hac in parte imitentur, non propter cōmodum, vel retributionem aliquam.

Secundò, Cor in omnibus animantibus in medio corporis situm & à reliquis membris circumdatū est, ut illud custodiant & abscondāt, ne detrimentum aliquod extrinsecùs queat accipere. In hoc autem Mundo iterum contrarium hujus reperitur. Nam pars illius nobilissima & pręstantissima circumdat cęteras viliores & minùs pręstantes, propterèa quòd certum sit, illam nihil ab aliis recepturam, & licèt ipsa acciperet, tamen nihil extrinsecùs potest in illam agere; sed illa subministrat omnibus, quæ sub ejus complexu continentur, omnes ipsorum virtutes, ipsa verò ab aliis corporibus nullam accipit actionem vel facultatem. Est tamen hîc quædam adhuc similitudo & convenientia. Quemadmodum enim in animantibus membra à corde remotiora, ignobiliora & minùs præstantia sunt, quàm eidem vicina: sic in Mundo hoc ea, quæ propinqua sunt centro, sunt turbida, crassa, gravia & minùs lucida, propter longiorem ipsorum à corpore illo nobili, lucido, splendido, mobili, subtili & simplici, sphærâ inquam supremâ, distātiam: quicquid verò ipsi est vicinum, aliquid ex ipsius proprietatibus acquirit, & quantò quid ei est propius, tantò majorem quoq; habet præcellentiam & prærogativam.

Tertiò,

Tertiò, Facultas Hominis rationalis est Virtus in corpore illius, & ab eo inseparabilis. DEUS autem Benedictus non est Virtus vel Facultas in corpore Mundi, sed ab omnibus Mundi partibus abstractus & separatus. Providentia quidem & Gubernatio illius toti Mundo est unita & conjuncta, sed conjunctione summè occultâ, & captum humanum longè superante. Non enim aliam habemus demonstrationem, quàm quòd Deus à Mundo sit separatus, nullamq; cum eo communionem habeat; item, quòd ipsius Providentia & Gubernatio in omnes & singulas Mundi partes, etiã minimas & levissimas, se extendat. *Laudetur is, cujus Victoria est in perfectione ipsius.*

Porrò scito, quòd magis conveniens fortè fuisset, si in hac comparatione Deum cum Intellectu habituali, qui in homine est, contulissem, (quia is quoq; nõ est Virtus in corpore, sed à corpore separatione verâ & reali abstractus ac separatus, inque corpus varias virtutes infundens), & Facultatem rationalẽ cum Intelligentiis sphærarũ, quæ respectu illarũ sunt tanquam corpora. Verùm ratio Intelligentiarum sphærarum, & essentiæ Intelligentiarum separatarum, ut & Intellectus habitualis, qui abstractus quoq; est & separatus, magnâ adhuc eget consideratione, illaque, utut vera sint, nobis tamen sunt occulta & abscondita, infinitæq; de illis moveri possunt dubitationes & controversiæ. Nobis autem hoc loco inprimis propositũ fuit, rationem totius hujus Mundi modo cognito & manifesto exponere, & quidem ejusmodi rebus, contra quas nemo vel mutire audeat, nisi vel rerum omnium ignarus; quemadmodum Arithmeticæ & Geometriç imperitus multa negat, quç luce meridianâ clariores habent demonstrationes: vel præconceptâ aliquâ opinione laborans, ita ut sibi pertinaciter proposuerit, receptam aliquam sententiam mordicùs defendere. Quòd si quis autem rectè & ex fundamentis, non per Cabbalam, rem velit cognoscere & intelligere, is discat, (h.e. *legat libros Sapientum de hac re*), & experietur rem omninò ita se habere, prout scripsimus, & hanc totius hujus Universi esse formam: quòd si verò hoc alicui nimis molestũ videatur, & malit ea per Traditionem ab eo accipere, qui demonstrationes omnes novit, is Traditionem accipiat, illiq; suas rationes suasq; objectiones superstruat: si deniq; quis præter Cabbalam, principia quoq; & demonstrationes scire desiderat, is ea potest addiscere, & non aliter rem se habere deprehendet. Nam nos id investigavimus. Tu proinde, Lector, illa animadverte & observa. Nos his præmissis, pergimus ad ea, quæ ulteriùs nos explicaturos promisimus.

CAP. LXXIII.

Principia duodecim Loquentium *ad probandas quatuor illas quæstiones, de Existentia, Unitate & Incorporeitate* DEI, *ut & de Novitate Mundi.*

Principia Loquentium.

PRINCIPIORUM, quæ *Loquentes* secundùm diversitatem & multitudinem opinionum suarum ponunt, quæq; ipsis ad probandum id, quod probare volunt circa quatuor sæpè jam memoratas quęstiones, *(quòd Mundus sit novus, quod Conditorem habeat, quòd ille Unus sit, & deniq; quòd Incorporeus)*, sunt necessaria, duodecim sunt, quæ tibi primò sigillatim breviter recensebo, sensum deinde singulorum paullò fusiùs explicabo.

Propositio prima est *ad confirmandam Substantiam abstractam.*

II. *Dari Vacuum.*

III. *Tempus esse compositum ex Instantibus.*

IV. *Substantiam non posse esse sine multis Accidentibus.*

V. *Substantiæ abstractæ existentiam & subsistentiam perfici in Accidentibus, quæ tibi enumerabo, neq; sine illis esse posse.*

VI. *Accidens nullum durare duo tempora,* h.e. Instãtia, vel Momenta.

VII. *Eandem esse rationem habituum & privationum: & utraq; esse Accidentia existentia, quæ Efficiente aliquo indigeant.*

IIX. *Nihil esse in hoc Universo præter Substantiam & Accidens: & Formas naturales quoq; esse Accidentia.*

IX. *Accidentia se invicem non sustinere, neq; de se invicem prædicari.*

X. *Possibile non probari per convenientiam illius imaginationis cum hoc Universo:* (h.e. Possibile non esse illud, quod cum Naturæ ordine convenit, sed quicquid in Intellectu concipi potest).

XI. *Infinitum nullum dari, neq; in actu, neq; in accidenti, neq; in potentiâ, sed omnibus modis falsum esse,* h.e. *sive dicatur, Infinita multa simul dari, sive successivè, ut Infinitum constet ex iis, quæ existunt & quæ jam esse desierunt.* Omnia hæc dicunt esse falsa.

XII. *Sensus in quam plurimis tùm errare, tùm deficere, ita ut multa sensibilia apprehendere nequeant; proinde ab illis non posse firmum sumi judicium, neq; principia demonstrativa exstrui.*

Enumeratis summatim his principiis & hypothesibus, nunc sensum illorum tibi quoq; exponam, & quid ex unoquoq; sequatur.

Primum

Primum itaque quod attinet, existimant, totum hunc Mundum, h.e. omnia illius Corpora conflata esse ex perexiguis quibusdam particulis, quæ ob summam exiguitatem nullam neque divisionem admittant (*Atomos* vocant), neque quantitatem habeant: sed cùm illorum multa in unum coëunt, & invicem congregantur, tùm illud compositum fieri quantum, & ipsum (ἄτομον sc.) corpus; ita ut, si duo tantùm ejusmodi Atomi conjungantur, unumquodq; illorum (*post conjunctionem*) fiat corpus, ac per consequens deinde duo sint corpora, juxta quosdam ipsorum. Præterea, omnes istos Atomos statuunt esse similes & æquales, nullamque inter illos esse differentiam. Dicunt itaque, omnia in universum corpora ex istis particulis individuis esse composita compositione conjunctionis; (*non per mutationem vel mixtionem, sed conjunctionem vel copulationem, ut formas suas retineant:*) & proinde Generatio illis nihil aliud est quàm *Congregatio*, & Corruptio idem quod *Separatio*: unde etiam non utuntur vocibus Generationis & Corruptionis, sed pro iis dicunt, Congregationem & Separationem, Motum & Quietem. Tandem, non statuunt, particulas istas ab æterno existere, quemadmodum Epicurus voluit, & alii, qui sententiam de Atomis sunt amplexi, sed Deum illos semper de novo creare, quando ipsi lubet, ac proinde iterum quoque posse entitate suâ privari & in nihilum redigi. Quocirca nunc tibi quoque exponam sententiam ipsorum de privatione Substantiæ. 1. *De Atomis.*

Secundum principium est de Vacuo, quod itidem primi & antiquissimi ex *Loquentibus* crediderunt. Est autem Vacuum, spatium quoddam nihil continens, sed omni corpore vacuum, omnique substantiâ privatum. Hoc principium propter præcedens necessariò credere coacti sunt. Nam si Mundus esset plenus atomis illis, quomodo possent moveri corpora mobilia sine penetratione vel ingressu unius corporis in aliud? Præterea, atomi illi nequeunt congregari vel separari sine ipsorum motu. Quocirca coacti sunt necessariò sententiam hanc de Vacuo amplecti & defendere, ut hac ratione spatium detur, congregationi & separationi particularum illarum in Vacuo in quo neque corpus est, neque substantia quædam ex substantiis illis. 2. *De Vacuo.*

Tertium principium est de Tempore, quod dicunt componi ex multis *Nunc*, h.e. ex multis Temporibus, quæ ob brevitatem durationis suæ non possunt dividi. Atque hoc principio iterum propter primum opus habuerunt. Viderunt enim sine dubio demonstratio- 3. *De Tempore.*

Phys.lib.6.t.1. nes Aristotelis, quibus probavit; trium istorum, Magnitudinis, Temporis, & Motûs localis, eandem esse rationem, &, si unum illorum sit divisibile, sequi & alterum tale esse. Scimus autem, si Tempus dicatur esse continuum & divisibile in infinitum, necessario sequi, particulam quoque illam, quam statuunt individuam, esse divisibilem. Sic, si statuamus Magnitudinem esse continuam, sequetur etiam illud *Nunc*, quod illi faciunt individuum, posse dividi, prout exposuit Aristoteles in libro, quem inscripsit *De Auditu naturali*. Quocirca asseruerunt, Magnitudinem non esse continuam, sed compositam ex particulis individuis, in quibus terminatur & finitur divisio; Tempus item constare & conflatum esse ex Instantibus, quæ non admittunt divisionem. Exempli gratiâ, Hora continet 60. minuta, Minutum 60. secunda, Secundum 60. tertia, & sic consequenter usque ad decima verbi gratiâ, vel adhuc magis minuta, & quidem talia, quæ non ampliùs, ut magnitudo continua, dividi possunt. Quòd si verò res ita, ut dicunt, habeat, sequitur Tempus esse quiddam positivum & ordinatum, quod est falsum. Ast absurde omninò de Tempore, & contra veritatem statuunt, idque justo judicio. Quòd si enim doctrina hæc de Tempore accuratissimos & subtilissimos Philosophos perplexos reddidit, magnaque pars illorum eam non potuerunt perfectè intelligere, ita ut Galenus dixerit, Tempus divinum quippiam esse, cujus natura apprehendi nequeat; quantò minùs eam assequentur illi, qui ad nullius rei naturam respiciunt?

Verùm attende quæso, quanta absurda ex his tribus enumeratis propositionibus consequantur.

Absurda, quæ ex prædictis tribus propositionibus consequuntur. Dicunt, Motum esse translationem Substantiæ individuæ particularum illarum, ab una ad alteram ipsi vicinam & proximam, ac propterea Motum unum altero non esse velociorem. Hinc dicunt, quando duo mobilia vides uno eodemque tempore ire diversas vias *(inæqualis spatii vel longitudinis videlicet)*, caussam diversitatis non esse, quòd illius mobilis longius iter conficientis motus sit velocior, sed quòd motus, qui vocatur tardior, plures habeat quietes, alter verò pauciores. *Si ipsis objiciatur exemplum sagittæ ab arcu intenso emissæ*, dicunt, & hic quietes ingredi in motus ipsius *(sagittæ)*. In summa, dicunt ab errore sensuum fieri, quòd existimamus aliquid moveri motu continuo: illos enim in multis errare, & sensibilia omnia non posse apprehendere, quemadmodum in duodecima Propositione ajunt.

Objicitur

Objicitur ipsis quoque exemplum molæ. In motu molæ circulari perfecto citra dubium pars illa, quæ est in peripheria, eodem temporis spatio longiorem viam vel circulum conficit, quàm illa, quæ est prope centrum, & per consequens motus peripheriæ vel circuli exterioris velocior est motu circuli interioris. Neque hîc excipere possunt, etiam in hujus partis *(interioris molæ)* motus, plures ingredi quietes. Corpus etenim illud totum, molæ videlicet, unum est & continuum. Si dicant, cum illa circumgyratione partes illius dissipari, & inde quietes, quæ ingrediuntur in motum partium illarũ, quæ sunt prope centrum, plures esse, quàm illas, quæ ingrediuntur in motum partium, quæ sunt ab illo remotiores: Respondemus, quâ ratione probabile est, ut mola, quæ est corpus tale, quod ne quidem malleis confringi potest, dissipetur, & per quietes suas iterum uniatur ac continuum reddatur, adeoque pristinam suam formam recuperet, ut non apprehendantur & sensibus percipiantur partes illæ dissipatæ? Sed hîc iterum recurrunt ad duodecimam suam propositionem, Nullam sensibus esse habendam fidem, testem autem fidelem esse Intellectum.

At verò noli existimare, hoc omnium esse absurdissimum ex illis, quæ è tribus recensitis ipsorum propositionibus consequuntur. Illud enim, quod ex positione & affirmatione Vacui sequitur, longè est mirabilius & absurdius. Neque id, quod de Motu dixi, magis absurdum est, quàm hoc, quod coguntur confiteri, Diametrum quadrati, ejusdem lateri esse æqualem & commensurabilem, adeò ut quidam ex illis dicant, Quadratum esse non-ens. In summa, secundùm primam ipsorum propositionem destruuntur omnes demonstrationes Geometricæ. Vel enim ex ea simpliciter & prorsus destruuntur quædam: ut omnes proprietates, convenientiæ ac differentiæ in lineis & dimensionibus: item, aliquas lineas esse rationales, alias irrationales, atque adeò omnia ea, quæ Euclides in decimo suo libro complexus est, & similia: vel sequitur exinde, quarundam rerum demonstrationes nõ esse perpetuas & absolutas: ut, cùm verbi gratiâ dicimus, Dividamus lineam in duas æquales partes; sanè si tùm linea illa fortè constet ex numero impari illarum substantiarum individuarum, id nequaquam fieri poterit juxta sententiam illorum. Porrò scito, apud *Filios Schabir* (nomen loci) extare librum quendam Inventionum ingeniosarum valdè celebrem, *Sepher hattachbuloth*, in quo plures quàm centum ejusmodi Inventiones continentur, quarum singulis suæ sunt additæ demonstrationes,

Vide propos. ultimam Euclidis lib. 10.

Vide Euclid. ab initio lib. 10.

nes, quæ in ipſo actu & experientiâ veræ ac reales deprehenduntur. Quod ſi verò Vacuum daretur, ne unica quidem illarum [illegible] & vera eſſet, plurimaque de ductu vel fluxu aquarum artificia [illegible] terentur. Atque in his & ſimilibus propoſitionibus ac principiis demonſtrandis miſeri illi homines omnes ſuos dies conſumpſerunt. Sed pergo ad reliqua quoque explicanda.

4. De Accidentibus.

Quarta propoſitio eſt, Accidentia exiſtere, & eſſe res ſuperadditas ad Subſtantiam, nullumque corpus ſine aliquo illorum eſſe poſſe. Quæ propoſitio, ſi non ulteriùs progrederentur, ſed in his terminis manerent, vera utique, manifeſta, & extra omnem dubitationis aleam eſſet poſita. Verùm falſum eſt, quod porrò dicunt, ſi Subſtantiæ alicui non inſit accidens vitæ, ei neceſſariò ineſſe accidens mortis: ſic colorem vel ſaporem, motum vel quietem, congregationem vel ſeparationem; nam omni ſubjecto neceſſariò ineſſe alterutrum duorum contrariorum. Quòd ſi autem alicui inſit accidens vitæ, tùm oportere ut ei aliæ quoque inſint accidentium ſpecies, ut Sapientia vel Stultitia, Voluntas aut ejus contrarium, Potentia vel Impotentia, Apprehenſio aut aliquod ex ejus contrariis: in ſumma, quicquid in Vivente vel Vita prædito reperitur, id reperiri quoque dicunt in illo vel ejus contrarium.

5. Subſtantias individuas perfici in Accidentibus.

Quinta propoſitio eſt, Subſtantiæ individuæ exiſtentiam conſervari & perfici in Accidentibus illis, neque ſine illis eſſe poſſe.

Hujus propoſitionis declaratio & ſenſus eſt, Unamquamque illarum Subſtantiarum individuarum, quas Deus creavit, habere ſua Accidentia, ſine quibus eſſe nequeat, ut v. G. colorem aut odorem, motum vel quietem; ſed non quantitatem, quia ſubſtantiæ illæ, juxta ipſorum ſententiam, non admittunt quantitatem. Quantitatem enim non vocant accidens; nam non intelligunt naturam accidentis.

Secundùm hanc itaque propoſitionem docent, Accidentia ea, quæ in corporibus reperiuntur, non eſſe propria totius corporis univerſaliter ſumpti, ſed reperiri in unaquaque ſubſtantia individua, è quibus corpus illud eſt compoſitum. E. G. Quemadmodum in maſſa Nivis, Albedo non tantùm reperitur in tota maſſa, ſed & in qualibet ejus particula, & per conſequens in toto compoſito. Sic dicunt rem quoque ſe habere in corpore mobili; unamquamque videlicet ejus ſubſtantiam individuam eſſe mobilem, & proptereà totum corpus tale eſſe. Sic Vita, ex ipſorum ſententia, exiſtit in unaquaque particula corporis viventis. Ita dicunt, quamvis particulam Animantis

mantis ſenſu prædici, ſenſilem quoque eſſe. Nam *Vita, Senſus, Intellectus* & *Sapientia ipſis ſunt Accidentia*, non minùs quàm Nigredo & Albedo. *De Anima diſſentiunt.* Quidam ſtatuunt, Animam eſſe accidens exiſtens in uno aliquo atomorum illorum, è quibus homo verbi gratiâ compoſitus eſt: totum autem compoſitum vocari Animatum, quia ſubſtantia illa individua vel atomum illud in eo continetur. Alii dicunt, Animam eſſe compoſitam ex multis ſubtiliſsimis ſubſtantiis accidens quoddam habentibus, quo uniantur & conjungantur, & animata fiant, ſubſtantiasque illas cum ſubſtantiis corporis commiſceri. Ex quibus vides, illos Animam quoque inter Accidentia referre. *Intellectum* quod attinet, unanimi conſenſu affirmant, quòd ſit accidens in ſubſtantia quadam individua totius Intelligentis. *De Scientia* hærent, an ſit accidens exiſtens in unaquaque ſubſtantia individua ſcientis, an in una tantùm? Quamcunque ſententiam eligant, abſurda plurima exinde conſequuntur. *Si ipſis objiciatur exemplum quorundam metallorum & lapidum*, qui maximâ ex parte habẽt colorem validiſsimum; cùm verò comminuuntur & conteruntur, tùm color ille recedit & evaneſcit: ut ſi conteras Smaragdum, qui in ſummo gradu viridis eſt, pulvis erit albus, quod argumento eſt, accidens illud exiſtere in toto, non in qualibet ejus parte. Sic, (quod clarius eſt) ſi diſcindantur & ſecentur partes corporis alicujus viventis, nequaquam vivent partes illæ; quod iterum nobis oſtendit, illam rem (*Vitam* ſc.) exiſtentiam ſuam habere in toto, non in ſingulis illius partibus. Quòd ſi, inquam, hæc ipſis objiciantur, *reſpondent*, Accidentia nullam planè firmitatem & durationem habere, ſed ſubinde & ſingulis momentis nova generari, quemadmodum in ſequenti ipſorum propoſitione ſum declaraturus.

Propoſitio ſexta eſt, Nullum accidens durare per duo momenta. *6. Nullum Accidens ultra momentũ durare.* Cujus propoſitionis hic eſt ſenſus: Exiſtimant, DEUM, cùm ſubſtantiam aliquam creat, ſimul & eodem momento quoque creare cum illa accidens aliquod; neque enim Deum poſſe ſubſtantiam creare ſine accidente: eſſe hoc ἀδύνατον. Accidentis autem hanc eſſe rationem, quòd ne quidem per duo momenta durare & ſuperſtes eſſe poſsit, ſed quàm-primùm creatur, rurſus interire, Deumque ſtatim aliud creare ejuſdem ſpeciei, quod cùm perierit, iterum aliud, & ſic conſequenter fieri in omnibus accidentibus, quorum ſpeciem Deus vult conſervare. Quòd ſi Deo placeat aliam ſpeciem accidentis in ſubſtantia aliqua creare, illum hoc facere; quòd ſi verò creare

desinat, substantiam illam tùm deficere & interire. Atque hæc est sententia plerorumque. Quidam verò ex secta *Muatzali* dicunt, quædam Accidentia ad certum tempus permanere & durare; quædam verò ne per duo quidem momenta. Verùm non habent certam aliquam seriem vel catalogum, ut possint dicere, hæc Accidentium species manet, ista verò non.

Ad hoc autem statuendum induxit eos, quia negant, quòd Natura aliqua existat: item, quòd hujus vel illius corporis natura requirat & secum ferat, ut habeat talia accidentia. Sed dicunt, DEUM accidentia omnia in momento creare sine mediis naturalibus, & sine adjumento aliarum rerum. Cùm enim hoc asseritur, sequitur necessariò, accidentia non posse diù durare. Quòd si dicas, illa certo tempore subsistere, postea privari, *(ut alii ex ipsis sentiunt)*, tùm quæstio oritur, quisnam, vel quidnam illa privârit? Si dicas, Deum illam privationem efficere, quando ipsi placet; repugnat id sententiæ illorum, qui statuunt, Efficientem non efficere privationem: illam enim non indigere efficiente, sed cessante efficiente ab opere aliquo sequi privationem illius. Id quod ex parte verum est. Et hæc caussa est, propter quam ipsis placuit statuere, Existentiam vel Privationem alicujus rei non sequi ex natura illius. Dicunt enim, Accidentia creari successivè unum post alterum. Hinc quidam ex ipsis statuunt, cùm Deus vult cessare facere substantiam aliquam, tùm illum non creare in illa accidens, & ita ipsam statim non existere. Alii verò dicunt, quando Deus volet destruere Mundum, illum creaturum accidens destructionis vel consummationis non in subjecto, & illam consummationem & corruptionem fore contrariam existentiæ ipsius Mundi.

Secundùm hanc itaque propositionem dicunt, nos nequaquam vestimentum illud rubrum, v. G. quod nos rubro colore tinxisse opinamur, tinxisse, sed Deum eo momento colorem illum in vestimento creâsse, quo illud cum rubro colore, quem in vestimentum ingressum opinamur, conjunximus. Neque hoc solùm, sed præterea dicunt, Deum hanc consuetudinem observare, ut non proveniat Nigredo verbi gratiâ, nisi quando vestimentum vel pannus conjungitur cum Indico, & Nigredinem illam, quæ oritur ex conjunctione tincti cum ipsa nigredine, non permanere, sed primo momento perire, & aliam creari: neque solere Deum sublatâ nigredine creare rubedinem vel virorem, sed nigredinem aliam priori similem.

Se-

Secundùm hanc ipsorum positionem sequitur quoq;, quòd scientia nostra, quam hodiè habemus, non sit scientia illa, quam habuimus heri: sed scientias illas privari, & creari alias prioribus similes; siquidem scientia ipsis est accidens. Sic de Anima dicere possumus; si illa sit accidens, in unoquoq; animali animâ prędito singulis momentis centum-mille creari animas. Tempus enim juxta ipsos compositum est ex Instantibus, sive particulis temporis, quę non possunt dividi.

Sic dicunt etiam secundùm istam hypothesin, quando Homo movet (h.e. *sibi videtur movere*) calamum, Hominem nequaquam illum movere, sed motum calami esse accidens à Deo in calamo creatum: motum item manûs, quæ secundùm nostram opinionem movet calamum, esse accidens à Deo in manu moventis creatum. Deum autem hanc consuetudinem observare tantùm, quando motus manûs accedit ad motum calami, manui verò nullam planè inesse actionem vel caussam per se ad calamum movendum: nam Accidens transire è subjecto suo in aliud. Sic unanimiter quidam illorum dicunt; Si pannus albus intingatur in pelvim Indico repletam, & eo colore tingatur, nequaquam tamen Indici virtute fieri illam, quæ posteà consequitur, panni nigredinem. Nigredinem enim accidens esse in corpore ipsius Indici, & per consequens non posse transire è subjecto suo in aliud. Præthereà nullum corpus inveniri, quod actionem aliquam habeat, verùm ultimum tantùm Agens, DEUM videlicet; ac propterea illum efficere nigredinem in corpore panni, quando conjungitur cum Indico, quia hanc soleat tenere & observare consuetudinem. In summa, nullo modo aliquid, præter Ipsum, dici posse caussam alicujus rei. Atque hæc quidem communis est illorum sententia. Sunt autem alii, qui caussas aliquas admittunt, & istam sententiam rejiciunt. De Actionibus tamen Hominum dissentiunt. Plerorumque, inprimis vulgi de secta *Haaschariiah* vel *Assaria*, sententia est, quòd cùm movetur calamus, Deus quatuor accidentia creet, quorum neutrum caussa sit alterius, sed quæ paria sint in essentia & conjuncta. Primum, esse Voluntatem ad movendum calamum: secundum, Potentiam ad movendum: tertium, Motum ipsum Hominis, h.e. motum manûs: quartum, motum Calami. Quando enim Homo rem aliquam vult, & eam facit, (ut ipse quidem opinatur,) tùm arbitrantur, & voluntatem, & potentiam ad faciendum, & actum ipsum in illo creatum esse; neque illum agere per potentiam concreatam, quæ actionem aliquam in actu ha-

beat. *Muatzali* autem dicunt, illum agere per potentiam ipsi concreatam: & quidam ex secta *Haaschanijah* dicunt, potentiam illam creatam in actu, habere actionem aliquam in actu, quæ ab illa dependeat. Verùm multi hanc sententiam rejecerunt. Cæterùm, unanimi omnium consensu Voluntas illa creata, Potentia item & Actus creatus, ex quorundam sententia, omnia in universum sunt accidentia, quæ nullam durationem habent: sed Creator creat in calamo unum motum post alium, quamdiu calamus movetur; neque quiescit, nisi etiam quietem in illo creet, ejusque quietis creationem tamdiù tùm continuat, quamdiù calamus quiescit.

Hæc omnia si ita se habeant, sequitur, DEUM omnibus temporibus ex illis *Nunc*, h.e. singulis instantibus & singulis momentis Accidentia creare in variis Individuorum speciebus, quæ existunt, ut Angelis, Sphæris, &c. Et hanc dicunt veram esse fidem de Actione & Operatione Dei, omnesque illos, qui hoc non credunt, negare, DEUM esse omnium rerum caussam efficientem. Meo autem, & omnium, nî fallor, sanæ mentis hominum judicio, de istiusmodi opi-
Jobi 13.9. nionibus dici potest, *An, sicuti illuditis homini, illudetis ei?* Nam in rei veritate hoc nihil aliud est, quàm ludere.

7. *De Privationibus.* *Propositio septima* est, quòd credunt, Privationes habituum esse res existentes in corpore, substantiæ ipsius additas, & esse quoque accidentia existentia, quæ semper & continuè creantur; quàm-primùm nempe aliqua perit, alia creatur. Declaratio hujus propositionis est. Non vident, Quietem esse privationem Motûs, Mortem privationem Vitæ, Cœcitatem privationem Visûs, & similia; sed Motûs & Quietis ratio illis eadem est, quæ Caloris & Frigoris. Et quemadmodum Calor & Frigus duo sunt accidentia, in duobus subjectis, Calorem & Frigus recipientibus, existentia: sic omnis Motus ipsis est accidens creatum in subjecto Mobili, & Quies accidens, quod creavit DEUS in subjecto Quiescente, quodque, ut reliqua accidentia, ne quidem per duo durat instantia, sicut in præcedenti propositione vidimus; Quiescens enim illud faciunt corpus, in cujus singulis partibus Deus quietem creat, & unâ cessante aliam, sicque continuè, quamdiù corpus quiescens quiescit.

Sic eadem est secundùm illos ratio Scientiæ & Ignorantiæ. Ignorantia enim ipsis est Ens, & quidem accidens, ideoque quàm-primùm est creata, perit iterum, eâq; pereunte illicò creatur alia, quamdiù subjectum in ignorantia permanet.

Ita

Ita pariter dicunt, Vitam & Mortem esse accidentia, & palàm affirmant, quòd Vita pereat, & alia quotidiè, immò singulis momentis creetur, quamdiù vivit id, quod Vitâ est præditum. Quando verò Deus vult illius Mortem, ipsum creare accidēs Mortis, posteaquàm accidens Vitæ *(quod, ut dictum, non potest per duo momenta durare)* recessit. Et hæc omnia rotundè & apertè asserunt. Ex quibus sequitur, accidens Mortis quoque, quod Deus creat, privari & interire primo creationis suæ momento, Deumque statim aliam Mortem creare. Nam aliter Mors non posset continuari. Proinde, quemadmodum, ex ipsorum sententiâ, Vitam unam creat post aliam; sic creat quoque Mortem unam post aliam. Hic verò miror, quamdiù Deus creet Accidens illud Mortis in mortuo, omnibúsne diebus, quibus forma & figura ejus durat, an autem omnibus diebus, quibus superest substantia aliqua ex substantiis ejus? Nam Deus creat utique accidens illud Mortis, juxta sententiam illorum, in unaquaq; substantia individua. Nos verò invenimus, qui ante mille annos mortui sunt: quod argumento est, Deum non privâsse substantiam illam; & per consequens, totis istis mille annis Mortem unam post alteram in illa creâsse. Et hæc est vulgi inter ipsos opinio.

Quidam autem de secta *Muatzali* dicunt, aliquas Privationes rerum naturalium non esse res existentes; sed dicunt, Defatigationem esse privationem Potentiæ, Ignorantiam vel Stultitiam esse privationem Sapientiæ. Verùm non dicunt idem de omnibus Privationibus. Non enim statuunt, Tenebras esse privationem Lucis, vel Quietem privationem Motûs: sed faciunt Privationes quasdam Entia reverà Existentia; alias, Privationes habituum, prout nempe bonum ipsis videtur, sicut id quoque fecerunt in propositione præcedenti de Duratione accidentium, dum quædam dixerunt certum tempus durare, quædam verò ne per duo quidem momenta. Scopus enim illorum ubique est, Naturam rerum constituere, prout phantasiæ & fidei ipsorum videtur esse consentaneum.

Propositio octava est, Nullum esse Ens præter Substantiam & Accidens; Formasque naturales ipsas esse Accidentia. Declaratio hujus propositionis. Omnia corpora, illorum sententiâ, composita sunt ex substantiis similibus, sicut vidimus in propositione prima: & diversitas ac differentia omnis inter illa in nulla alia re consistit, quàm in accidentibus. Quocirca hoc modo omnia ista, *Vita, Humanitas, Sensus, Loquela* vel *Ratio*, juxta ipsos erunt accidentia, eâdem planè ratione, quâ *Nigredo, Albedo, Amaritudo, Dulcedo*; ita ut non alia *8. Nihil esse præter Substantiam & Accidens.*

ſit differentia inter Individua diverſarum ſpecierum, quàm eſt inter Individua unius ſpeciei. Proinde unam eandemque habebunt ſubſtantiam corpus Cœli, corpus Angelorum, corpus Throni gloriæ Dei *(ut quidem in imaginatione concipi poteſt)*, corpus Vermis vel Plantæ alicujus, &c. tantùm diſcrepabunt in accidentibus. Subſtantiæ autem omnium *(corporum)* ſunt ſubſtantiæ individuæ.

9. Accidentia ſe invicem nõ ſuſtinere.

Propoſitio nona eſt: Accidentia ſe invicem non ſuſtinere, neq; dici poſſe, Accidens aliquod eſſe prædicatũ alterius Accidentis, & poſtea demùm Subſtantiæ: ſed Accidentia omnia æqualiter prædicari prędicatione primâ de Subſtantia. Fugiũt autem hoc, *(quòd Accidentium ſc. unum ſuſtinere poßit aliud)*, quia ſequeretur, Accidens ultimum non poſſe inveniri vel exiſtere in Subſtantia, niſi præcedente Accidente primo; id quod illi ſimpliciter negant. Volunt enim, Accidentia omnia poſſe exiſtere in qualibet Subſtantia, neque illam habere Accidens aliquod proprium & peculiare. Sed & propter aliam rationem hoc negare coacti ſunt. Nam neceſſe eſt, ut Subjectum, de quo Adjunctum prædicatur, per certum aliquod tempus firmum ſit & durabile. Quòd ſi autem Accidens, ut ajunt, ne per duo quidem momenta durare poſsit, quomodo poterit ſuſtinere aliud, alteriusve eſſe ſubjectum?

10. De Poßibilitate omnium rerum.

Propoſitio decima, eſt Tranſitus ille, vel Translatio, (h.e. *ut Hebræi explicant*, אֶפְשָׁרוּת Poſsibilitas illa) cujus mentionem faciunt, quæ eſt veluti columna Sapientiæ *Loquentium*.

Declaratio ejus. Dicunt; Omnia ea, quæcunq; nobis imaginamur, tranſire quoque poſſe ad Intellectum, (h.e. *poßibilia eſſe, credi poſſe in Intellectu*). Verbi gratiâ, fieri poſſe in conſideratione Intellectus, ut globus Terræ convertatur in Sphæram orbicularem; vel contrà, Sphæra cœleſtis in globum Terræ: item, ut moveatur globus Ignis verſùs centrum, vel ad medium, & globus Terræ verſùs peripheriã, h.e. à medio: neque enim unum locum corpori alicui per ſe magis eſſe convenientem altero ſecundùm hunc *Tranſitum* vel hanc *Poßibilitatem intellectualem*. Sic de rebus viſibilibus dicunt, fieri poſſe, ut unaquæq; illarum ſit major vel minor quàm eſt, vel etiam ut contrariam planè formam, figuram vel locum obtineat. E. G. Ut Homo ſit inſtar montis, habeat multa capita, volet per aërem, vel ut exiſtat elephas inſtar pediculi aut pulicis, & viciſsim pulex inſtar elephantis. Omnia hæc dicunt tranſire ſecundùm Intellectum, (h.e. *poßibilia eſſe, vel recipi poſſe in Intellectu*), & univerſum Mundum ſequi iſtum Tranſitum, vel iſtam Poſsibilitatem. Ita de quavis re, quam ſub hac

ſpecie

ſpecie ponunt, ajunt, conveniens quidem eſſe *(ſecundùm ordinarium ſc. curſum & conſuetudinem)*, ut ita ſit prout eſt, ſed fieri quoq; poſſe, ut ſit aliter, neque ullam eſſe rationem, cur res quæpiam ita potiùs ſit vel eſſe debeat quàm aliter; contemnentes planè totam rerum Naturam. Præterea etiam dicunt, ex conſuetudine tantùm eſſe, quòd Ens aliquod certas habeat formas, menſuras determinatas, aliasque res neceſſarias, quæ non mutantur vel variantur. Quemadmodum enim conſuetudo tantùm eſt, quòd Rex non niſi equo per vicos civitatis ire ſolet, neque unquam aliter videatur; (neq; enim impoſsibile eſt ſecundùm Intellectum, ut pedes eat, ſed ſine dubio maximè eſt poſsibile, & tranſit ſecundùm Intellectum). Sic dicunt, conſuetudinem tantùm eſſe, quòd Terra moveatur versùs centrum, & Ignis ſurſum; vel, quòd Ignis calefaciat, & Aqua infrigidet; neque impoſsibile eſſe in Intellectu, ut hæc conſuetudo mutetur, ita ut Ignis infrigidet & deorſum moveatur, Ignisque maneat; Aqua calefaciat & ſurſum moveatur, Aquaque ſit & maneat. Et ſuper hoc fundamentum exſtruxerunt totum negotium.

His tamen omnibus nihil obſtantibus, conſentiunt in hoc; falſum eſſe, duo Contraria ſimul eſſe poſſe in eodem ſubjecto & inſtāti uno, nulloq; modo Intellectum hoc admittere. Sic dicunt, impoſsibile eſſe, ut ſubſtantia exiſtat ſine omni accidente, vel accidens ſine ſubjecto, ut quidam ex illis aſſeverant. Item, Subſtantiam non poſſe converti in accidens; vel contrà, Accidens in ſubſtantiam: neque poſſe corpus unum ingredi vel penetrare alterum; ſed impoſsibilia eſſe hæc omnia ſecundùm Intellectum.

Quòd verò ea habent pro Impoſsibilibus, quæ non poſſunt formari vel concipi; & quòd è contrario ea vocant Poſsibilia, quæ formari & concipi poſſunt; id equidem verum eſt. Sed dicunt Philoſophi, quia hanc conceptionem vel formationem ſumitis de Imaginatione & Phantaſia, non de Intellectu, ideò illa quoque poſsibilia ſunt tantùm in Imaginatione, non in Intellectu. Quocirca conſideratis in hac Propoſitione Neceſſarium, Poſsibile, & Impoſsibile, nunc de Imaginatione, nequaquam autem de Intellectu; nunc de Senſu communi, quemadmodum hoc quoque obſervavit *Abunazar*, dum explicat, quidnam illud in rei veritate ſit, quod *Loquentes* vocant Intellectum.

Ita ergo liquet, omne id, juxta illos, eſſe Poſsibile, quod in imaginatione cogitari poteſt & concipi, ſive conveniat cum rerum natura, ſive non conveniat: & è contrario Impoſsibile, quodcunque imaginari

ginari nobis non possumus. Atq; hæc Propositio non potest ab ipsis verificari,nisi post novem præcedentes, ideoq; sine dubio necessarium fuit,ut illas præmitteremus; id quod tibi ulteriùs colloquio vel disputatione inter *Loquentem* & *Philosophum*,declarabo.

Colloquium inter Loquentem & Philosophũ.

Dixit Loquens *Philosopho*; Quare Ferrum est in summo gradu durum & nigrum? Butyrum autem in summo gradu molle & album?

Respondit Philosophus: Omne corpus naturale duas habet species accidentium. Alia ipsi accidunt ratione Materiæ, ut Sanitas,Morbus; alia respectu Formæ, ut Risus,Fletus. Materiæ autem corporum compositorum compositione ultimâ, diversæ admodum sunt secundùm formas materiis appropriatas, ita ut substantia Ferri contraria sit substantiæ ipsius Butyri,unde etiam diversa sequuntur illa accidentia. Quòd enim vides unum esse Durum,alterum Molle,ista diversitas oritur ex diversitate Formarum; Nigredo verò & Albedo sequuntur è diversitate Materiarum ultimarum.

Loquens hanc Philosophi responsionem per sua principia refellit & destruit. Dicit enim: Nulla planè, ut existimas, est forma,quæ ita constituit vel disponit substantiam,ut possit substantias diversas constituere; sed omnia sunt mera accidentia,sicut ex ipsorum sententiâ exposuimus in Propositione octavâ. Deinde ait:Nulla est differentia inter substantiam Ferri & Butyri,sed ambo sunt composita ex substantiis individuis similibus,prout vidimus in Propositione primâ,ex quâ etiam sequitur propositio secunda & tertia,quemadmodum exposuimus,item duodecima. Præterea, ex sententia *Loquentis*,nulla substantia habet accidentia propria,ita ut præter eam recipere quoque possit accidentia secundaria. Accidens enim, juxta ipsos,non sustinet accidens aliud,ut visum est in propositione nonâ. Insuper, accidens nullam habet subsistētiam vel durationem, uti audivimus in propositione sextâ. Cùm ergo omnia ista à *Loquente* secundùm propositiones suas posita fuerint, & ex iis concluserit, substantiam Ferri & Butyri unam esse eandemque, comparationem item vel proportionem inter quamlibet substantiam & quodvis accidens unam esse,neque unam substantiam accidenti alicui magis convenire quàm alteram:& quemadmodum uni substantiæ separatæ non magìs competit motus quàm alteri; sic non esse unam substantiam magìs idoneam quàm aliam,ad recipiendum accidens Vitæ,Mortis, Intellectûs,Sensûs,nihilque ad hanc rem conferre multitudinem vel paucitatem substantiarum cùm accidentia existant in qualibet substantia separata , sicuti declaravimus in propositione ipso-

ipſorum quintâ. Et ex his propoſitionibus omnibus quoq; ſequitur, Hominem non eſſe magìs idoneum ad intelligendũ quàm Veſpertilionem, & per conſequens Veſpertilionem transformari poſſe & intelligentem fieri, omneque adeò id, quod in hac Propoſitione de Translatione ſive *μίταξίσα* dixerunt. Atq; propter hanc propoſitionem ſuſceptus eſt omnis labor & contentio *Loquentium*, quia præcipuum ipſorum eſt fundamẽtum, quo ſua dogmata cònfirmant, prout exponetur.

Ναθεσία. Quòd ſi, Lector chariſsime, intellexeris doctrinam de Anima & ejus facultatibus, ſingulaque, prout in rei veritate & natura ſe habent, tibi perſpecta fuerint, ſcies, majorem Animalium partem, & quæ perfectiora ſunt, (h.e. quæ Corde, membro nobiliſsimo, inſtructa ſunt), Imaginationis facultatem habere, Hominemque ab aliis Animantibus non diſtingui Imaginatione, neque Imaginationem idem eſſe quod Intellectum, ſed ejus contrarium. Nam Intellectus diſſolvit compoſita, & partes illorum ſeparat, illaq; abſtrahit ac in veritate & cauſsis cognoſcit, concipit, & ſibi imprimit. Item de re unâ multa apprehendit, inter quæ ſecundùm Intellectum tanta eſt differentia, quanta eſt in Imaginatione inter duas perſonas. Intellectu dignoſcitur Univerſale à Singulari, nullaq; niſi per Univerſalia verificatur demonſtratio. Intellectu novit Homo diſcernere inter Adjuncta Eſſentialia & Accidentalia. Imaginatio verò nullam iſtarum facultatum & operationum habet. Illa etenim non apprehendit niſi Singularia; vel enim apprehendit compoſitum in univerſalitate ſua, prout ſenſus illud apprehendunt; vel componit diſperſa & ſeparata inter ſe invicem, ac ex illis corpus unum, vel facultatem corporis unam conficit: ut, cùm aliquis ſibi imaginatur, Hominem quendam habere caput equinum, alas & ſimilia; hoc vocatur Figmentum & Mendacium, quia in toto Mundo nuſpiam reperitur. Denique, non poteſt Imaginatio ullum Univerſale apprehendere, ut apprehenſio ejus non habeat materiæ reſpectum, licèt formam abſtrahat abſtractione accuratiſsimâ. Ideò nulla vera conſideratio vel notio poteſt eſſe in Imaginatione. Attende parùm, quantum nobis hìc proſit Artium Mathematicarũ cognitio, & quàm utilia ac præſtantia ſint, quæ inde ſumimus, principia. Sunt quædam, quæ cùm Homo conſiderat, non poteſt in Imaginatione formare & concipere, ſed invenit, imaginationem illorum æquè eſſe impoſsibilem, atque impoſsibilis eſt congregatio duorum contrariorum in uno ſubjecto: & tamẽ poſteà per demonſtrationem oſten- *Artium Mathematicarum uſus.*

ditur, rem illam, quæ in Imaginatione fuit impoſsibilis, reverà exiſtere. Sic, ſi tibi imagineris Globum immenſæ magnitudinis, inſtar Sphæræ ſupremæ,& per ejus medium ſive centrum tranſire diametrum,duosq; viros pedibus ſuis in linea recta ſtare ſuper duas extremitates diametri ab utraq; parte tùm neceſſariò diameter vel erit contrarius & oppoſitus Horizonti,vel non erit: ſi fuerit,neceſſariò ambo cadent; ſi non,cadet tantùm unus, inferior nempe, alter verò ſtabit,ſecundùm apprehenſionem Imaginationis. At vero per certas demonſtrationes oſtenſum eſt,Terrā eſſe globoſam,& inhabitatam eſſe ſuper ambabus extremitatibus diametri,ac utriusq; extremitatis incolę caput Cœlū verſus ſpectare,pedesq; unius oppoſitos eſſe pedibus alterius,qui in altera & oppoſita parte habitat,neq; tamen formaliter in intellectu cogitari poſſe, ullum cadere; proptereà quòd non ſit unus ſuprà,alter infrà,ſed uterque eſt ſuprà & inſrà pro diverſa relatione ad alterum. Ita demonſtratum eſt in parte ſecunda libri החרוטים *Hacharuthim*, fieri poſſe,ut duæ lineæ dentur, inter quas ab initio ſit ſpatium & interſtitium quoddam,quod pro menſura protractionis linearum coarctetur,neque tamen unquam concurrant lineæ,licèt in infinitum extenderentur,& tantò propiùs ſemper conjungantur,quantò longiores fiunt: id quod nullâ ratione imaginari nobis poſſumus. Duarum autem illarum linearum unam oportet eſſe rectam,alteram obliquam,ſicuti ibi explicatur. Quocirca videmus hinc,exiſtere quædam,quæ nullo modo cogitare vel imaginari nobis poſſumus,ſed juxta imaginationem planè ſunt impoſsibilia: & econtrà demonſtratum eſt, Imaginationem quædam affirmare,quæ impoſsibilia ſunt; ut,quòd Deus ſit corporeus,quia ſecundùm Imaginationem nihil poteſt exiſtere,niſi corpus vel res corporea. Atq; ita etiam apparet nunc,id,quo Homo probat Decens, h.e. *Neceſſarium*, Tranſiens, h.e. *Poſsibile*, & Impoſsibile, aliquid aliud eſſe quàm Imaginationem,quæ ſpeculatio longè eſt præſtantiſsima & utiliſsima ei,qui cupit è tenebris iſtis Imaginationis emergere. Neq; exiſtimes, *Loquentes* hujus rei planè ignaros fuiſſe; nam omninò aliquam hujus rei cognitionem habuerunt. Hinc ea,quæ imaginari nobis poſſumus & tamen ſunt impoſsibilia,ut,quòd Deus ſit corporeus; dixerunt *Aſcendere in ſpiritum cogitationis, non in Imaginationem*, & ſæpiſsimè dicunt, *Cogitationes fallere*. Propter hanc ergo cauſſam opus habuerunt novem præcedentibus propoſitionibus,ut ſtabilirent decimam iſtam propoſitionem de Poſsibilitate ſive Tranſitu cujusvis rei,quam poſsibilem eſſe cenſent ſecundùm Imagina-

gina-

ginationem, propter similitudinem Substantiarũ, & æqualitatẽ sive paritatẽ Accidentiũ, sicuti declaravimus. Ex his, Lector charissime, speculatio profunda admodùm exsurgit, quomodo sc., si de quibusdã cõceptionibus unus dicat, quòd sint Imaginariæ, alius, quòd Intellectuales, nos aliâ possimus viâ Imaginaria discernere ab Intellectualibus, quàm Philosophi. Quòd si enim dixerit Philosophus, *Ipsa existentia testis mihi est sufficiens*, & per illam possum probare Necessariũ, Possibile & Impossibile; dicet ipsi Adversarius, Hoc ipsum est *τὸ κείμενον*, de quo cõtrovertitur: Istam enim Rem vel istud Ens ego factũ esse dico per liberrimam voluntatem, nequaquam autem necessariò existere: & quando hac formâ factum est, potuisset etiã fieri contrariâ planè; neq; præcisè judicat intellectus, illam non aliter esse posse, ut tu cogitas. Verùm de porta ista Transitûs sive Possibilitatis alibi *part. 2. cap. 19.* adhuc verba sum facturus.

Propositio undecima est, Falsum esse, dari Infinitum. *11. Non dari Infinitum.*

Cujus declaratio est. Jam demonstratũ est, impossibile esse, ut vel unum existat corpus infinitũ, h.e. infinitæ magnitudinis; vel, ut dentur multa corpora, licèt per se finita, numero infinita: vel, ut infinita plura simul sint eodem tempore. Sic falsum est, dari caussas infinitas, h.e. rem quandam esse caussam rei alterius, hanc iterum alius, & sic consequenter dari caussam caussæ in infinitũ, ita ut actu possint plura numerari infinita, sive sint corpora, sive à corporibus abstracta, quorum unum sit caussa alterius. Hic enim est ordo naturalis essentialis, in quo, non dari Infinitum, demonstrari potest.

Quod verò attinet existentiã Infiniti in potentia vel in accidenti, illa ita comparata est, ut in quibusdã certò demonstrari possit. Sic enim ostendi potest, Corpus & Tempus posse dividi in infinitum potentiâ. In quibusdã verò indiget consideratione, ut in illo, quod Infinitum est non nisi per accidens, (quod etiam vocatur *Infinitũ per accidens*), quando sc. post unius rei privationem, in ejus locum succedit alia, post hanc tertia, & sic continuè in infinitũ usq;. Hæc res profundâ admodùm indiget speculatione & consideratione. Qui de probatione Æternitatis Mundi gloriatur, *(ut Aristoteles)*, dicit Tempus sine fine esse, & tamen nihil ipsi hinc falsi vel absurdi consequitur; quia quando una pars temporis desinit, semper alia sequitur. Sic Accidentium unum post alterum accedere materiæ in infinitum, neq; tamen etiam hinc falsum quid sequitur, quia Accidentia illa non simul existunt, sed successivè recedente uno, subsequitur aliud. Hæc sanè talia sunt, quorum Impossibilitas non potest demonstrari.

Loquentes autem omne Infinitum rejiciunt, ipsisq; perinde est, sive dicas, Corpus unum dari infinitę quantitatis; sive dicas, Tempus & Corpus posse dividi in infinitum: nihil etiam interest secundùm illos, si dicatur, res numero infinitas existere simul: ut si dicas, Homines, qui nunc existunt, esse infinitos; aut si dicatur, res quasdam pertingere posse ad infinitum, per priorum sc. continuam privationem & sequentium successionem: ut cùm dicis, Ruben Filius Jacobi, Jacob F. Isaaci, Isaac F. Abrahami, & sic in infinitum. Hoc enim juxta ipsos itidem absurdum æquè est ac prius, istæq; quatuor Infiniti species illis sunt æquales. De ultima tamen nonnihil dissentiunt. Nam quidam illorum conati sunt demonstrationibus impossibilitatem ejus evincere, prout illas alibi in hoc libro tibi sum indicaturus: alii verò dixerunt, esse hoc per se notum & intelligibile in principio cogitationis, neq; demonstratione egere. At si ita apertè & manifestè falsum esset, non dari infinita talia per successionem, licèt in præsenti tempore sint finita, sanè in principio cogitationis quoq; falsa esset Æternitas Mundi, neque aliis principiis ad eam destruendam opus foret. Sed hujus rei indagatio non est præsentis loci.

12. *Sensus in multis errare.*

Propositio duodecima est; Sensus non semper nobis repræsentare veritatem. Duobus enim modis æstimant Apprehensionem sensuū. *Primò* dicunt, multa sensibilia latent sensus, & ab illorum apprehensione sunt abscondita, idq; vel propter exiguitatem corporis sensibilis, uti dicunt de Substantia separata vel individua; vel propter distantiam sensibilium à sentiente, quemadmodum Homo non potest Videre, Audire, vel Odorari per distantiam aliquot milliarium, neq; potest sensibus apprehendere motum cœlorum. *Secundò* ajunt, Sensus errare in apprehendēdis objectis. Cùm enim Homo longiùs distat à re quapiam, tùm quod magnum est, parvum ipsi videtur; & res parva in aqua existens ipsi videtur magna; curvum ipsi videtur quod rectum, cùm pars ejus est in aqua, pars extra aquam. Sic Aurigine vel Ictero laborantibus omnia videntur flava: & in cujus lingua bilis flava est, ei omnia dulcia videntur amara, &c. Has ergo ob caussas dicunt, Sensibus minimè fidendum, neq; ab illis principia demonstrativa sumenda esse. Noli autem existimare, quasi primi *Loquentes* frustrà in propositionem hanc consenserint, quemadmodum multi ex posterioribus existimant, superfluum fuisse, quòd tantum studium adhibuerint in stabiliendis Atomis. Omnia enim ista principia, quæ hactenus à nobis explicata, necessaria illis sunt, cúmq; unum illorum tollitur & destruitur, corruit simul totum ipsorum

rum propositum. Hac ultimâ verò propositione inprimis & quàm maximè opus habent. Cùm enim sensibus nostris quædam apprehendimus, illa destruentia, quæ ab ipsis affirmantur, tùm dicunt, Non esse respiciendum ad sensus, nullamque illorum rationem habendam, posteaquàm jam demonstratum sit, ut arbitrantur, testem advocandum esse tantùm Intellectum: ut, cùm dicunt, Quietes ingredi in motum continuum, & Molam dissipari in motu circulari; item, Albedinem in panno vel vestimento privari, & supervenire aliam: quæ contraria planè sunt iis, quæ sensibus apparent; quemadmodum etiam ex assertione Vacui multa consequuntur sensibus repugnantia: ad hæc omnia respondent, ista sensus effugere propter summam ipsorum subtilitatem. In aliis verò dicunt sensus errare. Has autem opiniones omnes quod attinet, nôsti illas esse antiquissimas, de quibus tamen Sophistæ (posteriores) gloriati sunt, quasi ipsi primi essent illarum authores & inventores, sicut meminit Galenus *in libro suo de Facultatibus naturalibus*, de iis, qui sensibus contradicebant, ubi multa alia commemorat, quæ tibi non sunt incognita.

His ergo principiis & propositionibus præmissis, nunc me accingam ad exponendum, quâ ratione quatuor antehàc commemoratas quæstiones probent & adstruant.

CAP. LXXIV.

Probationes Loquentium, *Mundum esse novum*.

Via, quibus Loquentes Novitatē Mundi adstruunt.

IN capite isto proponam tibi rationes, quibus probāt Loquentes, *Mundum esse novum*; quod tamen ut prolixis ipsorummet verbis faciam, non est quòd exspectes. Verùm intentionem tantùm, & vias sive modos probationum, quibus unusquisque Novitatem Mundi adstruit, vel Antiquitatem ejus destruit, principiaq; quibus innititur, breviter tibi indicabo: ita ut, si ipsosmet illorum libros prolixosque Commentarios sis perlecturus, nihil aliud in iis sis inventurus, quàm nos hic producemus, nisi fortè majorem copiam, elegantiam, aut profunditatem vel obscuritatem sermonis ac verborum, ad obstupefaciendum & in admirationem quasi rapiendum auditorem vel lectorem. Præthereà, invenies in libris eorum crebras ταυτολογίας, sive unius rei repetitiones & iterationes, objectiones item multas & responsiones ad illas, omnisq; adeò generis rationes & modos, contra dissentientes ab ipsis insurgendi.

Via prima. *Via prima.* Dicunt quidam; In uno innovato (h.e.*creato*) haberi probationem, totum Mundum talem esse. Q. D. Falsum est, Rubenem, qui primò fuit gutta seminis, postea per varias mutationes perfectionem suam adeptus est, semet-ipsum ita immutâsse; sed alius est sine dubio, qui ipsum tàm variè mutavit, & per consequens opus habuit Efficiente aliquo, qui ipsum formaret, & de una forma in aliam quasi transferret. Et sic idem quoq; de Arbore vel alia Planta dici potest. Ergo eadem est ratio totius Mundi.

Unde vides, hos credere, quicquid in uno aliquo corpore invenitur, illud judicandum esse inveniri quoq; in omnibus: *(id quod falsum est*, subintellige).

Via secunda. *Via secunda.* Dicunt; Ex innovatione singularis vel individui alicujus ex eorum genere, quæ nascuntur, per demonstrationem patere, totum Mundum innovatum esse.

Declaratio. *Ruben* aliquando non fuit, posteà autem fuit vel extitit. Id autem cùm fieri non potuerit nisi à *Jacobo* patre suo, sequitur, & hunc esse innovatum vel ortum. Hic iterum cùm existere non potuerit nisi ab *Isaaco* patre suo, sequitur, & hunc esse ortum, & quidem ab *Abrahamo*, & per consequens & hunc ortum habere; sicq; procedi posset in infinitum, siquidem Mundus non esset novus, sed ab æterno. At verò jam supposuerunt, falsum esse, dari hoc pacto Infinitum, sicut exposuimus in Propositione ipsorum undecimâ. Sic ergo, si pervenias ad primum tandem Hominem, Adamum videlicet, sine patre genitum, orietur quæstio, undénam hic sit genitus? Si dicatur v.G. è pulvere; quæri poterit, unde iste pulvis? Si dicatur, ex aqua verbi gratiâ; & ulteriùs quæratur, ex quânam re aqua illa? Dicent, hoc progredereturin infinitum. Falsum autem est, dari Infinitum: vel devenietur tandem ad existentiam rerum post puram-putam privationem, quæ ipsissima juxta illos est veritas, hîcq; subsistendum esse dicent. Dicunt enim, Demonstrativum esse hoc, Mundum existere incepisse post meram & absolutam privationem.

Via tertia. *Via tertia.* Dicunt; Substantiæ Mundi non possunt effugere, quin sint vel Conjunctæ, vel Separatæ; quin item quædam illarum aliquando Congregentur, & aliâ vice iterum Separentur: manifestumque est ex consideratione vel intellectu Substantiæ illarum, neque Congregationem, neque Separationem tantùm ipsis convenire. Quòd si enim substantia & natura illarum postularet, ut tantùm sint Separatæ, in æternum nunquam conjungerentur: sic, si natura illarum decerneret, ut tantùm sint Conjunctæ, in æternum nunquam

quam separarentur; ideoque neque Congregatio illis magìs convenit quàm Segregatio, neque Segregatio magìs quàm Congregatio. Quocirca, quòd videmus quasdam congregari, quasdam verò separari, & quasdam alternatim nunc congregari, nunc segregari, argumento hoc est, substantias istas opus habere aliquo, qui congreget illas, quæ congregantur, & qui separet illas, quæ separantur. Atque istud dicunt certissimam esse probationem, Mundum esse de novo creatum. Ex quo vides, authorem viæ istius niti propositione primâ, & iis, quæ ex illa sequuntur.

Via quarta. Dicunt; Totus Mundus compositus est ex Substantia & Accidenti, neque ulla Substantia sine Accidenti uno vel pluribus esse potest. Accidentia autem omnia sunt de novo creata. Quocirca sequitur, Substantiam quoque, quæ subjectum est illorum Accidentium, creatam esse. Quicquid enim creatis est conjunctum, quodque sine illis esse nequit, id-ipsum quoque de novo creatum esse necesse est, & per consequens evincitur, totum Mundum novum esse. *Via quarta.*

Quòd si quis dicat; fortè Substantia non est nova, sed Accidentia, quæ illi successivè in infinitum accedunt: dicent; si hoc esset, sequeretur infinita esse illorum, quæ innovantur: quod verò tanquam falsum jam rejecerunt.

Atque istam viam habent pro optima & omnium solidissima, ita ut multi arbitrati fuerint, illam esse demonstrativam. Tres autem in illa, ut consideranti apparet, præsupponunt hypotheses, quibus opus habuerunt.

Prima est: Non dari Infinitum per successionem, ita ut, cùm unum recedit, aliud ipsi in infinitum usque succedat.

Secunda: Omne Accidens esse innovatum. At verò Adversarius, qui pro Æternitate Mundi pugnat, de omnibus accidentibus verum hoc esse negabit. Motum enim circularem Aristoteles statuit neq; generari; neque corrumpi; ideoque etiam subjectum mobile, quod illo motu movetur, neque generari, neque corrumpi dicit. Proinde supervacaneum & inutile est, ut diù immoremur in asserenda novitate Accidentium reliquorum, quorum novitatem Adversarius noster non oppugnat; sed concedit, unum in alterius locum ubique succedere, unico tantùm hoc excepto, *Motu circulari*, h.e. motu Sphæræ illius, quæ non est innovata, neque de specie reliquorum Accidentium de novo creatorum. De hoc ergo unico Accidente dispiciendum & inquirendũ est, ejusq́, tantùm Novitas ostendenda.

Tertia

Tertia hypothesis, quam author viæ istius assumit, est; Nullum Ens sensibus apprehendi præter Substantiam & Accidens, h.e. præter Substantiam illam individuam, de qua loquuntur, & ejus Accidentia.

Verùm si sit corpus compositum ex materia & forma, sicut per demonstrationem ostendit Adversarius noster, demonstrandum est, Materiam primam, & Formam primam esse generabiles & corruptibiles. Tùm enim quoque demonstrata erit Æternitas Mundi.

Via quinta. *Via quinta,* est via Appropriationis vel Proprii, à multis admodùm usurpata, cujusque sensus redit ad illud, quod declaravi tibi in Propositione ipsorum decimâ. Hi respiciunt & considerant Mundum vel in tota sua substantia, vel in aliqua ejus parte, dicuntque; Possibile est ut hæc res, prout est, habeat talem formam, mensuram, talia accidentia, istud tempus vel locum: & possibile quoque est, ut sit major, minor, ut habeat contrariam formam, alia accidentia, aut ut existeret ante illud tempus, vel post illud, alioque in loco. Proinde dum ei assignata & appropriata est certa figura, mensura, tempus, locus, aliaque accidentia, cum possibilitate tamen, ut contrario modo se habeat; inde probant, necessarium esse, ut sit aliquis, qui appropriaverit & elegerit alterum ex duobus istis possibilibus; item, ut Mundus in sua substantia, vel aliquâ parte, habeat Appropriatorem, & per consequens, ut sit conditus & creatus. Nulla enim est differentia, sive dicas Appropriatorem, sive Efficientem, sive Creatorem, sive Existere facientem, aut Innovantem, vel Intendentem. Idem enim omnium horum est sensus.

Atque secundùm hanc viam multos fecerunt ramos tùm generales & communes, tùm speciales & proprios. Hinc enim dicunt; Non esse magis conveniens, ut Terra sit sub Aquis, quàm ut sit super Aquas; quis ergo est, qui ei hunc locum appropriavit? Item, non est ulla ratio, cur Sol potiùs sit aut esse debeat rotundus, quàm quadratus, vel triangularis, quia par est ratio omnium formarum ad quævis corpora formas recipientia; quis ergo est, qui Soli hanc formam appropriavit? Et sic etiam considerant vel intelligunt singularia totius Mundi, ita ut summoperè admirentur, cùm vident flores diversorum colorum, hancque diversitatem pro certissima probatione habeant. Dicunt enim, Terra est una; Aqua similiter est una; unde est ergo, quòd flores alii sint virides, alii rubri? Sanè hoc non potest aliunde esse, quàm à quodam certo Appropriatore, qui illis hunc vel illum colorem appropriat. Quis autem ille Appropriator

præ-

præter Deum? Quapropter concludunt, necesse est ut totus Mundus Appropriatorem habeat, qui cùm illum totum, cùm singulas ejus partes appropriârit.

Atque hæc omnia colligunt ex propositione sua decima, ideoque non magni sunt momenti: ut jam taceam, quòd quidam illorum, qui defendunt æternitatem Mundi, non contradicant nobis in Proprio, sicut explicabo. Est tamen hæc via, meo judicio, omnium optima, de qua etiam meam sententiam alicubi adhuc tibi explicabo. *part.2.c.19.*

Via sexta. Existimavit quidam ex posterioribus, se viam invenisse præstantissimam, & quidem præcedentibus omnibus longè excellentiorem. Via autem illa est Præponderatio existentiæ super privationem, (h.e. *quòd Existentia rerum existentium, Privationi illarum præponderata & prælata sit, cùm utraque fuerit æquè possibilis*). *Via sexta.*

Dicit: Apud quosvis homines in confesso est, Mundum esse existentiæ possibilis. Nam si existentiam haberet necessarlam, esset Deus ipsemet. Res enim nobis est utique cum illo, qui confitetur existentiam Dei, & affirmat æternitatem Mundi. Possibile autem est id, quod possibile est ut existat, & possibile est ut non existat, cuique non magis convenit existentia quàm privatio. Quocirca id, quod existit existentiâ possibili, ita ut æquè possibilis sit existentia atque privatio illius; illud inquam probat nobis, esse Præponderatorem, qui præponderârit Existentiam Privationi illius.

Atque hæc via sufficientissima ipsis longè videtur. Verùm nihil aliud est, quàm ramus viæ præcedentis de Appropriatione sive proprio, nisi quòd pro *Appropriatore* hîc substituatur *Præponderator*, & Ens mutetur in Existentiam ipsius Entis.

At verò vel imponit nobis hîc author istius viæ, vel errat ipsemet in eo, quòd dicit, Mundum esse existentiæ possibilis. Adversarius enim noster, qui credit Æternitatem Mundi, vocem *Possibilis*, cùm ait, *Mundum esse existentiæ possibilis*, longè alio sensu usurpat, quàm *Loquens*, sicut explicabimus. Prætereà, quòd ait, Mundum habere necessariò Præponderatorem, qui præponderârit Existentiam illius Privationi ejusdem, id adhuc maximopere dubium est. Nam Præponderatio & Appropriatio vel sunt Entis, quod aptum est ad recipiendum unumquodque duorum contrariorum, vel sunt duarum rerum æqualiter inter se discrepantium & differentium, ita ut dicatur; Posteaquàm deprehendimus hoc isto modo, & non alio, id demonstrat esse Efficientem aliquem, qui hoc intenderit; ut, si diceres,

Quandoquidem hoc Æs, quod non est magis aptum ad recipiendam formam cacabi, quàm ad formam candelabri, invenimus in forma cacabi vel candelabri, inde equidem scimus fuisse quendam Appropriatorem & Intendentem, qui intenderit alterum ex istis duobus possibilibus: quia hic manifestum est, æs extitisse, & utroque isto attributo possibili caruisse, privatumque fuisse ante præponderationem præponderantis. Verùm, si quæstio sit de re quapiam, de qua controversum est, an semper extiterit, aut post privationem demùm existere cœperit? de illa nullo modò hoc mente concipi vel dici potest: neque quæri potest, quis præponderaverit Existentiam ejus Privationi illius, nisi anteà demonstratum sit, illam post Privationem existere incepisse. Jam autem illud in hac materia, de qua hic agemus, disceptatur. Quòd si verò Existentiam & Privationem imaginatiam tantùm hic intelligere velimus, iterum redimus ad Propositionem decimam, quæ est de Intelligentia imaginationum & cogitationum, non verò rerum existentium & intelligibilium; quia Adversarius noster, qui credit Æternitatem Mundi, censet Imaginationem privationis illius non aliter se habere, quàm Imaginationem omnium impossibilium, quæ cadunt in Imaginationem. Verùm non est propositi nostri illorum verba refutare. Tantùm volui tibi explicare, Viam istam, quam ipsi diversam longè existimant à præcedente, eandem omninò cum illa esse, nec quicquam ab ea differre.

Via septima. *Via septima*, quâ itidem recentiorum quidam utitur. Vult hic stabilire Novitatem Mundi per id, quod Philosophi dicunt de Animis, illas non interire, sed perpetuò superstites manere.

Dicit; Si Mundus est antiquus vel æternus, sequitur, semper Homines aliquos mori, infinitumque esse eorum, qui moriuntur, numerum, & per consequens infinitas esse Animas, & quidem simul existentes. Atqui jam demonstratum est, hoc posterius esse falsum, existere posse plura numerabilia infinita simul & eodem tempore.

Verùm mirabilis admodùm est ista via, quæ ignotum probat per magìs ignotum; adeò ut verissimè de ea tritum illud proverbium dici possit: *Fidejussor tuus fidejussore eget.* Argumentatur etenim, ac si jam demonstratum esset, Animas superstites manere, & sciret, quânam ratione sint superstites; quid denique illud sit, quod superstes manet. Quòd si vellet dubium hinc injicere Adversario, qui credit æternitatem Mundi cum permansione Animarum, tùm ne-

cesse

cesse foret, ut Adversarius permanentiam Animarum eodem modo sumeret & intelligeret sicut ipse.

Sed solverunt dubium istud quidam ex posterioribus Philosophis, dum dixerunt, Animas remanentes non esse corpora, ut loco comprehendantur; neque esse quid positivum, ut Infinitum in existentia illarum sit impossibile. Novisse enim debes, de rebus abstractis (h.e. quæ neque sunt corpus, neque potentia in corpore, sed Intelligentiæ) nullam multitudinem ullo modo formaliter posse concipi vel intelligi, nisi ex illis aliæ aliarum sint caussæ, ita ut una habeat rationem caussæ, altera effecti. At verò id, quod remanet de Rubene, neque est caussa, neque effectum illius, quod remanet de Simeone. Ideoque sequitur, illa numero unum esse, sicut explicavit *Aben-Bachar* & *Aben-Zaig*, & alii, qui de profundis istis rebus scripserunt.

Summa est, Ab ejusmodi rebus incognitis & abstrusis, quæ cogitationes nostras superant, non esse sumenda principia, quibus alias res probemus.

Scias autem, unicuique, qui viis istis conatur confirmare Novitatem Mundi, vel Antiquitatem ejus refutare, necessariò auxilium sumendum esse vel ab una duarum istarum propositionum, vel ab ambabus; Propositione videlicet decimâ de Transitu illo, sive de Possibilitate illa imaginaria, ita ut stabiliat Appropriatorem, qui unicuique rei proprietatem suam dederit, vel Propositione undecimâ, quâ refellitur Infinitum per successionem, quam propositionem variè verificare nituntur. Quòd si enim respiciatur ad speciem quandam, cujus individua generationi & corruptioni sunt obnoxia, tempusq; præteritum consideretur; cùm dicunt sequi secundùm opinionem credentium Æternitatem Mundi, Individua hujus vel illius speciei, quæ usque ad hoc tempus extiterunt, esse infinita; &, si illis adjungantur deinde ejusdem speciei individua post illud tempus (quod verbi gratiâ ponatur mille annorum) existentia, iterum esse infinita; atque ita posteriorem hunc Individuorum complexum majorem esse complexu priori; & per consequens, unum Infinitum esse majus altero. Et sic faciunt quoq; in Motibus circularibus Sphærarum, atq; ex illis etiam, ut quidem opinantur, sequi ajunt, circuitiones infinitas sphæræ unius majores esse circuitionibus sphæræ alterius, diversasque esse illarum circuitionum species, quarum unaquæque sit infinita. Ita de unaquaque Accidentium specie inquiunt, quæ in individuo abstractè considerant, sibique illa, ac si existerent, ima-

ginantur, & quasi res essent, quæ certum habeant principium, atq; ita ad complexum illum imaginarium posteà addunt, vel ab illo detrahunt. Verùm omnia sunt Entia tantùm in Imaginatione & cogitatione existentia, & jam pridem propositioni isti *(undecimæ sc. de falsitate Infiniti)* cervicem fregit *Abunazar Alpharabius,* illiusq; incertitudinem secundùm omnia ejus particularia detexit, sicut id reperies manifestè, si sine affectu & præconcepta opinione legeris Librum ipsius celeberrimum *de Entibus, quæ mutantur.*

Atque hæ sunt principaliores viæ & modi *Loquentium*, quibus Novitatem Mundi probant. Hac autem per istas rationes, ut ipsi quidem arbitrantur, probatâ, per se deinde sequitur, quòd Efficientem vel Creatorem habeat, qui cum intentione, voluntate, & electione illum innovârit. Quare cùm ad hoc peculiaribus probationibus non sit opus, hinc progrediuntur ad Unitatem illius demonstrandam, prout in sequenti capite explicabo.

CAP. LXXV.

Quinque viæ, quibus Loquentes Unitatem DEI probant.

Quomodo probent Loquentes Unitatem DEI.

IN hoc capite explicare mihi propositum est demonstrationes *Loquentium*, quibus *Unitatem DEI* probant. Illorum autem *Viæ* præcipuè sunt duæ, *Via* sc. *Impoßibilitatis*, & *Via Mutationis*. Et hæ iterum in quinque subdividuntur.

Via prima.

Via prima Impoßibilitatis est illa, quâ vulgus ipsorum utitur. Dicunt: Si duo Dii sint in Mundo, sequitur hinc, vel dari substantiam, quæ nullum habeat duorum contrariorum; quod falsum est: vel duo contraria simul, & eodem tempore, in uno subjecto esse posse; quod itidem falsum. E. G. Si Deus unus velit, ut hæc substantia fiat calida, & alter velit, ut sit frigida, inde sequetur, alterutrum ex his duobus: vel, illam neque futuram calidam, neque frigidam, quia duæ hæ actiones simul in eodem subjecto concurrere nequeunt. Hoc autem est falsum, quia omne corpus suscipit alterum è duobus contrariis: vel, illam fore calidam & frigidam simul. Sic si alter velit movere corpus, & alter velit, ut quiescat, tùm illud corpus neque movebitur, neque quiescet, vel movebitur & quiescet simul.

Atque hæc argumentationis vel probationis species fundata est super quæstione de Substantia individua, quæ est prima ex ipsorum propositionibus; super propositione item de Creatione Accidentium;

tium; & super propositione illa, quâ statuunt, Privationes habituum esse res, quæ opus habeant efficiente aliquo.

Quòd si verò quis dicat, Materiam inferiorem, cui accidunt successivè generatio & corruptio ex sententia Philosophorum, diversam esse à materia superiore, Orbium videlicet cœlestium, quemadmodum hoc per demonstrationes ostendi potest: ac porrò inferat, duos quoque esse Deos, unum, qui regit materiam inferiorem, cui nihil rei sit cum materia superiore Cœli; alterum, qui regit & gubernat sphæras, quique nullas actiones exerceat in materiam inferiorum, quemadmodum illi ajunt, qui duos Deos esse statuunt; tùm hæc sententia nihil impossibile utique affirmabit. Nam si aliquis regerat, signum hoc fore Imperfectionis illorum, si dicatur, unum non agere in res eas, in quas agit alter; responderi potest, nequaquam hoc esse imperfectionis vel impotentiæ signum in illo: nam res illa, quæ non dependet ab operatione illius, est naturæ ejus impossibilis. Nullam autem imperfectionem arguit, non posse rem impossibilem, sicut apud nos, qui Unitatem Dei asserimus, non habetur pro imperfectionis argumento, quòd Deus non possit conjungere duo contraria in uno subjecto, quodque ad hoc & alia impossibilia potentia ejus non extendatur. Hujus itaque argumenti debilitatem animadvertentes, ad aliud confugerunt.

Via secunda. Si duo sint Dii, sequitur necessariò, ambos habere rem quampiam communem, in qua conveniunt & communicant, & unumquemque habere aliquid proprium & peculiare, quod alter non habet, quo ab illo differt. [*At* (subintellige) *Consequens est absurdum.*] *Via secunda.*

Hanc viam quod attinet, Philosophica est & demonstrativa apud eos, qui illam sequuntur, & si principia sive hypotheses illius probatæ fuerint, quemadmodum ego id facturus sum, quando adducam sententiam Philosophorum in isto negotio. At verò non sequitur apud eos, qui credunt Attributa Dei. Nam secundùm illos in Deo sunt multæ res diversæ & distinctæ; Sapientia enim in Deo illis aliud est, quàm Potentia; Potentia aliud quàm Voluntas; ac proinde ex illorum sententia non est absurdum, utrumq; duorum Deorum habere aliquid commune, in quo cum altero conveniat; & unumquemque aliquid peculiare habere, quo ab altero differat.

Via tertia, quæ & ipsa propositione quâdam ipsorum opus habet, est hæc. Quidam ex antiquioribus *Loquentibus* dicunt, Creatorem Velle per Voluntatem, sed tamen Voluntatem illam non esse *Via tertia.*

rem substantiæ ipsius additam, sed esse Voluntatem extra subjectum. Atque ex his, quæ tamen à veritate longissimè absunt, inferunt, Voluntatem istam, quæ est extra subjectum, non esse posse in utroq; Deo, vel in duobus Diis: eò quòd una caussa, eaque simplicissima, non possit duo judicia, h.e. *diversas proprietates, vel diversitatem* efficere in duabus substantiis.

Verùm hoc est probare ignotum per magis ignotum. Voluntas enim illa, de qua loquuntur, non potest in intellectu formari vel concipi; ac præthereà est juxta quosdam omninò impossibilis, & juxta illos ipsos, qui eam credunt, ejusmodi ex illâ nascuntur dubia, quæ ipsimet nunquam refutare possunt, & tamen non erubescunt ex illa demonstrationem petere pro Unitate DEI.

Via quarta. *Via quarta.* Dicunt: Existentia Operis (h.e. *hujus Mundi)* docet de Existentia Efficientis, sed non docet de multitudine sive numero Efficientium, nihilque interest, sive quis duos, sive tres, sive viginti, aut plures dicat.

Quòd si quis excipiat, hanc demonstrationem non docere de Impossibilitate pluralitatis in Deo, sed tantùm de ignoratione numeri; & nihil impedire, quò minùs dicamus, posse esse unum vel plures: tùm perficiunt probationem suam eo, quod dicunt, Existentiam Creatoris non esse possibilem, sed necessariam, ac proinde tolli quoque possibilitatem pluralitatis. Et hæc est ratio argumentandi illius, qui hoc argumento utitur.

Verùm fallaciam manifestam hîc committunt. Nam in ipsa existentia Creatoris quidem nulla est possibilitas; sed in opinione & mente nostra est possibilitas. Alia autem est possibilitas in scientia nostra, & alia possibilitas in existentia. A` possibilitate verò in cogitatione vel scientiâ, ad possibilitatem in existentiâ, non valet consequentia; vel contrà, A` negatione possibilitatis in existentiâ, ad negationem possibilitatis in scientia: quemadmodum illi sciunt, qui didicerunt, quomodo conclusiones ex præmissis sequantur.

Via quinta. *Via quinta,* quæ est cujusdam ex recentioribus, qui existimavit, se egregium quid invenisse, quo possit Unitatem Dei probare. Sensus ejus est hic. Aut unus fuit sufficiens ad creandam totam istam rerum Universitatem, aut non: si fuit, tùm utique alter erit superfluus, eoq; nihil opus erit; si non fuit, sed à duobus simul perficienda & disponenda fuit universa hæc Mundi machina, tùm quisque illorum dicẽdus est fuisse insufficiens, & non satis potens ad id præstandũ, alteriusq; ope indiguisse. Hoc autẽ est unũ ex impossibilibus. Ergo &c.

Ve-

Verùm contra hanc rationem poteſt excipi; Non omnem, qui non operatur id, quod in ipſius natura non eſt, ut illud operetur, (h.e. *quod contra ipſius naturam eſt*), dicendum eſſe Impotentem & Inſufficientem. Nam quemadmodum non eſt Homo aliquis Infirmus & Debilis vocandus, qui nequit portare decem talenta; & ſicut non eſt attribuẽda Deo Impotentia, quia non poteſt ſe-ipſum corporeum facere, vel alium ſibi ſimilem creare, aut quia nequit creare quadratum, cujus latus æquale ſit diametro: ſic illi, qui duos Deos ſtatuunt, poſſunt dicere, non eſſe illis Omnipotentiam derogandam ideò, quia nullus illorum ſolus creat; eò quòd neceſsitas exiſtentiæ ipſorum requirat, ut ſint duo. Hoc verò non eſſe ex indigentia, quaſi unus alterius ope indigeret, ſed ex neceſsitate, contrariumq; eſſe impoſsibile. Et ſicut non ideò dici poteſt, Deum non eſſe omnipotentem, nulloque modo Indigentiæ, Impotentiæ vel Inſufficientiæ titulo appellandum, quòd non poſsit exiſtere facere corpus aliquod, niſi creet Subſtantias individuas, illaſque per Accidentia, quæ itidem creat, conjungat, ut illi *Loquentes* aſſerunt; quia ſc., ut aliter fiat, eſt impoſsibile. Sic, qui duos Deos ſtatuit, dicere poteſt, impoſſibile eſſe, ut unus ſolus faciat omnia, nec tamen Imperfectioni ipſius hoc adſcribendum eſſe, quia illa talis ſit, ut duo ſimul & unà ſint & operentur.

Atq; hæc argumentorum iſtorum debilitas ſic defatigavit & exercuit nonnullos, ut quidam illorum dixerit, Unitatem Dei haberi ex lege per Cabbalam; ſed à reliquis ludibrio tantùm fuit habitus & non niſi ſannis exceptus. Mihi autem videtur, Virum illum fuiſſe ſani admodùm ingenii ac judicii. Nam cùm nihil ſolidum & demõſtrativum in ipſorum rationibus vidiſſet, in quo animus ipſius acquieſcere potuiſſet, dixit, per Cabbalam ſive Traditionem hoc haberi ex lege. Illi etenim homines nullam planè certam rerum naturam, unde demonſtrationes veræ peti poſſunt, admittunt, intellectumq; certam & rectam ſcientiam, quâ veras poſsit gignere concluſiones, habere negant. Omnia autem hæc ſingulari intentione facta ſunt; ut ſc. deſtruerent verba Philoſophorum, & oſtenderent, dari poſſe demonſtrationes de illo, cujus nulla planè eſt demonſtratio: non animadvertentes vel non curantes, quòd hac ratione ſubtrahantur nobis demonſtrationes de illis rebus, quarum demonſtrationes exiſtunt: id quod Deo Opt. Max., & Viris intelligentibus, qui Veritatem confitentur, hoc loco committimus & conquerimur.

CAP.

CAP. LXXVI.

Refutatio Corporeitatis, ex ſententia Loquentium.

Quomodo Loquentes refutent Corporeitatem.

ARGUMENTA & rationes, quibus *Loquentes* utuntur ad removendam à Deo corporeitatē, longè ſunt infirmiora, quàm ea, quibus uſi ſunt ad aſſerendam Unitatem Dei. Eſt enim ipſis remotio Corporeitatis veluti ramus, neceſſariò ex Unitate, tanquam radice, promanans.

Dicunt: Corpus non eſt unum. [*Deus* (ſubintellige) *eſt unus. Ergo non eſt corpus.*]

Verùm qui refutat Corporeitatem ex eo, quòd corpus ſit compoſitum ex materia & forma; Deo autem ejusmodi compoſitionem competere non poſſe oſtendit: hic, meo judicio, non eſt *Loquens*, ejusq; hanc demonſtrationem fundamentis Loquentium ſuperſtructam eſſe nego. Eſt enim demonſtratio realis, fundata in veritate & natura materiæ & formæ: hæcq; ipſiſſima eſt Philoſophorum ſententia, quam adducam & explicabo, cùm acturus ſum de Philoſophorum in hoc negotio demonſtrationibus.

Intentio noſtra in hoc capite eſt, commemorare *Demonſtrationes* Loquentium *de Remotione Corporeitatis* ex eorundem principiis.

Via prima.

Via prima. Ajunt; Si Deus eſt corpus, tùm Divinitas & Veritas ejus perficietur vel in univerſalitate & complexu Subſtantiarum individuarum corporis illius, quod habet, vel in una tantùm.

Si perficiatur in una, tùm nulla eſt utilitas reliquarum, ſed ſunt ſuperfluæ: nullaq; eſt ratio eſſentiæ illius corporis, *(quia una ſubſtantia individua non poteſt corpus conſtituere)*. Si in omnibus & ſingulis perficiatur, tùm erunt Divinitates multæ, non verò Deus unus. Atqui verò jam demonſtrârunt, Deum eſſe unum. Ergo.

Hanc rationem ſi conſideraveris, invenies illam ſuperſtructam eſſe propoſitioni ipſorum primæ & quintæ, ac proinde nullius eſſe ponderis. Poteſt enim illis dici, Corpus Dei non eſt, ut dicitis vos, compoſitum ex conjunctione particularum ejusmodi individuarū, quales Ipſe creavit; ſed eſt corpus unum continuum, nullam niſi in Cogitatione admittens diviſionem. In cogitatione autem nulla eſt notio vel probatio, (h.e. *à Cogitatione & Imaginatione alicujus rei ad illius eſſe nulla eſt conſequentia*). Sic enim imaginari tibi potes, Cœlos eſſe ruptos vel fiſſos, quod tamen non eſt, (Philoſophi vocant *Opus Imagi-*

Imaginationis). Et ita argumentari possumus ab iis, quæ nobiscum sunt, & quæ à nobis videntur, (h.e. *ab Orbibus cœlestibus*), ad ea, quæ nobis sunt occulta, (h.e. *ad Deum*).

Via secunda, quæ magni admodùm apud ipsos momenti habetur, est desumpta ab Impossibilitate Assimilationis, quòd sc. DEUS Benedictus nulli creaturæ assimilari possit. Si autem corpus esset, aliis utiq; corporibus foret similis. Atq; hic prolixi valdè sunt. *Via secunda.*

Dicunt. Si dicas, corpus illius non esse simile reliquis corporibus, tibi ipsi contradicis. Nam omne corpus cuivis alii corpori simile est in ratione corporeitatis: differunt autem à se invicem corpora in aliis rebus, accidentibus videlicet. Quare qui dicunt, DEUM esse corpus, affirmare coguntur, Illum aliquod sibi simile creâsse.

Verùm duobus modis hæc ratio confutari potest. *Primò* enim dicere potest aliquis, Non recipio ego hanc Traditionem, quòd Deus nulli creaturæ in re aliqua assimilari possit? quam hujus rei habes demonstrationem, nisi authoritatem librorum Propheticorum? Sed ita Remotio corporeitatis est Cabbalistica, non Intellectualis & demonstrativa.

Quòd si excipiat (*Loquens*); Si similis est alicui creaturæ, sequitur, illum aliud sibi simile creâsse; respondere potest Adversarius, Nihil esse Deo simile per omnia; se enim non negare, multas in Deo res esse, modosque multos. Nam qui credit corporeitatem, non veretur hoc affirmare.

Secundus modus hanc rationem impugnandi, isque magìs conveniens, est hic; Firmum & ratum est apud omnes Philosophos, de Sphæris cœlestibus & de corporibus istis materialibus dici, quòd sint corpus, cùm tamen non habeant eandem materiam & formam, sed æquivocè materia & forma de utrisque dicatur: & licèt Cœlum suas dimensiones habeat, non tamen esse corpus sicut reliqua corpora. Nam non quicquid habet dimensiones, statim est corpus; sed corpus est, quod constat ex materia & forma. Quòd si hoc de Cœlo dici potest, quantò magìs potest de Deo dicere, qui Corporeitatem asserit, Illum habere quidem dimensiones, sed tamen essentiam, veritatem & substantiam illius non esse similem corpori alicui creato, proinde *Corpus* de ipso & aliis dici *ὁμωνύμως*, quemadmodum *Ens* de DEO & aliis ὁμωνύμως dicitur apud Orthodoxos. Prætereà, non admittunt, qui pro Corporeitate certant, omnia corpora ex similibus particulis esse composita, sed dicunt, DEUM creare quidem omnia corpora, verùm diversæ esse naturæ & essentiæ. Quemadmo-

dum igitur secundùm illos corpus aliquod scintillans & splendidum *(ex his sc.inferioribus)* non est simile globo Solis: sic dicunt Corpus lucis creatæ, h.e. Majestatem Divinam, nequaquam similem esse corpori Cœlorum, & Stellas non esse similes Majestati Divinæ, vel columnam Nubis creatæ non esse sicut corpus DEI Opt.Max. Illius enim corpus esse perfectum, gloriosum, omnisque compositionis & mutationis expers, & per consequens perpetuò extitisse, & juxta voluntatem ac beneplacitum suum omnia reliqua effecisse. Hæc autem sententia, utut infirma, quomodo mirabilibus illorum rationibus, quas tibi indicavi, refellatur, non video.

Via tertia. *Via tertia.* Dicunt; Si Deus sit corpus, tùm utique erit finitus. Hoc verum. Si autem sit finitus, habebit quoq; certam mensuram & certam formam ac figuram. Et hoc verum est.

Pergunt: Si figuram habeat & mensuram, sequitur, possibile fuisse ut fieret major vel minor quàm est, vel etiam, ut aliam planè figuram obtineat, & proinde etiam, quia videmus certam illi mensuram & formam esse appropriatam, sequi, illum habere Appropriatorem.

Hanc viam quod attinet, audivi quidem eam à nonnullis valdè commendari, sed omnium est infirmissima, utpote quæ nititur Propositione decimâ, ex qua cùm tàm multiplices difficultates & absurditates oriantur, si reliquis Entibus applicetur, prout ostendimus, quantò ergo plures inde nascentur, si Deo accommodetur?

Verùm nulla est differentia inter hoc & inter id, quod dicunt de Præponderatione Existentiæ Mundi super Privationem illius, illam sc. docere de Efficiente aliquo præponderante Existentiam Privationi illius, propter possibilitatem existentiæ. Quòd si enim quæramus ex eis, quare non sequatur etiam de existentia Dei, si sequatur de Mundo, cùm dicimus; quandoquidem existit, sequitur illum habere Præponderatorem, qui præponderârit Existentiam ejus Privationi illius? Respondebunt sine dubio, quia hoc procederet in infinitum, & necessariò tandem hûc devenient, ut dicant, quòd necessariæ sit existentię sine aliqua possibilitate, neque alio, à quo existentiam accipiat, indigeat. Nam hæc eadem responsio dari quoque potest ab eo, qui Corporeitaté defendit, ad id, quod hîc dicunt de mensura, forma & figura; videlicet, De omnibus mensuris, quæ possibilem habent existentiam, h.e. quæ primò non fuerunt, deinde verò existere inceperunt, dici quidem posse, potuisse illas fieri vel majores, vel minores, quàm sunt, vel etiam diversæ planè figuræ & Appropriatorem aliquem sine dubio habere: verùm formam vel figuram

ram & mensuram DEI, quæ sine omni sunt imperfectione & similitudine, quod attinet, nequaquam illam ita esse comparatam, ut aliquando non extiterit, postea verò existentiam acceperit, ita ut Appropriatore opus habuerit; sed ipsius essentiam, mensuram & figuram necessariæ esse existentiæ. Sic enim non dici potest, Ipsi opus aliquo fuisse, qui post privationem existentiam ei appropriaverit; quia nempe nulla possibilitas privationis in Ipso existit: sic etiam non dici potest, Illum opus habuisse aliquo, qui ipsi formam & mensuram appropriârit; quia scilicet sic est necessaria ipsius existentia.

Quocirca, Lector optime, si constituisti veritatem inquirere, abjiciendi tibi sunt omnes affectus, traditiones, & receptæ opiniones; cavendum etiam tibi, ne animus tuus pertrahatur in sententiam istorum Speculatorum, ne tibi idem quod illis accidat, qui, *prunas ignis evitare volentes, in flammam ejus inciderunt*, adeò ut totam rerum naturam destruxerint, creationem Cœli & Terræ everterint, adeoq; quod dici solet, Cœlum Terræ miscuerint. Dum enim existimârunt, se per propositiones illas suas demonstraturos, Mundum esse novum; non solùm id non perfecerunt, sed præthereà demonstrationes de Unitate DEI, Existentiâ ejus, & Corporeitatis remotione nobis eripuerunt. Demonstrationes enim, quibus hæc omnia probare oportet, petendæ sunt ex natura Rerum, quemadmodum in sensus nostros & intellectum incurrit.

Expositâ itaq; ipsorum sententiâ, accedemus ad recensenda principia, & considerandas demonstrationes Philosophorum de Existentiâ DEI, Unitate illius, & Corporeitatis ab illo remotione, omissâ & quasi concessâ ipsis Æternitate Mundi, licèt eam nō credamus. Posteà monstrabo tibi viam nostram, quâ nos, verâ speculatione duce, perfectè tres istas quæstiones probare possumus. Et his confectis, tandem revertar ad congrediendum cum Philosophis de Æternitate Mundi.

FINIS PRIMAE PARTIS.



RABBI MOSIS MAJEMONIDIS

MORE NEVOCHIM

PARS SECUNDA.

PROLEGOMENA.

Propositiones Philosophorũ, ad demonstrandam Dei Existētiam, Incorporeitatem, & Unitatem.



VIGINTI-QUINQUE sunt Propositiones, eæq; omnes demonstrativę & indubitatę, quibus opus est ad demonstrandam Dei Existentiam, Incorporeitatem & Unitatem. Ipse enim Aristoteles, &, qui eum sequuti sunt, Peripatetici, firmiſsimis rationibus illas jam-pridem demonstrârunt. Prę-ter illas autem adhuc aliam ipsis concedemus & largiemur, quâ mirificè quæstiones nostræ confirmantur, sicut explicabo. Propositio autem illa est MUNDI ÆTERNITAS, quam tuentur.

Propositio I. *Falsum est, dari Ens quantitate infinitum.*

II. *Falsum itidem est, dari Entia quantitatem habentia numero infinita simul.*

III. *Falsum quoq; est, dari processum Caussarum & Effectorum in infinitum, licèt mensuram & quantitatem non habeant.* E. G. Quòd Intellectus hîc sit caussa Intellectus secundi, secundus tertii, tertius quarti, & sic in infinitum, falsum est.

IV. *In quatuor Prædicamentis invenitur Mutatio. In prædicamento Substantiæ, quando res mutatur in substantia per Generationem & Corruptionem: in prædicamento Quantitatis, per Accretionem & Diminutionem: in prædicamento Qualitatis, per Alterationem: in prædicamento Ubi, per motum Localem.* Et de hac ultima Mutatione in Ubi dicitur Motus in specie, de reliquis verò in genere.

V. *Omnis Motus est mutatio & exitus de potentiâ in actum.*

VI. *Motuum* (localium) *alius est Substantialis, alius Accidentalis: alius item*

item Violentus, alius Partialis, qui est species motûs Accidentalis. Substantialis est, cùm transfertur corpus de loco in locum. *Accidentalis*; ut cùm dicitur de Nigredine corporis alicujus, quòd translata sit de loco in locum. *Violentus*, cùm lapis sursum movetur violentiâ motoris alicujus. *Partialis*; ut est motus clavi in navi: nam quando movetur navis, dicitur quoque quòd moveatur clavus. Et sic quotiescunque dicitur totum aliquod compositum moveri, dicitur quoque moveri pars ipsius.

VII. *Quicquid mutatur, id dividitur; ideoq; quicquid movetur, id dividitur & est corpus; & quicquid non dividitur, id quoque non movetur, ac proinde non potest esse corpus.*

IIX. *Quicquid movetur secundùm accidens, necessariò aliquando quiescit.* Quia enim motus illius non est in substantia, ideò non potest esse perpetuus motus ille accidentalis.

IX. *Omne corpus, quod movet aliud corpus, quando movet, movetur & ipsum.*

X. *Quæcunque dicuntur esse in corpore, in duas partes dividuntur: vel enim insunt corpori ut Accidentia, vel insunt ei ut Forma naturalis. Utraque autem sunt potentia in corpore.*

XI. *Quædam res, quæ in corpore subsistunt, cùm dividitur corpus, dividuntur & ipsæ, & quidem divisione accidentali*; ut colores, & reliqua, quæ per totum corpus se diffundunt: *quædam verò, quæ corpus conservant, nullo modo dividuntur*; ut Anima & Intellectus.

XII. *Omnis potentia vel virtus per corpus diffusa est finita; quia sc. ipsum corpus finitum est.*

XIII. *Nulla mutationis species est continua, nisi motûs localis species circularis.*

XIV. *Motus localis omnium motuum est antiquissimus & primus naturâ; generationem enim & corruptionem præcedit alteratio; alterationem appropinquatio alterantis vel mutantis ad rem alteratam,* (h. e. motus localis): *accretio autem & diminutio non possunt esse nisi præcedente generatione & corruptione.*

XV. *Tempus est accidens motum consequens, eiq; cohærens, neque unum sine altero esse potest. Non existit motus, nisi in tempore; & non potest intelligi aut mente concipi tempus, nisi cum motu: & quicquid non habet motum, non cadit sub tempus.*

XVI. *Nulla res, quæ non est corpus, potest intelligi habere numerum: sed si fuerit potentia in corpore, possunt numerari individua potentiarum, cùm materiæ vel subjecta illarum numerantur.* Propter hanc caus-

sam res immateriales, quæ neque sunt corpus, neque potentia in corpore, non possunt sub numero aliquo intelligi, nisi habeant rationem caussarum vel effectorum.

XVII. *Omne, quod movetur, habet Motorem aliquem; eumq; vel externum, ut lapis, qui a manu movetur; vel internum, ut corpus animalium, quod compositum est ex movente & mobili.* Proinde, cùm moritur, & Movente vel Motore privatur, Animâ videlicet, remanet mobile solum, Corpus scilicet, planè eâdem formâ vel figurâ, sicut antea fuit, nisi quòd motu sit destitutum. Et quia Movens in Moto vel Mobili existens occultum est, & à Sensibus videri nequit, existimârunt Animalia moveri sine movente: omneque mobile, quod virtutem motricem habet intra se, dicitur moveri à se-ipso, quia virtus illa motrix in tota substantia existit.

XIIX. *Quicquid exit de potentia ad actum, ab alio, & quidem externo vel extrinseco, educitur.* Nam si educens esset in ipso, nullumq; adesset impedimentum, ne unico quidem momento existeret in potentia, sed semper foret in actu: quòd si autem educens in ipso esset, aliquodque impediens ei adesset ac removeretur, sine dubio idem ille impedimentum auferret, qui educeret quoque potentiam illam in actum.

XIX. *Quicquid existentia suæ caussam habet, possibilis est existentiæ ratione substantiæ suæ.* Nam si caussæ ejus existant, existet & ipsum; si non existant, vel tollantur, vel mutetur dispositio illarum unde illius existentia sequitur, neque illud existet.

XX. *Quicquid ratione substantiæ suæ, necessariæ est existentiæ, id suæ existentiæ nullam prorsus caussam habet.*

XXI. *Quicquid è duabus rebus est compositum, ejus, quatenus talis, existentiæ caussa est illa compositio; & per consequens, quoad substantiam suam, non habet necessariam existentiam. Existentia enim ejus consistit in existentia duarum illarum partium, earumq; compositione.*

XXII. *Omne corpus necessariò compositum est ex duabus rebus, & certa habet accidentia. Duæ res illud conservantes sunt Materia & Forma. Accidentia sunt, Quantitas, Forma, Figura, Situs, &c.*

XXIII. *Quicquid est in potentia, & in sua substantia habet possibilitatem aliquam, illud necesse est aliquando in actu non existere.*

XXIV. *Quicquid est in potentia, est materiatum. Possibilitas enim perpetuò est in materia.*

XXV. *Principia Substantiæ compositæ singularis sunt Materia & Forma,*

ma, & hæ non possunt esse sine Efficiente, h.e.Motore, *qui moveat & disponat subjectum* (h.e. materiam) *ad recipiendam formam. Hic autem est Motor proximus, qui disponit materiam individui vel singularis alicujus.* Atque hîc consideratione digna res occurrit de Motu, Movente, & re Motâ, de qua alibi jam satis superque actum, cujusque summam Aristoteles comprehendit, dum ait, *Materiam non movere se-ipsam.* Et hæc est Propositio maxima ac præcipua, ad investigationem Motoris primi nos deducens.

Hæ itaq; sunt viginti-quinq; illæ Propositiones, quarum quędam sunt intellectu facillimæ, & patent ex principiis demonstrativis, quæ sunt intelligibilia prima; quædam verò demonstrationibus & principiis multis indigent, quæ omnia jam demonstrata & adducta sunt ab Aristotele partim in Libris Acroamaticis, partim in Metaphysicis. Nostri autem propositi non est, libros Philosophorum hûc transferre, & remotiora illorum principia explicare, sed proxima tantùm, quibus ad materiam nostram opus habemus.

Nunc præcedentibus propositionibus unam adhuc, Æternitati Mundi patrocinantem, adjiciam, quam Aristoteles pro omnium verissima & fide dignissima habuit. Eam nos ipsi nunc per modum Concessionis dabimus, donec id, quod intendimus, probaverimus.

XXVI. ergo est; *Tempus & Motum ipso actu esse existentia æterna & perpetua.* Proinde secundùm eum ex hac positione sequitur, esse corpus quoddam, quod moveatur motu æterno in ipso actu existente; Corpus videlicet quintum, unde dicit, Cœlos neque generationi, neque corruptioni esse obnoxios. Motus enim secundùm illum neque generatur, neque corrumpitur. Nam statuit, quemlibet motum, motum alium, sive ejusdem, sive alterius speciei, præcedere. Quod verò existimamus, in Animantibus ante motum localem non præcedere motum alium, negat esse verum. Caussam etenim motus post quietem illorum refert ad res procreantes motum illum localem, quæ sunt vel Mutatio temperamenti, (unde est appetitus vel desiderium ad quærendum sibi convenientia, & ad fugiendum contraria); vel Imaginatio, vel Consilium & Proæresis in illis exorta. Horum ergo trium aliquod semper motûs localis caussam esse, & ex unoquoque motus alios sequi dicit. Item ait, Uniuscujusque rei innovationem tempore præcedere possibilitatem innovationis ejus, & ex his concludit & deducit ea, quæ faciunt ad adstruendam propositionem ejus. Præterea, sequitur ex hac propositione, dari Mobile

bile quoddam finitum, quod per longitudinem finitam infinitis vicibus per eandem longitudinem moveatur & revertatur; quod falsissimum est, & non nisi in motu circulari fieri potest, sicut demonstrari potest ex decima-tertia istarum propositionum. Insuper sequitur hinc, dari Infinita, non quidem simul, sed successivè.

Aristotelem non credidisse, rationes suas pro Æternitate Mundi esse demonstrativas.

Atque hæc est propositio illa, quam semper & ubique stabilire & confirmare nititur Aristoteles. Mihi tamen nequaquam videtur, illum in hac opinione fuisse, ac si rationes ejus essent demonstrativæ, sed existimo, illam ab eo simpliciter, tanquam probabilem & rationi consentaneam, receptam fuisse. Ejus autem asseclæ & commentatores, illam omninò necessariam & demonstrativam, nequaquam verò probabilem esse, affirmârunt. *Loquentes* verò ostendere conati sunt, illam penitùs esse impossibilem, neq; intellectu nos assequi posse, quomodo Entia infinita successivè produci aut creari queant: quin-imò dicunt, Impossibilitatem ejus esse Intelligibile primum. Mea sententia est, propositionem hanc esse possibilem vel probabilem, non autem necessariam, sicut Aristotelis Interpretes volunt; neque impossibilem, sicut *Loquentes* asserunt.

Verùm non est hic intentio mea, rationes Aristotelis, nostrasque de illis dubitationes proponere; neque etiam volumus sententiam nostram de Novitate Mundi explicare; sed propositum nobis hoc loco fuit, nudè tantùm recensere principia & propositiones, quibus ad tres nostras quæstiones demonstrandas opus habemus. Quocirca cùm id jam factum sit, pergo ad explicandum, quid ex illis sequatur & concludi possit.

CAPUT I.

Quomodo ex præmissis propositionibus sequatur, Mundum habere Motorem, eumq; Unum, Incorporeum, & Æternum.

Quomodo ex principiis Philosophicis demonstretur, Mundū habere Motorem, Unum, Incorporeū, & Æternum.

EX *Propositione vicesima-quinta* sequitur, esse Motorem aliquem, qui movet materiam istam generabilem & corruptibilem, ut formam aliquam recipiat. Quòd si verò inquiratur, unde Motor ille movendi vim habeat? apparebit, illum necessariò habere adhuc alium priorem, sive ejusdem, sive alterius speciei, qui illum moveat: (Motus enim est in quatuor prædicamentis, & de omnibus dicitur

dicitur Motus in genere, prout docuimus in *Propositione quarta.*) Hoc verò non potest procedere in infinitum, uti ostendimus in *Propositione tertia.* Verùm videmus, omnem motum pervenire ad motum corporis quinti *(Cœli)*, ibique subsistere: & ab illo motu omnem Motorem originem suam, veluti per ramum aut catenam aliquam, trahere in Mundo hoc inferiori. Porrò, movetur Cœlum motu locali, qui primus est omnium motuum & antiquissimus, uti vidimus in *Propositione decima-quarta*, & sic omnis motus localis pertingit tandem ad motum Cœli. Exempli gratiâ, si dicas, Lapidem istum, quem moveri vides, moveri à baculo, baculum à manu, manum à nervis, nervos ab arteriis, arterias à musculis, musculos à calore naturali, calorem à forma, huncque esse Motorem primum; hic Motor quoque ad movendum inducitur aliunde, veluti à Voluntate vel Consilio, Lapidem baculo ori foraminis alicujus admovendi, ne vento spiranti ingressus per illud pateat. Motor autem venti, & flatus vel spirationis ejus caussa efficiens est motus Cœli, & per consequens etiam motus primi localis. Atq; ita videbis quoque, omnem caussam generationis & corruptionis devenire tandem ad motum Cœli. Quòd si verò & hûc tandem pervenerimus, ad motum nempe Cœli, ulteriùs sequetur, & hoc aliquem habere Motorem, juxta *Propositionem decimam-septimam*, & quidem vel intra se, vel extra se. Si habeat Externum, erit vel Corporeus, vel Incorporeus, & ita non vocabitur Externus; vel non dici poterit de eo, quòd sit extra illud, sed abstractus ab illo. Nam de rebus incorporeis non nisi latissimè & impropriè dicitur, quòd sint extra corpus. Si habeat Internum, tùm erit Motor ille vel Virtus & Facultas per totum ejus corpus diffusa, quo diviso & illa dividatur, sicut est calor Ignis; vel erit Facultas ejus aliqua indivisibilis, ut est Anima vel Intellectus, ut habuimus in *Propositione decima* & *undecima*, & per consequens Motor Cœli erit alterutrum ex istis quatuor; vel erit corpus aliquod extra illud, vel ab illo abstractum quid, aut virtus per illud diffusa, aut denique facultas ejus aliqua indivisibilis. Falsum autem est, primò, Motorem Cœli esse corpus aliquod extra ipsum. Nam si esset corpus, sequeretur, moveri & ipsum, quando movet aliud, ut liquet ex *Propositione nona*, & hoc corpus, quod movet, moveri itidem ab alio; sicque consequenter in infinitum. In *Propositione* autem *secunda* docetur non dari corpora numero infinita. Deinde, falsum est, Motorem Cœli esse Facultatem quandam per totum illius corpus diffusam, secundùm modum tertium; quia enim Cœlum est corpus, se-

quitur, illud esse finitum, secundùm *Propositionem primam*; Facultatem item ejus esse finitam, ut quæ & ipsa dividi potest diviso corpore, ex *Propositione undecima*, & per consequens, non posse moveri in infinitum, id quod posuimus in *Propositione vicesima-sexta*. Præterea, falsum est secundùm quartum modum, Motorem Cœli esse Facultatem ejus aliquam indivisibilem, qualis est Anima in Homine. Falsum est, illam solùm esse caussam motûs perpetui & continui, utut sit indivisibilis. *Declaratio.* Si talis Facultas est Motor primus vel Movens primum, tùm sequitur, illum Motorem moveri per accidens, secundùm *Propositionem sextam.* Ut clarior res evadat, hoc adjicio. Quando Homo ab Anima sua (quæ forma ipsius est) movetur & impellitur, ut ex inferiori ædium parte in superiorem ascendat, tùm Corpus illius est id, quod movetur in substantia, & Anima est Movens primum in substantia, *(juxta hanc sc. sententiam)*, sed non negari potest, illam quoque per accidens moveri. Nam translato Corpore ex ædium parte inferiore in superiorem, necessariò quoque transfertur Anima, quæ erat inferiùs, in locum superiorem. Rursum, cùm Motus & Impulsio animæ cessat & quiescit, quiescit quoque id, quod propter ipsam movebatur, Corpus videlicet; cùm autem Corpus quiescit, tollitur iterum motus ille Animæ accidentalis. Quicquid enim per accidens movetur, necessariò quoq; quiescit, secundùm *Propositionem octavam*, & illo quiescente, quiescit quoque id, quod propter illud movebatur. Hæc autem omnia si ita se habeant, sequitur, Movens illud primum aliam insuper oportere caussam habere, extra illud universale compositum ex Movente & Moto vel Mobili, quâ, tanquam Motûs principio, existente, Movens illud primum moveat ea, quæ in ejus complexu ab ipso moventur, & quâ absente ac deficiente quiescat. Propter hanc caussam animantium corpora non perpetuò moventur, licèt in unoquoque sit Movens primum indivisibile, quia Movens illorum non semper movet in substantia, sed caussæ ejus impulsivæ sunt extra illud, ut Appetitus quærendi sibi salutaria, vel fugiendi contraria, Imaginatio & Phantasia in iis, quæ Imaginationem habent. Cùm enim illæ caussæ adsunt, tùm movet; & dum movet, movetur quoque per accidens, & necessariò iterum quiescit. Quocirca, si Motor Cœli sit in ipso Cœlo, juxta aliquem dictorum trium modorum, non poterit moveri motu perpetuo. Quòd si verò Motus iste sit æternus & perpetuus, ut statuit noster Adversarius, & hoc sit possibile, secundùm *Propositionem decimam-tertiam*, sequitur juxta hanc sententiam ex

ex prædictâ divisione, caussam primam motûs Cœli esse juxta modum secundum, h.e. abstractam ab ipso Cœlo.

Sic ergo per demonstrationem certam liquet sequi, Motorem Cœli (siquidem motus illius sit perpetuus & æternus) neque esse corpus, neque potentiam aliquam corpoream: ac proinde non habere motum, neque substantialem, neque accidentalem, ideoque etiam nullam admittere divisionem vel mutationem, juxta *Propositionem quintam* & *septimam*. Hic autem Motor nemo alius est præter DEUM OPT. MAX., verè primam motûs Cœli caussam. Sequitur etiam, falsum esse, duos vel plures esse Motores, quia res abstractæ & incorporeæ non possunt numerari, nisi ita sint comparatæ, ut una habeat rationem caussæ, altera caussati, secundùm *Propositionem decimam sextam*. Liquet insuper, Motorem illum non cadere sub tempus, quia videlicet à motu est exemtus, secundùm *Propositionem decimam-quintam*.

Ex hac itaque consideratione per demonstrationem colligimus, falsum esse, Cœlum moveri à se-ipso motu perpetuo; Item, Caussam primam motûs ejus neque esse corpus, neq; potentiam in corpore; Motorem esse unum, nulliq; mutationi obnoxium; Existentiamque ejus nulli tempori esse alligatam: quæ sunt tres istæ quæstiones, de quibus celeberrimi Philosophi demonstrationes exstruxerunt.

Secunda consideratio Philosophica circa Unitatem, Incorporeitatem, & Æternitatem Dei.

Secunda consideratio ipsorum. Posuit Aristoteles Propositionem quandam, hanc videlicet; Quando aliquid fuerit compositum ex duabus rebus, & earum altera reperitur per se & seorsim extra totum compositum, tùm sequitur, itidem separatam reperiri rem alteram extra compositum. Quod si autem existentia illarum necessariò secum ferat, ut non nisi unà & conjunctim reperiantur, qualis est ratio materiæ & formæ, tùm neutra sine alia unquam existit. Proinde si una illarum separata inveniatur, colligi inde potest, illis nequaquam hanc naturã inesse, & alteram quoq; per consequens separatam existere. Exempli gratiâ, si sumamus Oxymel, & separatim inveniamus Mel, tanquam unam compositi partem, sequetur ex eo, nos quoq; reperturos separatim Acetum. Postea quàm exposuit hãc Propositionem, assumit, & dicit, Nos multas res invenire compositas ex movente & moto, h.e. quæ movent alia, & quæ ipsæ quoque ab aliis, dum movent, moventur: id quod manifestum est in Sphæris, quæ reliqua omnia movent. Invenire nos etiam Motum, quod nihil planè movet, & illud est motum ultimum; ac proinde sequi,

nos invenire quoque Movens aliquod, quod à nullo movetur; quod est Movens ultimum. Hoc autem Movens, quia nullum habet motum, est indivisibile, incorporeum, & tempori nullo modo subjectum, prout explicatum est in *Propositione præcedenti.*

Tertia consideratio circa prædictas quæstiones.

Tertia consideratio Philosophica in hoc negotio ex Aristotele desumpta, (licèt ipse eam in alia materia adduxerit) est hæc: Nullum est dubium, quin sint Entia existentia, & quidem sensibus etiam perceptibilia. Illa autem necessariò secundùm unum trium istorum modorum sunt comparata, (est enim divisio necessaria). Vel omnia Entia sunt exempta à generatione & corruptione: vel omnia sunt generationi & corruptioni subjecta: vel quædam tantùm generantur & corrumpuntur, & quædam non. Atqui primùm manifestè est falsum. Ad oculum enim videmus, Entia plurima generari & corrumpi. Falsum non minùs est secundum: Nam si omnia Entia cadant sub generationem & corruptionem, tùm sanè sequitur, universa & singula Entia possibilitatem habere intereundi. Quod autem in specie est possibile, necessariò tale fit, sicut nôsti, & proinde sequitur, Entia omnia interire & corrumpi. Si verò omnia intereant, falsum est aliquid existere: quia enim nullum remanet, quod existere faciat, sequitur, nullum quoque Ens existere. Videmus autem res multas existere; quin-imò nos ipsi existimus. Quocirca per hanc considerationem sequitur, cùm sint Entia quædam, quæ generantur & corrumpuntur, esse Ens aliquod, quod neque generatur, neque corrumpitur, illudque Ens nullam planè interitûs possibilitatem vel potentiam habere, neque possibilis, sed necessariæ esse existentiæ. Dico præterea; Si *(Ens sc. illud)* sit necessariæ existentiæ, oportere ut sit tale vel ratione substantiæ, vel ratione caussæ suæ, ita ut existentia & privatio ejus sit possibilis ratione substantiæ, & necessaria ratione caussæ, quâ ratione caussa ejus necessariam faciet existentiam ejus, secundùm *Propositionem decimam-nonam.* Itaque ex hoc liquet, necessariò esse Existentiæ necessariæ ratione substantiæ, sine quo nullum Ens esse vel existere posset ullo modo, neque generabile & corruptibile, neque ingenerabile & incorruptibile, (siquidem Ens tale in rerum naturâ, ut Aristoteles asserit, existat, quod sc. nec generatur, nec corrumpitur), caussatum enim necessariò habet caussam.

Atque hæc demonstratio talis est, ut à nemine in dubium vel controversiam vocari possit, nisi fortè ab homine imperito & naturæ demonstrationis ignaro.

Præ-

Præter hæc dicimus, Nullum Ens necessariam habens existentiam potest existentiæ suæ habere caussam, secundùm *Propositionem vigesimam:* neque etiam potest in eo esse multitudo rerum, secundùm *Propositionem vigesimam-primam*. Ideoque etiam per consequens non potest esse corpus, vel potentia in corpore, secundùm *Propositionem vigesimam-secundam*.

Sic itaque ex hac consideratione demonstratur, esse Ens aliquod necessariæ existentiæ ratione substantiæ suæ. Illud autem nullum aliud est, quàm DEUS OPT. MAX. Liquet etiam hinc facilè, Necessitatem existentiæ ratione substantiæ in duobus inveniri, falsum esse. Nam sic necessitas existentiæ foret res adventitia & superaddita substantiæ uniuscujusque illorum duorum, & neuter eorum esset necessariæ existentiæ solus, sed esset ita necessitas existentiæ in hoc & in alio. At verò multis modis ostendi potest, Ens existētię necessariæ non habere secundum, vel socium, ac simile, vel contrarium aut diversum. Caussa est Absoluta ejus Simplicitas & Perfectio, in qua præter substantiam nihil redundat & superfluum est, & proinde caussa ex omni parte deficit. Hinc enim firmiter conficitur, Ens hoc nullum sibi simile habere, & cum nullo alio participare posse.

Quarta consideratio Philosophica. Videmus quotidiè multa de potentia exire in actum. Quicquid autem exit de potentia in actum, id Eductorem aliquem extrinsecùs habere necesse est, secundùm *Propositionem decimam-octavam.* De hoc verò constat, illum priùs quoque fuisse potentiâ, postea demùm talem in actu factum esse. Et quòd tùm in potentia talis erat, illius caussa fuit vel impedimentum aliquod intrinsecum in ipso existens, vel proprietas & relatio quæpiam inter ipsum & inter id, quod eduxit, quæ priùs non erat, quâq; accedente, in actum posteà rem educere potuit. Utrumque autem horum duorum requirit Educentem, vel impedimenti remotorem, & hic alium. Hoc verò non potest produci in infinitum. Itaque necessariò tandem deveniendum est ad Eductorem aliquem è potentia in actum, qui semper existit uno eodemq; modo, & in quo nulla sit omninò potentia; volo dicere, in cujus substantia nulla res sit in potentia. Nam si in eo sit possibilitas aliqua, tùm sanè sequitur, Illum aliquando non fuisse, secundùm *Propositionem vigesimam-tertiam.* Præterea sequitur Illum esse materiæ omnis experiem, & abstractum, secundùm *Propositionem vigesimam-quartam.* Abstractus verò à materia, & omnis possibilitatis expers, ac per se existens, nemo est nisi DEUS OPT. MAX., de quo probatum est, Illum esse Incor-

Quarta consideratio Philosophica.

poreum, ac per cõsequens Unum, juxta *Propositionem decimam-sextam*.

Atque istæ rationes probandi sunt omnes demonstrativæ de Existentia DEI Unius & Incorporei, cum fide de Æternitate Mundi.

Demonstrationes de Unitate DEI. *Prima.* En tibi quoque nunc Demonstrationem de Remotione Corporeitatis, & assertione Unitatis, hanc videlicet. Quòd si duo sint Dii, sequitur, illos habere rem quandam inter se communem, per quam unusquisque illorum Deus est, & rem aliam, quâ inter se differunt & distinguuntur, ut duo sint: &, si in unoquoque illorum existat res quædam, quæ non invenitur in altero, sequitur, quemlibet illorum ex duabus rebus esse compositum, neque unumquemque illorum esse caussam primam, ac necessariæ existentiæ ratione substantiæ, sed utrumque habere caussas, secundùm *Propositionem decimam-nonam*. Si verò ratio differentiæ sit in uno tantùm illorum, tùm is, in quo duo illa sunt, non habebit existentiam necessariam substantiæ suæ ratione.

Secunda. *Via altera de Unitate.* Demonstratum est *parte 1. cap. 72.* Totum Mundum esse quasi Unum Individuum, in quo omnia inter se colligata sunt & cohærent, & virtutes Cœli diffusas esse in materia hac inferiori ac sublunari, eamque disponere ac stabilire. Hoc autem si ita sit, falsum est, DEUM unum esse, qui occupatus sit solùm in una ejus parte, & Deum alium, qui occupatus sit circa aliam; quia omnia arctissimè & inseparabiliter inter se cohærent, nullaq; superest divisio vel partitio, quàm ratione témporis, ut unus operetur uno, alter alio tempore, vel ut simul agant, & operentur semper quasi unus, ita ut nulla actio nullumque opus perficiatur & absolvatur, nisi ab utroque simul.

Verùm quòd unus isto, alter alio tempore agat, falsum est multis modis. Nam si tempus illud, in quo unus agit, ita sit comparatum, ut in illo quoque possit alter agere & operari, quæ est caussa, quæ facit, ut hic operetur, alter quiescat? Quòd si verò tempore illo impossibile sit alteri agere & operari, suberit hîc caussa alia, propter quam unus potest, alter nequit operari: in Tempore etenim nulla est diversitas vel differentia, & subjectum operationis vel actionis unum est, arctissiméque compactum & colligatum, sicut declaravimus. Præterea, unusquisque illorum hac ratione cadet sub tempus, quandoquidem actio ejus cum tempore conjungitur: unusquisque item illorum egredietur de potentia in actum tempore actionis suæ: unusquisq; etiam egebit alio, à quo deducatur è potentia in actum: tandem in substantia utriusque existet possibilitas.

Falsum

Falsum non minùs est, illos duos semper simul agere in hac Universitate, ita ut unus sine altero nihil possit agere; Nam si complexum aliquod non perficiat opus nisi in complexu suo, (h.e. *si duo simul & conjunctis operis aliquid faciant)*, tùm neutra pars illius potest dici Efficiens ratione substantiæ suæ, (h.e. *tùm neuter eorum dici potest per se caussa efficiens illius operis):* neutra etiam potest dici caussa prima illius operis; sed caussa prima erit conjunctio illius complexi *(duorum illorum)*. Præterea, notum est per demonstrationem, Ens necessarium non habere caussam. At verò congregatio & conjunctio complexi operis illius (h.e. *duorum illorum*) necessariò habet caussam aliam congregantem complexum illud. Caussa hæc congregans est vel unum quid, vel complexum quoq;. Si sit simplex quid & unum, tùm illud non potest esse aliud, quàm DEUS OPT. MAX. Si verò quoque fuerit complexum aliud, tùm sequitur complexum secundum (h.e. *conjunctio duorum aliorum*), & necessariò tamen devenietur tandem ad unum, qui sit caussa hujus rerum Universitatis, quæ una est, sive jam illa ortum habeat & esse cœperit post privationem, sive semper fuerit.

Sic itaque ostensum tibi quoque est per hanc viam, quòd ex Unitate hujus Mundi erudiamur de Unitate Authoris & Creatoris ejus.

Via alia de Remotione Corporeitatis. Omne corpus est compositum, utì dictum est in *Propositione vigesima-secunda.* Omne compositum habet efficientem, qui facit, ut forma in materia ejus existat: & omne corpus admittit divisionem, dimensiones, & per consequens susceptibile est accidentium. Itaque corpus non est unum, neque ratione divisionis, neque ratione compositionis suæ. Nam omne corpus est corpus unum, propter rem quandam, quæ ipsi accedit præter id, quod jam corpus est, ideoque necessariò duas res habet & in se comprehendit. In eo autem, quod necessariò existit, demonstratum est, nullam omninò compositionem esse posse.

Demonstratio Incorporeitatis DEI.

Demonstrationibus ergo his sic præmissis, incipiemus nunc, ut promisimus, exponere Vias nostras.

CAP. II.

Ex motu Cœli probari Existentiam Creatoris.

CORPUS istud quintum, *Cœlum* videlicet, est vel generabile & corruptibile unà cum motu suo, vel est ingenerabile & incor-

Ex motu Cœli probat Existentiam DEI.

corruptibile, quemadmodum sentit Adversarius noster. Si sit generabile & corruptibile, tùm sine dubio existentiæ suæ authorem habet DEUM OPT. MAX. Quicquid enim esse incipit posteaquàm non fuit, id Esse sui vel Existentiæ suæ habet authorem; & falsum est, aliquid suæ ipsius existentiæ caussam esse posse. Quòd si verò Cœlum semper motum fuerit, & motu sempiterno ac perpetuo movendum sit, tùm secundùm propositiones à nobis positas sequitur, Eum, qui illud movet motu illo perpetuo, (h.e. *Motorem ejus*), neque esse corpus, neque virtutem in corpore. Hic autem iterum nemo potest esse præter DEUM OPT. MAX.

Demonstratum itaque tibi jam est, Existentiam DEI esse necessariam, nullamq; habere sui caussam, neque possibilitatem ratione substantiæ suæ; adductæ sunt demonstrationes certæ & evidentes de Existentia ipsius, sive Mundus statuatur esse novus, & aliquando non fuisse, sive non statuatur esse novus: demonstratum quoque est, Illum esse unum & incorporeum, sive iterum statuamus, Mundum esse novum, sive non, uti exposuimus in via tertia de viis Philosophorum; item in expositione Remotionis Corporeitatis, & confirmatione Unitatis per rationes Philosophorum.

Consultum mihi nunc videtur, ut abs lvam sententiam Philosophorum, & ipsorum rationes producam de existentia Intelligentiarum separatarum, ac ostendam, quomodo hac in parte conveniant cum fundamentis Legis nostræ; in Existentia inquam Angelorum.

Hoc facto, revertar ad id, quod promisi, videlicet ad proferendas rationes de Novitate Mundi. Hæ enim non benè possunt ac solidè percipi, nisi quis intelligat rationem existentiæ Intelligentiarum separatarum. Antequàm autem existentiam illarum probem, necessariò mihi præmittenda est Propositio quædam, quæ lucernæ instar erit, occulta & abscondita totius hujus libri illustrantis, & quidem tàm in iis capitibus, quæ jam præcesserunt, quàm in illis, quæ sequentur.

Sic ferè loquitur Petrus de scriptu Prophetarū, 1. epist. c. 1. v. 19.

Intētio Authoris in hoc libro.

Propositio illa est hæc. Scias, Intentionem & propositum meum in hoc libro non esse, conscribere Scientiam Naturalem vel Divinam, aut adducere demonstrationes de illis, quorum demonstrationes jam-dudum sunt allatæ: Intentio quoque mea non est, Dispositionem & ordinē Sphærarum, vel illarum numerum explicare ac definire. De istis enim rebus omnibus libri sufficientes jam sunt conscripti & compositi; ac si in uno vel altero non sufficerent, sanè illa, quæ ego in hoc libro profero, non forent illis meliora. Verùm scopus

pus meus in hoc Libro (quemadmodum in Præfatione jam monui) est, explicare Dubia & Arcana Legis, quæ ab Intellectu vulgi sunt abscondita.

Itaque, si videas, me loqui de Intelligentiis separatis, de illarum veritate & numero, de numero Sphærarum, & motûs illarum caussis, de veritate Materiæ & Formæ, de Influentia Divina, aliisque rebus similibus, noli existimare, me tantùm materias illas Philosophicas confirmare velle & asserere, (nam hæc omnia in aliis libris jam pertractata & demonstrata sunt): sed eatenus & ideò de illis ago, quatenus & quia per illorum notitiam ac intelligentiam lux & explicatio accedit dubio alicui Legis Divinæ, multaque ejus nodi dissolvuntur. *Quatenus de rebus Philosophicis agat.*

Nôsti etiam ex Præfatione Libri, cardinem ejus præcipuè verti circa explicationem illorum, quę intelligi possunt de *Opere Bereschith* & *Mercavah*, circa expositionem item Dubiorum, quæ dependent à Prophetia, h.e. quæ incidunt *de Prophetia*, & cognitione Creatoris. Proinde quotiescunque observabis, me in capite aliquo de ejusmodi re disserere, de qua jam actum est in Scientia Naturali vel Divina, vel quæ facilè ab omnibus creditur, aut quæ jam demonstrata est in aliis disciplinis; scito, materiam illam esse clavem ad intelligendam rem quampiam è libris Prophetarum, ut purà, Parabolas & alia ipsorum mysteria: ac propterea illam à me adduci, explicari, & probari, quia prodesse nobis potest ad cognitionem *Operis Mercavah* vel *Operis Bereschith*, vel ad declarandum fundamentum aliquod Prophetiæ, vel denique ad confirmandos nos in articulo aliquo Legis, h.e. Fidei & Relligionis nostræ.

His ergo sic præmissis, redeo ad absolvendum id, quod jam aggressus sum.

CAP. III.

Rationes Aristotelis de caussa motûs Cæli non esse quidem demonstrativas, sed esse ordini Naturæ magìs convenientes, & pauciora habere dubia, quàm alias.

OPINIONES Aristotelis de causis motûs Cæli, è quibus existentiam Intelligentiarum separatarum educit, quamvis talibus rationibus nitantur, quæ certam demonstrationem non ha-

bent, pauciora tamen habent dubia, quàm omnes aliæ sententiæ,& ordini Naturæ magìs quàm reliquæ sunt convenientes,quemadmodum loquitur *Alexander in Libro de Principiis Totius vel Universi*, ac insuper consentiunt cum plurimis dictis Legis Divinæ, ut jam nihil dicam de Medraschoth & expositionibus allegoricis Sapientum nostrorum, uti explicabo. Ideoque adducam sententias & rationes ejus, ut ex illis colligere possim ea, quæ cum Lege & rationibus Sapientum nostrorum conveniunt.

CAP. IV.

Quomodo Aristoteles probet, Cœlum esse animatum; *&*, Esse Intelligentias separatas.

Quòd Cœlum Animã habeat.

COELUM animatum esse, palàm est, si rectè & accuratè res expendatur. Qui verò hoc audiunt, difficile id nimis intellectu esse judicant, vel prorsus rejiciunt; eò quòd sibi imaginantur, dum dicimus, Cœlum habere Animam, nos loqui de Anima aliqua, qualis est Hominum, Asinorum, Boum, &c. At verò minimè hic est sensus ejus, quod dicimus: verùm hoc volumus; Motum Cœli localem argumento esse, illud habere principium, per quod moveatur, & principium hoc indubitatè esse Animam.

Qualem habeat Animam.

Principium motus Cœli non est Natura, sed Anima.

Declaratio hujus rei. Falsum est,Motûs circularis Cœli eam esse rationem,quæ est motûs recti lapidis deorsum, vel quæ est motus ignis sursum; ita sc.,ut principium motûs illius sit Natura,non Anima. Nam quod ejusmodi motu naturali movetur,illud à principio suo,cùm extra locum suum est,movetur ad quærendum locũ suum, & cùm ad locum suum pervenit,quiescit. Hæc verò sphæra,Cœlum videlicet,movetur circulariter in loco suo.

Neq; ideò,quia Animam habet,necessarium est,ut ita moveatur. Nam omne animatum movetur vel propter Naturam,vel propter Impressionem seu Imaginationem intellectualem. Hoc volo dicere. Naturale est animatis,persequi id,quod illis est conveniens,& fugêre,quod eis est contrarium & inconveniens,sive jam motor illorum sit extrinsecùs; ut,cùm animalia, quando sitiunt, fugiunt à calore Solis ad locum aquarum: sive motor sit intrinsecùs,Imaginatio videlicet; nam cùm sibi imaginatur animal id,quod naturæ ejus est conveniens vel contrarium,movetur quoque. Hæc verò sphæra

non

non movetur ad fugiendum à suo contrario,nec ad persequendum id,quod ei est conveniens. Nam ad quodcunq; movetur,ab eo iterum movetur; & à quocunque movetur,ad illud movetur iterum. Prætereà,si motus illius esset ex hac caussa,sequeretur illam tandem aliquando perventuram ad id,ad quod movetur,& ibi quieturam. Nam si moveretur ad quærendum vel ad fugiendum aliquid,& illud nunquam posset assequi, motus ejus esset inanis & frustraneus. Ergo,si ita res habeat,motus hic circularis Cœli erit propter Imaginationem aliquam mentalem,vel cogitationem, quæ faciat, ut sic moveatur. Ejusmodi verò Imaginatio non est nisi in Intellectu; proinde si ita sit, Cœlum quoque habebit Intellectum. Porrò,non omnis,qui Intellectum habet,quo aliquid cogitare & sibi imaginari potest,& Animam,quâ movere se potest,movetur statim,quando in mente sua discurrit vel aliquid sibi imaginatur. Nam hæc Imaginatio vel Cogitatio mentis sola non facit motum,uti hoc patet ex primâ Philosophiâ & ipsâ experiētiâ. Deprehendes enim apud temetipsum,quòd multa sæpè cogites & mente volvas,ad quæ moveri posses,nec tamen moveris ullo modo,donec in te gignatur appetitus & desiderium ad illam rem,quam cogitâsti & in mente tua tibi es imaginatus;tùm demùm enim eò moveris. Sic ergo liquet quoq;, quòd neq; Anima,per quam motus fit,neq; Intellectus,quo in mente res concipitur & figuratur,sufficiant ad motum talem gignendū, donec illis conjungatur appetitus & desideriū ad illam rem mente conceptam. Unde proin sequitur,Cœlum quoq, habiturum appetitum & desiderium ad rem in intellectu suo conceptam,quam amore prosequitur. Res autem illa est DEUS Opt.Max. Atq; isto modo dicit Aristoteles, DEUM movere Cœlū,quia Cœlum desiderat assimilari rei illi,quam apprehendit,quæ est simplicissima,immutabilis,in qua nihil novi generatur,& à qua bonum semper profluit. Non potest autem istud in Sphæram sive Cœlum competere quatenus corpus est, sed ratione solùm operationis motûs circularis, (nam hoc est summum,quod corpus habere potest,ut operatio ejus perpetuò in ipso permaneat), qui est simplicissimus omnium motuum in corporibus existentium,omnisq; mutationis tàm in substantia sua,quàm in bonis ab ipso provenientibus,expers.

Cœlum habet Intellectum.

Cœlū habet appetitum & desiderium, cujus objectū est Deus.

Quomodo Deus dicatur movere Cœlum.

Postquàm ergo Aristoteles hæc omnia probavit,reversus est ad considerationem Sphærarum sive Orbium cœlestium, & invenit, multos esse illorum,per demonstrationem ex motibus multis,quorum unus ab altero differt velocitate, tarditate, & ratione motûs,

licèt omnes sub se comprehendat motus circularis,(h.e.*licèt omnes sint circulares)*; & hinc secundùm considerationem naturalem credere coactus fuit,eam rem,quam ille Orbis in mente sua concepit, qui moveatur (h.e.*motum suum absolvit)* motu veloci unius diei spatio,aliam esse ab ea, quam Orbis alius in mente sua formavit, qui motum suum absolvit spatio triginta annorum.

Intelligētia movent Sphæras.

Pronuntiavit itaq; & judicavit Aristoteles,tot esse Intelligentias separatas, quot sunt Sphæræ, & unamquamq; Sphæram appetere Intelligentiam illam, quæ est ipsius principium,quæque movet illam motu ei proprio,ac tandem,Intelligentiam illam,Sphæræ istius esse Motorem. Veruntamen neque Aristoteles, neque quisquam alius præcisè definivit numerum Intelligentiarum,an sc.sint decem, vel centum: sed scribit tantùm,tot esse,quot sunt Sphęræ; ita ut cùm quidam illius tempore opinarentur,quinquaginta esse Sphæras,dixerit Aristoteles,si res ita se habeat,totidem quoque fore Intelligentias abstractas.

Tot secundùm Aristotelē sunt Intelligētia, quot Sphæra.

Disciplinæ enim Mathematicæ illo tempore raræ & imperfectæ fuerunt. Existimârunt,quemlibet motū opus habere peculiari sphærâ, nec sciverunt,quòd à declinatione unius Orbis plures motus apparentes oriri possint,ut putà,Motus longitudinis,Motus declinationis,& Motus apparens in circulo Horizontis in latitudine Orientalium & Occidentalium. Sed hæc extra propositum nostrum; revertamur itaque ad id,in quo jam fuimus.

Posteriores Philosophi decē Intelligentias separatas statuerūt.

Posteriorum Philosophorum sententia longè alia fuit; dixerunt enim,decem esse Intelligentias separatas: propterea quòd numerârunt globos illos,in quibus sunt stellæ, & sphæram circumdantē, vel circumagentem (h.e.*primam)*, licèt in quibusdam globis Orbes sint multi. Globorum enim numero sunt novem; is nempe,qui reliquas omnes circumagit,orbis Stellarum fixarum,& orbes septem Planetarum. Intelligentia decima est Intellectus agens,de quo docemur ex eo,quòd Intellectus noster exit de potentia in actum,& quòd formæ existant generabiles & corruptibiles,postquam non fuerunt *(quæ antea vel aliquando non fuerunt)* in materiis suis, nisi potentiâ. Quicquid enim de potentia exit in actum, id Educentem aliquem extrinsecùs habere necesse est, & necessarium est,ut Educens ac Eductum sint unius speciei. Nam Faber lignarius non facit repositorium,thecam,vel simile quid,quatenus artifex est,sed quatenus forma illius repositorii in Intellectu ejus existit, & illa forma in Intellectu fabri,est illud, quod formam repositorii in actum eduxit,& in ligno exstruxit. Sic procul dubio id,quod formam dat,est forma abstracta,& quod dat Intel-

Intellectum,est Intellectus,& quidem Intellectus agens. Itaq; proportio vel relatio Intellectûs agentis ad Elementa & quæ ex illis sunt composita,est sicut proportio cujuslibet Intelligentiæ separatæ alicui Sphæræ propriæ ad illam Sphæram: & proportio Intellectûs actualis existentis in nobis,(qui est ab Influentia Intellectûs agentis, & quo apprehendimus Intellectum agentem) est eadem quæ Intellectûs uniuscujuscunque Sphæræ, qui ab Intelligentia abstracta in eam defluit, & quo Intelligentiam abstractam apprehendit, in animo sibi format, ei assimilari expetit, ac denique movetur.

Cæterùm,ex dictis & sententia Aristotelis sequitur adhuc aliquid aliud,quod etiam ex parte jam alibi explicatum est,videlicet,quòd DEUS Benedictus nihil agat per Appropinquationem vel Contactum; nam quemadmodum ipse urit mediante Igne,& ut Ignis movetur mediante motu Cœli: sic Cœlum ipsum quoq; movetur mediante Intelligentiâ abstractâ. Ita ergo Intelligentiæ,quæ nil aliud sunt quàm Angeli,erunt appropinquantes,h.e.*caussæ propinquæ*,quarum medio Orbes cœlestes moventur. Quia autem in Abstractis ratione Substantiæ ipsorum non potest esse numerus,(cùm non sint corpora), sequitur juxta ipsum,DEUM Benedictum esse Authorem & caussam Intelligentiæ primæ,quæ movet Sphæram primam,eo modo,quem diximus; & Intelligentiæ illius,quæ movet Sphæram secundam,caussam & principium esse Intelligentiam primam; sicq; consequenter usque ad Intelligentiam moventem Sphæram nobis proximam ac vicinam, quæ caussa est ac principium Intellectûs agentis,& hîc finitur existentia Abstractorum,quemadmodum corpora quoque incipiunt à Sphæra suprema, & finiuntur apud Elementa & quæ ex illis sunt composita. Neq; verò ideò dicendum,Intelligentiam moventem Sphæram supremam esse necessariæ existentiæ; quia cum reliquis Intelligentiis in re quapiam participat, in motione corporum videlicet,& unaquæq; ab altera in certâ aliquâ re differt,unde quælibet illarum decem duas in se res habet. Quod cùm ita sit,necessariò requiritur caussa aliqua prima omnium.

Deus est caussa Intelligentiæ primæ.

Atque hæc est sententia Aristotelis de rebus istis expositis,ut ex libris eorum,qui ipsum sequuti sunt,intelligere possumus.

Summa omnium ipsius dictorum, & ejus,quod ex illis discere possumus,hûc redit; Orbes cœlestes omnes esse corpora viventia, animâ & intellectu,quo principia sua apprehendere & intelligere possunt,prædita. Item,quòd per existentiam Intelligentiarum se-

paratarum, non per corpus aliquod, cuncta à DEO influant, quódq; sint Mediatores quasi inter Deum & omnia ista corpora.

Nunc itaque exponam tibi ea, quæ in Lege nostra cum istis sententiis conveniunt, & quæ in eadem illis sunt contraria, in capitibus sequentibus.

CAP. V.

Quòd Orbes cœlestes sint animati, Legi Divinæ esse consonum.

Ex Scriptura demonstratur, Orbes esse animatos. QUÒD Orbes cœlestes sint Animalia intelligentia & ratione prædita, h.e. quòd apprehensionem habeant, id verissimum & rectissimum est secundùm Legem quoque nostram; quódque non sint corpora mortua, sicut Ignis & Terra, (uti fatui & imperiti arbitrantur) sed, ut Philosophi loquuntur, Animalia, quæ colunt, laudant & celebrant Dominum & Creatorem suum. Hinc dicit David, *Cœli enarrant gloriam Dei, &c.* (Psal.19.1.) Procul enim abest à veritate, quòd quidam existimant hîc agi de re-ipsâ, (h.e. *hîc intelligi id, quod homines ex illis intelligunt*): quia Hebræi non tribuunt Narrationem alicujus rei, nisi illis, quæ Intellectum habent. Quòd verò hæc attineant & attribuantur ipsis Orbibus, non notitiæ hominum, quam ex illis capiunt, id firmiter demonstratur ex eo, quod porrò ibi dicitur; *Non est sermo, neq; verba ipsis, & sine his auditur vox eorum.* (Ibid.v.4.) His enim verbis apertè explicat, se describere substantiam illorum; quòd sc. laudent DEUM Opt.Max., & annuncient mirabilia ejus sine verbis & sermocinatione, id quod est verissimum. Nam qui verbis laudat, is narrat tantùm id, quod in mente sua concepit & cogitavit, veraq; laus consistit in cogitatione & conceptione mentis; verba inserviunt solùm ad docendum alios, aut ad ostendendum de nobis quòd apprehenderimus, sicut dicitur, *Dicite in corde vestro, super cubili vestro, & silete, Selah,* (Psal.4.5.) prout exposuimus (part.1.cap.50. & 64.). Atq; hæc est ratio è Lege petita, quam nemo, nisi imperitus vel perversæ mentis homo, rejiciet.

Demonstratur idem ex Rabbinis. Quod verò sententiam Sapientum nostrorum attinet, non video illam operosâ declaratione aut probatione indigere. Manifesta sunt ea, quæ ordinaverunt in consecratione Lunæ, quæ item in precationibus & prędicationibus ipsorum inveniuntur: ut, *Et exercitus Cœlorum adorant te.* (Nehem.9.6.) Item, *Cùm cantarent simul Stellæ matutinæ, & jubilarent omnes Filii Dei.* (Job.38.7.) & similia alia multa. In Bereschith rabbah dicũt; *Cùm ait Deus Sanctus & Benedictus,* Et terra erat tohu vabohu (Genes.1.): *sensus illius*

Tohu Vabohu *est*; *Lugebat & clamabat propter malam sortem, quæ ipsi contigit*; h.e. *Terra dicebat, Ego & illi* (Cœli videlicet) *creati sumus simul & unà*, (Cœlum nempe & Terra) : *& superiora vivunt, inferiora verò sunt mortua.* His enim verbis apertè testantur, Orbes cœlestes esse corpora viva, non corpora mortua, sicut Elementa.

Atque ita expositum tibi est, id, quod Aristoteles scribit, *Orbes cœlestes apprehendere & cogitare*, cum verbis Prophetarum & Legis nostræ Doctorum, Sapientum videlicet nostrorum p.m., consentire.

Præter hæc scias quoque, Philosophos omnes in hoc unanimiter convenire, Regimen Mundi hujus inferioris perfici à virtutibus influentibus in illum à Cœlo, sicut alibi commemoravimus, & Sphæras cœlestes apprehendere ac scire id, quod regunt & gubernant. Id quod iterum scriptum reperitur in Lege nostra, cùm dicitur; *Ne attollas oculos tuos in Cœlum, & videas Solem, Lunam, & Stellas, & omnem militiam Cœli, & impellaris, & incurves te eis, colasq; ea, quæ distribuit Dominus Deus tuus omnibus populis sub toto Cœlo.* Vult enim dicere: Posuit illa Deus Mediatores, ad gubernandas creaturas, non ut colantur. Dicit enim expressè, *Ut dominarentur diei ac nocti, ac dividerent lucem à tenebris*; dominatio quippe consistit in Gubernatione, quæ adjungitur Luci & Tenebris; quæ caussæ propinquæ sunt generationis & corruptionis. Nam de Luce & Tenebris dictum est, *Et ad distinguendum inter Lucem & Tenebras.* Falsum autem est, Gubernatorem rei alicujus ignorare rem illam, quam gubernat, cùm scit veritatem regiminis. Verùm de hac materia alibi adhuc fusiùs agemus.

Mundus regitur à virtutibus Cœli.

Deut.4.19.

Gen.1.18.

CAP. VI.

De Angelis. Nomen ANGELI esse æquivocum.

MINIME' necessarium esse duco, ut ex Lege probem, quòd sint Angeli, cùm id in plurimis locis scriptum reperiatur.

Nôsti etiam, vocem *Elohim*, nomen esse Judicum: ut, *Ad* Elohim *Judices veniet negotium duorum illorum.* Et hac de caussa transfertur ad Angelos & ad Creatorem, eò quòd ipse sit Judex super Angelos. Hinc dicit, *Quia Dominus* Elohechem *Deus vester est*, respectu totius speciei hominum, vel totius generis humani. Et posteà; *Ipse est* Elohe haelohim *Deus Deorum*, h.e. Deus Angelorum, & *Dominus Dominorum*, h.e. Dominus Sphærarum & Stellarum, quæ sunt Domini omnium aliorum corporum. Hic verus est sensus illius loci; non enim

Elohim, *nomen Judicum.*

Cur dicatur de Deo & de Angelis.

Deut.10.17.

enim possunt illæ voces, *Elohim* Deorum, & *Adonim* Dominorum, intelligi de specie hominum, quia homines longè viliores sunt illis, & inprimis, quia omnes hominum status, tàm capita & Principes quàm Subditos, generaliter jam complexus est, dum dixit. *Dominus Deus vester.* Non etiam potest hîc significari, quòd DEUS Opt. Max. sit Dominus super omnia, quibus Divinitas adscribitur & affingitur, ut putà Lapides vel Lignum. Nulla etenim foret hæc Deo gloria vel majestas, si diceretur esse Dominus Ligni, vel Lapidis, vel Fusilium. Proinde significatur, Deum esse Judicem super Judices, h.e. Angelos, & Dominum Sphærarum sive Orbium cœlestium.

part.1.c.59. Porrò, præmisimus jam in hoc libro caput quoddam, in quo ostendimus, Angelos esse incorporeos; id quod Aristoteles quoque asserit, diverso tantùm adhibito nomine. Ille enim dicit *Intelligentias separatas*, nos dicimus *Angelos*.

Præthereà, quod ait Aristoteles, istas Intelligentias esse medias vel mediatores inter Deum & reliqua existentia, illisque mediantibus moveri Orbes cœlestes, quorum motus caussa est generationis: idipsum quoque scribitur in omnibus libris nostris. Non enim invenies, Deum ullum opus fecisse, nisi per manus alicujus Angeli. Nôsti, quòd *Malach* Angelus significet *Legatum*, *Nuncium*. Et quivis, qui mandatum aliquod expedit, est *Angelus*, ita ut de *Motu animalium irrationalium* quoque dicatur, illum fieri per manum Angeli, quando ille motus est ad intentionem Creatoris, qui indidit eis facultatem, quâ illo motu movere possunt. Sic dicitur, *Deus meus misit Angelum suum, & conclusit os leonum, & non perdiderunt me.* *Motus* quoque *asinæ Bileami* omnes facti fuerunt per manum Angeli. Quin-imò *Elementa* ipsa vocantur Angeli: ut, *Qui facit Angelos suos, ventos: ministros suos, ignem flammantem.* Non te latet etiam, Angelum vocari *Nuncium* & *Legatum ex hominibus*: ut, *Et misit Jacob Angelos.* Sic dicitur de *Prophetis*: *Ascendit autem Angelus DOMINI de Gilgal ad Bochim.* Item, *Et misit Angelum, & eduxit nos ex Aegypto.* De *Intelligentiis separatis* quoque dicitur, quæ apparuerunt Prophetis in Visione Prophetiæ. Item de *Facultatibus vitalibus vel animalibus*, sicut explanabimus. Nos hoc loco agimus tantùm de *Angelis*, qui sunt *Intelligentiæ separatæ*, & dicimus, Scripturam non negare, quòd DEUS Opt. Max. gubernet Mundum per medium Angelorum. Hinc Sapientes nostri, ad id, quod in Lege nostra legimus, *Faciamus hominem in imagine nostra*; &, *Agedum, descendamus & confundamus ibi labium eorum*; in hunc sensum scribunt, *Si ita loqui liceat,* (כביכול) *Non facit Deus quicquam, donec illud intuitus*

Angelus quid significet? — Dicitur de Motu animalium irrationalium. — Dan.6.22. — Num.24. — De Elementis. — Psal.104.4. — De Legatis Hominum. — Gen.32.3. — De Prophetis. — Judic.2.4. — Num.20.16. — De Intelligentiis abstractis. — De Facultatibus vitalibus & animalibus. — Deus gubernat Mundum per Angelos. — Gen.1.26. — Ibid.11.v.7.

intuitus fuerit (deliberârit) *in familia superiori.* In quo dicto admiror, quare dicant, *Nisi* מסתכל *intueatur!* Iisdem enim planè verbis ait Plato, *quòd Deus inspiciat in Mundum Intelligentiarum, & ex illo producat Entia.* Alibi verò simpliciter ita efferunt, *Non facit Deus quicquam, nisi anteà consultârit de eo cum* פמליא *familia superiori. Vox* פמליא autem in Lingua Græca significat *Aciem.* Sic in Bereschith rabbah & in Medrasch Kohelech dicitur ad illud Salomonis, *Et ascher asuhu* Qui jam fecerunt eum; *Non dicitur,* Asahu *Fecit eum, sed* Asuhu *Fecerunt eum: quia (si dici possit aut liceat, vel ita loquendo) Ipse & domus judicii ejus supputârunt & deliberârunt super unoquoque membro, quod est in te, illudq; collocârunt super basin suam, h.e. in locum suum,* sicut dicitur; *Ipse fecit te, & præparavit te.* Sic dicunt iterum in Bereschith rabbah; *Ubicunque dicitur in Scriptura* ויהוה *ET DOMINUS; ibi intelligitur Ipse & domus judicii ejus.* Horum dictorum omnium mens & sententia non est, ac si Deus loqueretur, cogitaret, consilium & considerationem aliorum peteret, vel sententiâ alicujus juvaretur; nam quomodo adjuvari posset Creator à creatura sua? verùm declarant nobis, quòd minimæ quæque partes Entium hujus Mundi, usque ad creationem membrorum animalium prout sunt, fiant mediantibus Angelis; quia Virtutes & Facultates omnes sunt *Angeli.* Quàm verò perniciosa & detrimentosa est hujus rei ignorantia! Si dicas alicui, etiam ex iis, qui se existimant esse è numero Sapientum Israëlis, Deum mittere Angelum suum, ut in uterum mulieris ingrediatur, ac embryonem ibi formet; plausibile hoc admodùm ipsi videbitur, & approbabit illud, quin imò existimabit esse hoc Omnipotentiæ & Sapientiæ Divinæ maximum præconium: licèt aliàs credat, Angelum esse corpus igneum, & quoad quantitatem, sicut tertia totius Mundi pars. Omnia hæc convenientissima ipsi videbuntur Naturæ Dei. Verùm si dicas ei, Deum indidisse semini Facultatem formatricem, quæ faciat ac formet dispositionem illam membrorum, & illam esse *Angelum*; vel, Omnes formas provenire ab Intellectu agente, & hunc quoque esse *Angelum, Principem* nempe *hujus Mundi,* cujus tàm frequentem mentionem faciunt Sapientes nostri, nullo modo hoc admittet; quia natura veræ fortitudinis & potentiæ Illius (DEI sc.), quæ existere facit facultates activas in qualibet re, sensibus apprehendi nequit. Nostri Sapientes autem omnibus prudentibus satis explicuerunt, quamlibet Facultatem corporalem esse Angelum, ac per consequens multò magìs, Facultates dispersas ac diffusas per hunc Mundum; singulasque unam

Eccles.2.12.

Deut.32.6.

Unus Angelus unum quoque tantùm habet munus & operationem. tantùm habere actionem & operationem propriam, non duas. Hinc dicunt in Bereschith rabbah; *Traditio est, Nunquam unus Angelus duas obit legationes, neque unquam duo Angeli obeunt legationem unam.* Par enim ratio est omnium Facultatum seu Virtutum. Quòd verò Facultates singulares, naturales & animales, Angeli quoque ab illis vocentur, illud ex multis locis probari & confirmari potest. Primarium illud est, quod in Bereschith rabbah legimus: *Singulis diebus creat* DEUS *Opt. Max. cœtum Angelorum, qui dicunt coram eo canticum, & postea recedunt.* Quòd si contra hoc dictum objiciatur, Angelos esse stabiles, ac propterea illos vocari *Chajim, Kajjamim*, h.e. viventes & stabiles; respondebitur, *Non omnes Angeli sunt stabiles & permanẽtes.* Quosdam illorum esse stabiles & permanentes, quosdam verò non, quemadmodum in veritate res non aliter se habet. Virtutes enim illæ singulares sunt ordinariè & regulariter generabiles ac corruptibiles; species verò illarum permanentes & incorruptibiles. Dicitur ibidem in negotio Judæ & Thamaris; *Dixit R. Jochanan, Voluit transire* (Jehudah), *sed ostendit ei Deus Angelum, qui est præfectus concupiscentiæ*, h.e. Facultatem impedientem. Unde vides, illos Facultatem hanc vocare quoque *Angelum*. Sic passim invenies illos dicentes, *Angelus, qui est præfectus tali vel tali rei*: quia omnis Virtus vel Facultas, quam præfecit DEUS alicui rei, vocatur *Angelus illi rei præfectus*. Hinc legimus in Medrasch Koheleth: *Eâ horâ, quâ homo dormit, dicit anima ejus ad Angelum, & Angelus dicit ad Cherubinum*, &c. Ex quo intelligenti apparet, Facultatem imaginatricem quoque vocari *Angelum*, & Intellectum vocari *Cherubinum*, quod à sapientibus & intelligentibus elegantissimum judicatur, utut à stultis & imperitis repudietur.

Sub variis formis apparẽt Angeli. Quod verò varietatem formarum attinet, quibus Angeli in Visione Prophetica apparuerunt, de eo jam alibi egimus. Invenies
Gen.18.2. Prophetas, qui viderunt Angelos sub specie & forma Viri: ut, *Et ecce tres viri stabant ante ipsum.* Alii viderunt Angelum tanquam Vi-
Jud.13.7. rum terribilem & formidabilem: ut, *Et aspectus ejus tanquam aspectus Angeli Dei terribilis valdè.* Alii viderunt Angelum veluti Ignem: ut,
Exod.3.2. *Et apparuit ei Angelus Domini in flamma Ignis.* Et dicunt ibi Sapientes nostri; *Abrahamo, cujus virtus erat pulchra, apparuerunt sub specie Virorum; Lotho, cujus virtus erat mala, apparuerunt sub specie Angelorum*, quod
part.2.c.44.45. est mysterium Propheticum, de quo alibi commodior dicendi locus occurret. Dicitur ibidem quoque: *Antequàm expedivissent legationem suam, vocavit eos* Viros: *postquam verò eam perfecerunt, induerunt* An-

Angelitatem, h.e. formam Angelicam. Animadverte, quomodo ex omni parte Angeli rationem ponant in Actione seu operatione aliqua, & quòd omnis Visio Angeli capienda sit de Visione Prophetica, & ratione Apprehendentis. Proinde nihil est, quod in tota hac materia scripsit Aristoteles, quod Legi nostræ repugnet aut contradicat, nisi hoc, quòd Aristoteles credit, ista omnia esse æterna & necessaria, & habere existentiam à Creatore; nos verò, quòd omnia sint creata, quòd Deus creârit Intelligentias separatas, & quòd indiderit Cœlo Facultatem appetendi illas. In hoc (inquam) ab eo dissentimus, quòd nos dicamus, Illum creâsse Intelligentias & Orbes cœlestes, illisque Facultates gubernatrices indidisse. Verùm sententiam illius, & sententiam nostram percipies, quando agemus de Novitate Mundi.

CAP. VII.

Quòd Orbes cœlestes, & Angeli, qui in eis sunt, intelligant & eligant quod rectum est.

EXPOSUIMUS jam homonymiam vocis *Malach* sive *Angelus*, & ostendimus, quòd sub se comprehendat etiam Intelligentias, Sphæras cœlestes, & Elementa, quia omnia mandatum quoddam exsequuntur. Verùm noli existimare, Orbes vel Intelligentias comparatas esse sicut reliquæ Virtutes corporales, quæ *Natura* sunt; Hæ enim operationes suas non apprehendunt, Orbes verò & Intelligentiæ apprehendunt operationes suas, eligendi præterea & regendi facultatem habent, verùm non eam libertatem & gubernationem, quam nos, quæ tota est in rebus creatis. Docet nos hoc Lex Divina. Ideò enim dicit Angelus ad Lothum, *Quia non possum facere*, &c. Item, cùm petiisset Loth ab eo, ut erueret se posset, dicit ei; *En suscepi faciem tuam etiam hac in re.* Sic dicitur, *Cave tibi à facie ejus, & attende ad vocem illius*, &c. Hæc omnia docent te, quòd apprehendant opera sua, quòdque voluntatem & electionem habeant in regimen illud, quod eis datum est (h.e. *in ea, quorum regimen & gubernatio illis concessa est*), quemadmodum & nos voluntatem & electionem habemus in regimine illo, quod nobis datum est, illudq; à momento nativitatis in potestate nostra habemus. Hac tamen cum differentia; quòd nostræ actiones sint viliores, & quòd gubernationem ac operationem nostram præcedat privatio; Intelligentiæ verò & Sphæræ semper faciant bonum, & quòd apud eos nihil sit

Orbes & Intelligentiæ intelligunt operationes suas, & habent electionem.

Gen. 19. 22.

Ibid. vers. 21.

Exod. 23. 21.

nisi bonum,(sicut in seqq.capp.explicabimus), & quicquid habent, id in perfectione & actu semper eis insit à primo eorum principio.

CAP. IIX.

Motus cœlestium Orbium & Stellarum sonos edere vehementes & suaves, sed propter longam distantiam non exaudiri à nobis posse.

Vide Aristot. lib. 2. de Cœl. cap. 9.

EX receptis antiquorum Philosophorum sententiis est & hæc, Motus Sphærarum sive Orbium cœlestium reddere sonos terribiles & fortes admodúm.

De Musica sive harmonia Orbiũ cœlestium.

Probationem hujus sui dogmatis hinc desumpserunt, quòd dixerunt; Corpora illa nostra, quæ tàm parva sunt, cùm motu celeri moventur, sonitum & tinnitum edunt formidabilem; quantò magìs ergo corpora Solis, Lunæ & cæterorum astrorum, quæ magnitudine & celeritate motûs in tantum illa superant? Deinde, secta Pythagoræ tota credidit quoq;,sonos illos esse suaves, harmonicos, & magnitudini corporum proportionatos, ad-instar concentûs & harmoniæ Musicæ. Possunt etiam dare caussam, quare sonus illi à nobis non exaudiantur.

* *Respicit ad illud dictũ Rabbinorũ*, Trium rerũ vox transit ab una extremitate Mũdi ad alteram, Vox populi Romani, Vox Sphæræ Solis, & Vox egressus animæ ex corpore.

Atque hæc sententia nota quoque fuit in Gente nostra. An'non vides Sapientes nostros *definire magnitudinem soni Solis,cùm indies Sphæram percurrit? Idem enim statuendum est de omnibus, si de uno dicatur.

Verùm Aristoteles negat hoc, & probat,illos nullum sonum habere, quemadmodum illius sententiam reperies in libro secundo de Cœlo & Mundo, quò te remitto.

Noli autem existimare, Aristotelem propterea contradicere Sapientibus nostris hac in re, quia sententia de sonis Sphærarum sequitur opinionem illam, quâ crediderũt,Cœlum manere fixum, & Stellas moveri. Nôsti verò, sententias Sapientum Gentilium in istiusmodi rebus Astronomicis præponderare sententiis illorũ,(h.e. *Gentiles in his rebus Sapientibus nostris palmam præripere*). Hinc rotundè dixerunt; *Vicerunt Sapientes Gentium Sapientes Israëlis*, id quod verissimum est. Nam quicunque de illis rebus scripserunt, nihil aliud scripserunt, quàm quod ratio ipsis dictabat, nihilque aliud crediderunt, nisi cujus veras demonstrationes invenerunt.

Sapientes Gentilium vincunt Sapientes Israëlis in rebus Astronomicis.

CAP.

CAP. IX.

De numero Sphærarum cælestium, & dicto quodam Rabbinorum quorundam, quo dicunt, Duo esse expansa.

IN capite quarto hujus partis indicavimus jam, Numerum Sphærarum cœlestium tempore Aristotelis non fuisse accuratè cognitum & investigatum: & eos, qui nostro tempore illas numerârunt, novem illarum supputâsse, sed unum Globum, qui multas Sphæras continet, pro una tantùm numerâsse, quemadmodum illis notum est, qui Astronomiæ operam dederunt. Ideoque noli contemnere dictum illud Rabbinorum quorundam; *Duo sunt expansa, sicut dicitur*; Ecce Domini Dei tui sunt cœli, & cœli cœlorum, (*vel*, Est cœlum, & cœlum cœli.) Nam author hujus dicti, globum omnium Stellarum, h.e. Sphæras, in quibus sunt Stellæ, pro uno numeravit, & globum Sphæræ circumagentis (h.e. *primæ*) pro secundo, ac propterea dixit, *Duo sunt expansa.*

Numerus Sphærarum tempore Aristotelis non fuit accuratè cognitus.

Deut. 10. 14.

Antequàm autem ulteriùs progredior, præmittam tibi hîc propositionem quandam scitu necessariam ad intelligendum scopum & argumentum istius capitis.

Propositio illa est hæc. Scias, quòd inter priscos Mathematicos controversia fit de Sphæris Veneris & Mercurii, *an sint supra, an verò infra Solem?* quia nulla certa demonstratio est, quæ nos doceat de certo ordine vel loco duorum horum Orbium. Veterum omnium sententia fuit, Orbes Veneris & Mercurii esse supra Solem, quod probè nota. Sequutus est posteà *Ptolemæus*, qui argumentis obtinuit, quòd sint infra Solem, dicendo; Naturæ convenientissimum esse, si dicatur Sol esse in medio, & habere tres Planetas supra, & tres infra se. Post hunc venerunt alii quidam *Andeloseni*, excellentissimi admodùm Mathematici, & demonstrârunt secundùm principia Ptolemæi, Venerem & Mercurium esse supra Solem. De qua re librum celebrem conscripsit *Aben-Aflach Hispalensis*, cum cujus filio familiaritas mihi intercessit. Post-hæc laboravit quoque in hoc negotio præstantissimus Philosophus *Abubachar Filius Alzaig*, cum cujus discipulorum uno studui, qui mihi ostendit argumenta (quæ ab eo descripsimus), quibus probat, fieri non posse, ut Venus & Mercurius sint supra Solem. Verùm rationes illæ *Abubacharis* probant tantùm impossibilitatem hujus rei, (h.e. *partem quæstionis negativam*);

An Sphæra Veneris & Mercurii sint supra vel infra Solem?

non verò demonſtrant verum motum illorum (*Orbium* ſc.). Summa; ſive ita ſit, ſive non ſit, Veteres omnes poſuerunt Venerem & Mercurium ſupra Solem, ideoque Orbes numerârunt quinque: Orbem Lunæ, qui nobis ſine dubio proximus eſt; Orbem Solis, qui altior eſt illo; Orbem quinque reliquorum Planetarum errantium; Orbem Stellarum fixarum; & Sphæram circumagentem cæteras, in qua nulla eſt Stella. Globorum ergo vel Orbium figuratorum, h.e. Orbium formas vel figuras habentium, in quibus Stellæ ſunt, (ſic enim Antiqui ſolebant Stellas appellare *Tzuroth*, h.e. Formas, Figuras, vel Imagines, ut ex libris ipſorum liquet), erunt quatuor: Orbis videlicet Stellarum fixarum; Orbis quinque Stellarum erraticarũm; Orbis Solis; & Orbis Lunæ; & ſupra hos omnes Orbis alius non ſtellatus. Atque hic numerus apud me eſt fundamentum maximum rei cujusdam in animo meo, quam non vidi adhuc apud ullum Philoſophum. Ego verò in libris Philoſophorum & Sapientum noſtrorum inveni quædam, quæ me ad eam perduxerunt. Quidnam autem illud ſit, exponam capite ſequenti.

Veteres numerârunt quinque Orbes.

Quatuor Orbes ſtellati.

Stellæ vocabantur ab aliquis Figuræ, Imagines.

CAP. X.

Mundum hunc moveri à Virtutibus influentibus è Mundo ſuperiori, &c.

NOTUM eſt, Philoſophos omnes, quotiescunque loquuntur de regimine & gubernatione Mundi, ſtatuere, Mundum hunc inferiorem generabilem & corruptibilem regi à Virtutibus & Influentiis Sphærarum cœleſtium, quemadmodum aliquoties jam monuimus.

Mundus hic inferior regitur à Mundo ſuperiori.

In hunc ſenſum dicunt Sapientes noſtri; *Non eſt ulla herba hîc infrà, quæ nõ habeat* מַזָּל Maſſal (h.e. *Planetam, Sydus, Influentiã*) *ſuprà in Firmamento, quæ percutit illam, eiq́ dicit, Creſce, ſicut dicitur*; Nunquid nôſti ſtatuta Cœli? nunquid pones dominiũ ejus in terra? (Maſſal hoc loco vocant non ſolùm duodecim ſigna Zodiaci, ſed etiam Planetas, ſicut videre eſt in Bereſchith rabbah, ubi dicũt; *Eſt* maſſal *curſum ſuum abſolvens ſpatio triginta dierum, & eſt* Maſſal *abſolvens iter ſuum ſpatio triginta annorum*). Illo enim dicto voluerunt docere, omnia Individua generabilia habere virtutes ſuas à Syderibus vel Stellis eisdem appropriatis. Et licèt virtutes Orbium cœleſtium diffuſæ ſint per omnia Entia; tamen virtutem uniuscujusq; Stellæ vel Planetæ, ſpeciei alicui propriam eſſe, quemadmodum ſe res habet in virtutibus & facul-

Job. 38. 33.

מזל Maſſal quid?

Vis Stellarũ & Planetarum in hæc inferiora.

tati-

tatibus corporis. Nam tota rerum Existentia (h.e. totus Mundus) est veluti unum Individuum, sicut in præcedenti libro vidimus. Sic docent Philosophi, Lunam habere virtutem quandam propriam in elementum Aquæ: cujus rei argumentum est, quòd crescente Lunâ crescunt quoque maria & flumina, eâdemq; decrescente, & illa decrescunt. Crescunt enim maria, dum prodit Luna; & decrescunt, cùm recedit, h.e. in ascensione & descensione ejus in quadris Sphæræ, uti notum est eis, qui operam aliquam in his navârunt. Splendorem verò Solis movere elementum Ignis, clarissimum est. Videmus enim cum Sole calorem diffundi in omnia Entia, & eo recedente vel sese abscondente frigus dominari. Proinde ulteriori ad id demonstratione non est opus.

part.1.c.71.

Luna vis in Aquam.

Solis vis in Ignē.

Cùm itaq; hæc intellexi, statim animum meum subiit hæc cogitatio & ratiocinatio; quòd licèt ab omnibus istis quatuor Globis figuratis (h.e. *stellatis*) virtutes influant in hęc generabilia, unusquisq; tamen illorum peculiare Elementum habeat, cujus Elementi virtutum principium sit Globus ille solus, quiq; illud motu suo moveat; Orbem Lunæ movere Aquam, Orbem Solis movere Ignem, Orbem reliquorum Planetarum movere Aërem, (qui propter multitudinem motuum illorum, & varietatem in retrogradatione, rectitudine, & statione subitò quandoque & ipse mutatur, variatur, coarctatur, colligitur & diffunditur), Orbem reliquarum Stellarum fixarum movere Terram, (unde fortè propter tarditatem motûs illarum & illa tardiùs movetur ad recipiendam Passionem, aut Mixtionem). Et ad hanc Appropriationem Stellarum fixarum ad Terram digitum intenderunt Sapientes, cùm dixerunt, *Numerum specierum germinantium esse æqualem numero Stellarum.*

Singuli quatuor Globi figurati Elementum certum habent, cui virtutes infundunt.

Ordo ergo talis fortè est: Orbes erunt quatuor; Elementa, quæ ab illis moventur, quatuor; Virtutes, generaliter ab ipsis in hæc Entia provenientes, quatuor, sicut exposuimus: sic quatuor quoq; sunt Caussæ uniuscujusq; motûs sphærici, quæ sunt formæ illius; videlicet, Rotũditas ejus, Anima, Intellectus, quo potest aliquid formaliter concipere vel cogitare, uti explicuimus, ac deniq; Intellectus separatus, qui est Desiderium vel Appetitus ejus, quæ omnia diligenter notare & observare debes, quæq; paullò fusiùs & clariùs tibi nunc explicabo.

part.1.c.71.

Quatuor caussæ motûs Spherarum.

part.2.c.4.

Nisi figura ejus (*Sphara*) talis (*rotunda sc. vel orbicularis*) esset, nullo planè modo posset moveri motu circulari continuo; continuatio enim motûs per regressionem non est possibilis, (h.e. *ut aliquid continuè*

nuè moveatur, & subinde per eandem viam revertatur, possibile non est), nisi in motu circulari solùm. Nam licèt id, quod movetur motu recto, quandoque revertatur per illam eandem viam, tamen non est continuatio motûs; quia inter omnes duos motus contrarios intercedit quies aliqua, prout in loco suo demonstratur. Proinde patet hinc, ut aliquid motu continuo moveatur, & per unam eandemq; viam revertatur, necessariò requiri, ut moveatur circulariter. Jam verò nihil moveri potest nisi id, quod habet Animam; proinde hinc sequitur quoq; existentia Animæ, (h.e. *Spharam habere animam).* Hoc autem est impossibile sine caussa aliqua προαιρετικὴν, quæ est Conceptio vel Cogitatio formalis, & sine appetitu ac desiderio rei alicujus in mente conceptæ, sicut ostendimus; & hoc iterum esse nequit nisi in Intellectu; quandoquidem non est *(motus ille Sphæra sc.)* vel fuga contrarii, vel persequutio convenientis & boni, *(sicut est motus naturalis animalium irrationalium)*; & hoc nequit etiam esse sine Ente quodam in Intellectu formato, ad quod appetitus & desiderium ejus dirigatur. Hæc igitur sunt quatuor caussæ motûs Sphærarum.

Quatuor genera Virtutum, à Spharis ad nos pervenientium.

part.1.c.72.

Quatuor genera Virtutum universalium primò ab illis ad nos pervenientium sunt hęc; Virtus generationis mineralium, Virtus animæ vegetantis, Virtus animæ viventis, & Virtus animæ rationalis, sicut alibi exposuimus. Quòd si autem consideraveris operationes quatuor istarum Virtutum, duas illarum species reperies: Generationem nempe cujusvis rei, quæ generatur, & Conservationem illius; perpetuam videlicet, quoad speciem; quoad individua verò, ad tempus, sive temporalem. Atq; hûc tendit illud, quod dicitur, *Naturam esse Gubernatorem sapientem, qui providet, ut sit Animal cum arte ratiocinandi; & qui curat, ut perpetuò conservetur; dum facit existere Virtutes formam largientes, quæ sunt caussa existentiæ illius; & Virtutes altrices, quæ sunt caussa subsistentiæ, durationis & conservationis illius.* Nihil enim aliud sibi vult, quàm Divinum quid esse illud, à quo duæ istæ operationes ad nos mediantibus Sphæris cœlestibus perveniunt.

De Numero Quaternario.

Porrò autem admirandus est iste *Numerus Quaternarius,* & consideratione dignum hîc illud, quod in Medrasch legimus; *Rabbi Tanchuma dixit, Quot gradus fuerunt in scala? Quatuor; In scala videlicet illa, de qua dicitur,* Et ecce scala erat super Terram. Sic in omnibus Medraschoth legimus, *Quatuor sunt exercitus vel castra Angelorum;* id quod sæpissimè iteratur. In quibusdam tamen exemplaribus ita legi: *Quot gradus fuerunt in scala? Septem.* Omnia verò Medraschoth & omnia exemplaria consentiunt in hoc, quòd quatuor fuerint Angeli,

Gen.28.12.

quos

quos vidit adſcendentes & deſcendentes, non plures; duo videlicet adſcendentes, & duo deſcendentes; quòd fuerint quatuor *(illi)* congregati in uno gradu Scalæ; & quòd fuerint in ordine uno, eorumq; duo adſcenderint, & duo deſcenderint; & tandem exinde docuerũt, quòd latitudo Scalæ ſit Mundus & tertia pars Mundi in Viſione Prophetiæ. Nam latitudo unius Angeli in Viſione Prophetiæ fuit instar tertiæ partis Mundi; ſicut dicitur, *Et corpus ejus ſicut Tharſis*. Proinde ſi res ita ſeſe habeat, quatuor Angelorum latitudo erit instar Mundi & tertiæ illius partis. Et in parabolis Zachariæ, ubi deſcribit *quatuor currus, qui egrediebantur inter duos montes, qui erant ærei*, expreſsè dicunt; *Iſti ſunt quatuor Spiritus Cœli, qui egrediuntur à conſpectu Dominatoris totius Terræ, & ſunt cauſſa omnium eorum, quæ innovantur.* Quod *Aes* attinet, cujus mentionem facit, ſicut & alibi dicitur, *Tanquam aſpectus æris politi*, in eo latet homonymia, quam poſtea tibi explicabo. Quoad illud, quòd dicunt, *Angelum eſſe ut tertiam partem Mundi*, quod & iisdem verbis legimus in *Bereſchith rabba*, id manifeſtum & clarum admodùm eſt, ac à nobis quoque jam explicatum in Opere noſtro magno Talmudico, ubi docuimus; Omnes Creaturas in tres partes dividi, in Intelligentias ſeparatas, quæ ſunt Angeli, in corpora Sphærarum cœleſtium, & in Materiam primam, h.e. in corpora illa, quæ perpetuò mutantur & ſub Cœlo ſunt. Sic ergo, qui modò vult, ſolidè poteſt ænigmata Prophetiæ intelligere, è ſomno Oblivionis expergiſci, è mari Ignorantiæ emergere, ac deniq; ad ſuperos vel ad ſummum Scientiæ gradum adſcendere; qui verò mavult in ignorantia ſua hærere & ad imos deſcendere, is non neceſſe habet corpus vel animum ſuum multùm defatigare. Quieſcat modò, & ſponte ſuâ eò deſcendet. Tu verò hæc omnia attentè conſiderato & ruminato.

Latitudo unius Angeli quanta. Dan.10.6.

Zach.6.1.

Ezech.1.7.

CAP. XI.

Omnia Entia in tres partes dividi, quarum prima ſunt Intelligentiæ ſeparatæ, *Angeli videlicet; ſecunda,* Sphæræ cœleſtes; *tertia,* Corpora generabilia & corruptibilia.

CUM Mathematices ſtudioſus aliquis in res iſtas Aſtronomicas, de figura nempe & numero Sphærarum cœleſtium, de quibus hactenus egimus, incidet, illasque leget, cogitabit fortè, illa

omnia esse absolutè & pręcisè demonstrativa: verùm novisse debet, minimè ita rem habere, neq; hoc quæri in Astronomia. Sunt enim in illa quædam demonstrativa, quædam verò dubia. Sic per demonstrationem ostendi potest, Solis viam deflectere à linea Æquinoctiali, neq; ullum eâ de re est dubium; utrùm verò habeat Orbem eccentricum an Epicyclum, non liquet per demonstrationem, & Astronomus de eo non est multùm sollicitus. Nam scopus illius scientiæ est, ejusmodi constituere dispositionem, cum qua conveniat, quòd motus Stellæ vel Planetæ sit circularis & æqualis, sine festinatione, retardatione, aut mutatione, & ut id, quod ex illo motu sequitur, conveniat cum eo, quod oculis videmus. Operam etiam dare debet Astronomus, ut motus & numerum Orbium diminuat quantum potest. Verbi gratiâ, cùm possumus fabricare hypothesin vel dispositionem quandam, cum qua conveniat id, quod de motu alicujus Planetæ videtur, in tribus Orbibus, (h.e. *per quam apparentem motum Planetæ alicujus ad tres Orbes referre possumus*), & dispositionem aliquâ, cum qua illud ipsum conveniat in quatuor Orbibus, tùm potiùs inniti debemus dispositioni illi, cujus motuum numerus est paucior. Hinc eligimus in Sole Eccentricitatem potiùs, quàm Epicyclum, sicuti dicit Ptolemæus; Hinc etiam, cùm videamus Stellarum fixarum omnium motum esse unum, cujus (*motus* sc.) dispositiones inter se non mutentur aut varientur, consentimus, quòd omnes sint in una Sphæra. Nil tamen impossibile est, si dicamus, unamquamq; Stellam in peculiari esse Sphæra, & illas Sphæras omnes uno motu, & circa unum eundemque polum moveri: quâ ratione tot essent Intelligentiæ, quot sunt Stellæ, sicut dicitur; *Num est numerus* ligdudav *exercitibus ejus?* h. e. multitudini illorum. Nam Intelligentiæ & Corpora cœlestia, Virtutesque illorum omnes, sunt Exercitus ejus; illorumque species necessariò sub numero aliquo comprehenduntur. Proinde licèt ita esset, nil tamen derogaret ordini nostro, dum unam tantùm Stellarum fixarum Sphæram numeravimus, quemadmodum etiam quinq; tantùm Sphæras constituimus Stellarum erraticarum, licèt una Sphæra plures Orbes complectatur: quia jam intellexisti intentionem nostram, videlicet, quòd illas tantùm Virtutes in Entibus numeremus, quas apprehensione generali apprehendimus, nullâ habitâ ratione, Veritatem ipsam Intelligentiarum & Orbium determinandi.

Non omnia sunt in Astronomia demonstrativa.

Job.25.3.

Omnia Entia in tres partes dividuntur.

Verùm tota nostra Intentio hîc est, indicare, quòd omnia Entia, quæ sunt sub Creatore, in tres partes dividantur, quarum prima sunt Intel-

Intelligentiæ separatæ; secunda, Corpora Sphærarum cœlestium, quæ gestant formas perpetuas, in quibus nec forma de subjecto in subjectum transfertur, nec subjectum in substantia sua mutatur; tertia, Corpora ista generabilia & corruptibilia, quę Materia una comprehendit, (h.e. *quæ unam & communem habent Materiam*): prætereà, quòd Gubernatio vel Virtus regiminis influat à Deo in Intelligentias secundùm ordinem ipsarum: & ab Intelligentiis in corpora cœlestia proveniat, quicquid bonitatis & lucis ipsis inest: à corporibus cœlestibus in corpora hæc generabilia & corruptibilia, quicquid boni vel virtutis à principiis suis habent. Scito autem, quòd singuli isti, qui bonum ac salutare quid aliis infundunt, (h.e. *Intelligentiæ & Orbes*), non ideò solùm existant aut hanc intentionem & finem habeant, ut illi prosint solummodò, quod utilitatem & commodum ab illis recipit. Hinc enim sequeretur, id quod falsissimum est, (Finis quippe præstantior est rebus illis, quæ sunt propter finem); sequeretur inquam, si ita esset, DEUM supremum, perfectissimum & gloriosissimum existere propter aliquid levius & vilius, quod nulli unquam Sapienti in mentem venturum est. Ita autem, ut jam tibi declarabo, res comparata est. Quicquid perfectum est perfectione aliquâ, illius perfectio vel ita comparata est, ut se-ipsum tantùm perficiat, & in nullum alium transeat; vel ita, ut in eo supersit perfectio pro alio quoque: ut, si diceres, E. G. Est quidam, qui pecunias sufficientes habet pro necessitatibus suis omnibus, sed nihil superfluum, unde alii prodesse queat; & est alius, qui pecunias habet non solùm quantum sibi sufficit, verùm etiam ut adhuc multos alios divites facere possit; ita ut alii tantam copiam dare valeat, quâ non solùm ille reddatur dives, sed & tertium adhuc ditare queat. Et hoc modo res se habet in hoc Mundo. Nam Influentia illa, quæ defluit à DEO Opt. Max. ad existentiam Intelligentiarum separatarum, influit etiam ab Intelligentiis ad productionem illarum ex se invicem, usque ad Intellectum agentem, & ibi finitur Productio vel Creatio Abstractorum. Ab abstractis porrò omnibus & singulis effunditur Virtus productiva alia usque ad Orbes cœlestes, & eorum ultimum, Orbem Lunæ; & hinc deinceps Corpora generabilia & corruptibilia, h.e. Materia prima, & ea, quę ex illa sunt composita, & omnes Sphęræ effundunt Virtutes in Elementa, donec Influentia illorum perficiatur in fine generationis & corruptionis.

Atq; hæc omnia jam demonstravimus non pugnare cum iis, quæ dixerunt Prophetæ, vel Sapientes Legis nostræ. Nam gens nostra

fuit gens sapiens & perfecta, sicut testatus est DEUS per illum Dominum, qui perfectos fecit nos, dicendo; *Utique populus sapiens & intelligens, gens magna ista.* Posteaquàm verò improbi Tyranni gentium stultarum perdidissent optima quæque, quę habuimus, Sapientiam & libros nostros è medio sustulissent, ac denique Sapientes nostros interemissent, ignorantes & imperiti nos quoque evasimus, (sicut malum hoc DEUS nobis comminatus erat propter iniquitates nostras, cùm dixit; *Et peribit sapientia Sapientum ejus, & intelligentia Intelligentum ejus abscondetur*;) cum illis commixti sumus, & translatæ sunt ad nos sententiæ & opiniones illorum, planè ut ipsorum mores, qualitates & opera. Nam quemadmodum de similitudine operum ait, *Miscuerunt se cum gentibus, & didicerunt opera eorum:* sic ait de translatione sententiarum & opinionum stultarum ad nos, Ubejalde *Et in filiis alienigenarum acquiescent*, quod Jonathan F. Uzielis transfert, *Et in statutis vel consuetudinibus populorum incedent.* Cùm igitur secundùm consuetudinem stolidarum & ignorantium istarum gentium ita educati fuimus, factæ sunt nobis sententiæ & opiniones istæ Philosophicæ, quasi peregrinæ & alienæ essent à Lege nostra, quemadmodum alienæ sunt stultis & imperitis. Verùm nequaquam ita est.

Deut.4.6. Jesa.29.14. Psal.106.35. Jes.2.6.

Posteaquàm ergo multoties jam mentionem fecimus Influentiæ provenientis à DEO Opt.Max. & Intelligentiis, necessarium quoq; est, ut tibi nunc veritatem ejus, h.e. quid per Influentiam intelligatur, exponam. Quo facto, incipiam explicare quæstionem de Novitate Mundi.

CAP. XII.

De Influentiâ à Creatore in Intelligentias separatas, & ab his in Orbes cœlestes proveniente.

OMNE Ens, quod innovatum est, necessariò habet caussam efficientem, quæ illud innovavit, postquàm non fuit. Efficiens autem ille proximus est Corpus, vel non est Corpus. Corpus verò non agit quatenus est corpus, sed agit quatenus est corpus unum, h.e. ratione formæ suæ. Sed de hac materia agam posteà. Efficiens porrò ille innovans rem innovatam potest & ipse esse innovatus. Hoc verò non potest procedere in infinitum, sed necessariò (siquidem res innovata sit) deveniendum est tandem ad Innovatorem

rem antiquum & æternum, qui non sit innovatus. Sed hîc ulteriùs quæri potest, quare is nunc, & non priùs innovârit eam, cùm tamen ipse extiterit? Respondeo, Si res ita sit, (h.e. *si Efficiens anteà extitit*) opus illud innovatum ante innovationem suam esse non potuit, vel propter Privationem Proportionis alicujus inter Efficientem & Effectum, (*ita sc., ut Efficiens in Effectum, vel propter absentiam, vel nimiam distantiam, operationem non exercere potuerit*), si Efficiens fuerit corpus; vel propter Privationem Dispositionis materiæ, si fuerit Efficiens incorporeus. Hæc enim omnia contemplationis & considerationis prorsus sunt naturalis, nullusque in illis habetur respectus vel ad Antiquitatem & Æternitatem, vel ad Novitatem Mundi. Nam non est hic scopus noster in præsenti capite. Porrò autem manifestum est ex Scientia Naturali, quòd nullum corpus in aliud corpus agat, nisi vel illud corpus ipsum, vel aliud proximum & vicinum illi fiat obviàm, siquidem Actio Agentis illius fiat per media. Exemplum hujus rei sit hoc. Corpus istud, quod nunc calefactum vides, calefactum est propptereà, vel quia corpus Ignis ipsi venit obviàm, vel quia Ignis Aërem, & Aër circumstans illud calefecit: quâ ratione Caussa efficiens proxima calefactionis corporis illius erit Corpus Aëris calidi. Sic Adamas attrahit ferrum de-longè per virtutem ab ipso in Aëre, qui ferro obviàm venit, dispersum; ac propterea non in quavis distantia attrahit. Sicut enim Ignis per quamvis distantiam non calefacit, sed per eam tantùm, in qua Aër inter ipsum & rem à virtute ejus calefactam mutari potest, (cùm enim cessat calor Aëris ex Igne, qui est sub cera, tùm non ampliùs liquescit): ita comparatum est cum eo, quod attrahitur vel attrahit. Cæterùm, id, quod calidum priùs non erat, sed posteà demùm calidum factum est, nequit esse sine Caussa calefaciente innovata; sive jam Ignis ipse sit innovatus, (h.e. *caussa illa Efficiens innovata*), sive ab Igne venerit per distantiam & longitudinem ab ipso immutatam, & tùm Proportio vel Comparatio illa est id, quod priùs non fuit, & posteà innovatum est. Et hac ratione inveniuntur Caussæ omnium rerum innovatarum in hoc Mundo, quarum caussa est Mixtio Elementorum, quæ sunt corpora in se invicem agentia, & à se mutuò patientia, h.e. quarum Innovationis caussa proxima est Appropinquatio corporis ad corpus, aut Distantia corporis à corpore, (vel, *ut Philosophi loquuntur*, Contactus Proprius *&* Improprius, *qui &* Virtualis). Quod verò attinet Innovata illa, quæ non sequuntur Mixtionem, ut sunt Formæ omnes, necesse est, ut Efficiens (h.e. Dator

Innovatorū corporeorū caussa.

Formarũ caussa efficiens. formæ) illorum sit incorporeus. Nam Efficiens formæ est Forma sine materia, sicut locis suis explicatum est, & rationes ejus rei jam à nobis adductæ sunt in præcedentibus; quibus & hoc addi potest, quòd omnis mixtio augmentationem & diminutionem recipit, & successivè vel gradatim innovatur: formæ verò non ita successivè innovantur; ideoque etiam nullus in eis est motus: verùm innovantur aut corrumpuntur sine tempore, & proinde non sunt ex operibus mixtionis, sed mixtio disponit tantùm materiam ad recipiendam formam: Efficiens præterea formæ, res est, quæ nullam recipit divisionem; nam operatio illius est de ejusdem specie, *(quale enim est Effectum, talis quoque est Caussa; & contrà:)* ideoque clarum est, Efficientem formæ, h.e. Datorem ejus de necessitate quoque esse Formam, & quidem abstractam. Talem autem Efficientem, qui est incorporeus, actionem suam perficere in comparatione vel proportione aliqua, falsum est; cùm non sit corpus, ut aliud corpus ei accedere, appropinquare, vel ab eo elongari possit; quia nulla est proportio distantiæ inter corpus, & id quod non est corpus, ac proinde necessariò caussa privationis ejusmodi operis (h.e. *formæ alicujus*) est privatio dispositionis materiæ illius ad recipiendam abstracti actionem. Et sic liquet, quòd operationes corporum secundùm formas suas in se invicem, consequantur dispositionem & præparationem materiæ ad rei incorporeæ operationes, quæ sunt formæ, recipiendas. Cùm itaque actiones Intelligentiæ abstractæ manifestæ & evidentes sint in Mundo, ea videlicet omnia, quæ præter vel absque mixtione innovantur, scimus certò, illum Agentem vel Efficientem, quia non est corpus, neque per contactum, neq; per certam ac propriam distantiam operari. Perpetuò verò Agens ille appellatur *Agens abstractus per Influentiam*, similitudine desumptâ à fonte, ex quo aqua non ex una tantùm parte vel latere, sed undiquaque effluit, & in omnes partes effunditur, neque solùm propinqua, sed & remota irrigat. Ita enim quoque ab Intelligentia non solùm ex una parte, vel per unam certam distantiam, aut uno solùm tempore virtus effluit, & in alia effunditur; sed virtus ejus est perpetua erga omnia, quæ apta ac præparata sunt, actionem illam, quæ שֶׁפַע h.e. *Affluentia* vel *Influentia* vocatur, recipiendi. Hinc, quia ostensum est, DEUM Optimum Maximum esse incorporeum, omniumq; rerum Caussam Efficientem, dicimus, Mundum innovatum sive factum esse ex Influentia Creatoris, & Illum Mundo influere facere, h.e. infundere quicquid in eo innovatur. Sic dicitur, Illum influere fecisse,

fecisse, h.e. infudisse Prophetis sapientiam. Omnia ideò & propter hanc rationem, quia istæ Actiones sunt actiones Agentis incorporei, cujus Opus vocatur *Influentia*. Atque hoc nomen שֶׁפַע *Influentia* vel *Affluentia*, per similitudinem à fonte aquas ubertim effundente desumptum, uti declaravimus, ideò Lingua Hebræa Creatori attribuit, quia ad exprimendam Actionem Abstracti non potest commodius vocabulum inveniri, quàm hoc ipsum שפע h.e. *Influentia* vel *Affluentia*. Non possumus enim tale vocabulum habere, quod cum veritate rei consentiat & conveniat: non minùs quippe difficile est imaginari sibi, vel intellectu assequi Operationem Entis separati, quàm ejus Existentiam. Quemadmodum enim Imaginatio existimat nihil existere nisi corpus vel potentiam in corpore; sic nullam arbitratur esse Actionem, nisi eam, quæ fit per contactum Agentis, vel per certam aliquam distantiam, vel denique secundùm certam partem. Hinc quidam ex vulgo, posteaquàm sufficienter ipsis demonstratum est, DEUM non esse corpus, neque appropinquare ad id, quod facit; putârunt, Illum præcipere Angelis, & hos per Appropinquationem & contactum corporalem actiones suas perficere, quemadmodum nos quoq; actiones nostras conficimus; existimârunt etiam, Angelos illos esse corporeos. Quidam verò crediderunt, DEUM aliquid Verbis & Sermone præcipere, illumque Sermonem operari vel efficere, sicut nos litteris & voce sermonem nostrum proferimus. Sed omnia hæc sequuntur ex pura-puta Imaginatione, quæ in rei veritate quoque *Figmentum malum* (יֵצֶר הָרַע) appellari potest. Omnis enim imperfectio in sermone vel moribus, est opus Imaginationis, vel certè operationem ejus sequitur. Verùm hæc non sunt instituti nostri in hoc capite. Hoc enim propositũ nobis fuit, explicare, quid sit שפע h.e. *Influentia*, quæ Creatori & Intelligentiis, h.e. Angelis attribuitur, quia sunt incorporei. Sed & de Virtutibus Sphærarum cœlestium dicitur, quòd Influentiam dent Entibus aliis; & dicitur, Influentia hujus vel illius Orbis, etiamsi operationes ejus proveniant à corpore; unde fit, quòd Stellæ agant per certam aliquam longitudinem, h.e. tùm secundùm Appropinquationem illarum ad centrum Mundi, tùm secundùm Elongationem illarum ab eo, & secundùm proportionem inter se invicem.

Cur Influentia vocetur Actio abstracti?

Quòd verò diximus, Prophetas transferre hoc vocabulum שפע *Influentia* ad Actionem Creatoris, id de sequentibus locis intelligendum est; *Me dereliquerunt, scaturiginem Aquæ vivæ*, h.e. שפע Influentiam Vitæ sive Existentiæ rerum, quæ nihil aliud est, quàm Vita. Jerem.2.13.

Psalm.36.10. Vita. Sic, *Tecum est scaturigo Vitæ*, h.e. Influentia vel Affluentia existentiæ. Sic idem est sensus ejus, quod in fine versûs illius dicitur, *In lumine tuo videbimus lumen*, h.e. Per Influentiam Intelligentiæ, quæ à te profluit, intelligemus & apprehendemus Intelligentiam.

CAP. XIII.

Tres esse sententias de Novitate vel Antiquitate Mundi: prima, *Sapientum Legis*; secunda, *Philosophorum*; tertia, *Aristotelis & assclarum ejus.*

Tres sunt sententiæ de Antiquitate vel Novitate Mundi.

TRES sunt omnium eorum, qui credunt DEUM esse, sententiæ de Antiquitate vel de Novitate Mundi.

1. *Sapientum Legis.*

Prima sententia est eorum, *qui credunt Legi Mosis Doctoris nostri* p.m., hæc videlicet; Mundum totum, h.e. omnia Entia præter Creatorem, post puram-putam privationem (h.e. *postquàm non vel nihil fuerunt*) existentiam suam à Deo accepisse, & priùs Deum solum fuisse, ac præter Deum nihil planè, neque Angelos, neque Cœlos, neque quæ in eis continentur, extitisse, posteà verò demùm secundùm ejus voluntatem & beneplacitum existere cœpisse prout sunt, & quidem ex nihilo: præterea, Tempus ipsum esse ex iis, quæ creata sunt, quia Tempus sequitur motum; motus autem accidens est in re motâ; & res mota, cujus motum tempus sequitur, est innovata & facta postquàm non fuit.

Quomodo Deus dicatur fuisse antequã crearet Mundum.

Quod autem attinet illud, quod dicitur, *DEUM fuisse vel extitisse antequàm crearet Mundum*, ubi verbum *Hajah* Fuit, vel Extitit, videtur docere de Tempore; atq; adeò ea omnia, quæ nobis in hanc sententiam in mentem veniunt ex Dei existentia infinita ante Creationem Mundi; sciendum est, ibi non verum Tempus intelligi, sed tantùm dici de æstimatione vel imaginatione Temporis, (h.e. *non verè dici de Tempore, sed respectu tantùm Intellectûs vel Imaginationis nostræ*). Nam Tempus citra omne dubium est Accidens, haberturque à nobis inter Accidentia creata, sicut Nigredo, Albedo; licèt non sit ex specie Qualitatis, sed ex Accidentibus motui adhærentibus; sicut notum est ei, qui intelligit verba Aristotelis, quæ scripsit de explicatione Temporis ejusque naturâ. Nos verò hîc in transitu aliam quandam observationem explicabimus, quæ licèt propriè nostræ intentionis non sit, multùm tamen ad eam prodest, hanc scilicet; quòd Caussa, propter

propter quam Temporis ratio multis Sapientibus tàm abstrusa & recondita fuerit, adeò ut in illius ratione investiganda aqua ipsis hæserit, &, an reverà existat nécne, dubitârint, ut Galenus & alii præter eum, hæc mihi videatur esse; quia est Accidens in Accidente. Nam Accidentia, quæ in corporibus existunt existentiâ primâ, ut Colores, Sapores, facillimè intelliguntur & in animum imprimuntur; sed Accidentia, quorum Subjecta sunt Accidentia alia, ut Flamma, vel Splendor in colore, Declinatio vel Circumferentia in linea, illorum ratio nobis valdè est abdita, inprimis cùm & hoc accedit, quòd Accidens illud Subjecti vicem sustinens non est stabile & permanens in una quapiam re, sed de una mutatur in aliam; tùm enim obscura fit res valdè. Jam verò hac ratione duæ res concurrunt simul in Tempore; est enim Tempus accidens adhærens motui, & Motus accidens est adhærens rei, quæ movetur: Motûs præterea non ea est ratio, quæ Albedinis vel Nigredinis; illa enim sunt constantia & permanentia; Motûs verò natura & essentia est, ut ne per momentum quidem unâ in re permaneat & consistat. Et hoc est, quod Temporis rationem & naturam tàm difficilem ac abstrusam reddit. Verùm ad rem. Intentio nostra est docere, Tempus secundùm nos esse rem creatam generabilem, sicut reliqua accidentia & substantiæ, quæ accidentia illa sustinent, ideoq; Creationem Mundi non posse dici à Deo factam in Principio temporali; quia Tempus est ex rebus creatis. Id quod probè animadvertendum tibi est, nisi in labyrinthos inextricabiles te præcipitare velis. Nam si affirmes, Tempus fuisse ante Mundum, necessariò quoque cogéris credere Antiquitatem Mundi. Tempus enim est accidens, & proinde sine subjecto esse nequit; sicque sequetur, rem aliquam ante Mundum hunc, qui nunc existit, extitisse, id quod nos fugimus. *Cur doctrina de Tempore tàm abstrusa sit & occulta.*

Atque hæc una est è tribus illis sententiis, Unum videlicet ex fundamentis Legis Mosis, & quidem secundum post fidem Unitatis (h.e. *secundus post Unitatem* DEI *articulus:*) neque aliud cogitare tibique imaginari debes. Abraham Pater noster ipsemet cœpit revelare hanc sententiam, ad quam naturalis eum deduxit speculatio. Hinc est quòd *invocavit Nomen Domini Dei Mundi.* Hûc etiam respicit, dum ait, *Creatorem Cœli & Terræ.* Gen.21.33. Gen.14.22.

Secunda sententia est eorum, quorum sententiam & rationes jam vidimus & audivimus, *Philosophorum* videlicet. Dicunt hi; Falsum esse, quòd DEUS aliquid faciat ex nihilo: & impossibile, quòd aliquid possit in nihilum reducere; h.e. Impossibile esse, ut Ens ali- *2. Philosophorũ.*

quod materiam & formam habens, generetur ex privatione materiæ purâ putâ; &, ut corrumpatur in privationem materiæ illius puram-putam; statuuntque, æquè impossibile esse ac absurdum, DEO hoc attribuere, atque si dicatur, DEUM posse duo contraria uno tempore & in uno subjecto congregare, vel creare Deum sibi similem, vel se-ipsum facere corporeum, vel denique facere quadrangulum, cujus diameter lateri sit æqualis, vel aliud quid simile impossibile. Præcipuum autem, quod ex illorum verbis colligimus, est, quòd dicunt, (h.e. *præcipua ipsorum ratio est*); Quemadmodum nullam Naturæ DEI affert imminutionem, quòd non potest facere impossibilia, (quia impossibile naturam habet firmam & stabilem, quæ non est ex operatione Efficientis, ac proinde non potest mutari): sic nihil DEI potentiæ derogat, si dicatur, Illum non posse aliquid existere facere ex nihilo, (quia & hoc est ex impossibilibus). Propterea credunt, esse materiam quandam existentem DEO coævam & coætaneam, quæ non inveniatur sine DEO, neque DEUS sine illa: neque tamen credunt, Materiam illam in existentia sua planè similem & æqualem esse Majestati DEI, sed statuunt, DEUM existentiæ illius esse caussam, ipsamque ad DEUM se habere sicut argilla ad figulum, vel ferrum ad fabrum, ita ut ex eâ creârit quicquid Ipsi placuerit, modò Cœlos, modò Terram, modò aliquid aliud. Præterea credunt hujus sententiæ patroni, Cœlos esse generabiles & corruptibiles, attamen non esse generatos ex nihilo, neque etiam in nihilum destructum iri: sed, quemadmodum Animantia generantur & corrumpuntur ex materia existente in materiam existentem; ita ad eundem modum Cœlos quoque generari & corrumpi, planéque se illorum generationem & corruptionem habere, sicut cæterorum Entium, quæ sub eis sunt. Insuper etiam in diversas sectas scinduntur, quas omnes, ut & earum opiniones, recensere nunc nihil attinet in hoc libro; quia fundamentum illorum generale tibi indicavi. Atq; hæc fuit ipsius quoq; Platonis sentẽtia, de quo Aristotelem in *Acroamaticis* invenies testantem, quòd crediderit, Cœlos generationi & corruptioni esse obnoxios. Sic & clarissimè hanc ejus sententiam reperire licet in libro ipsius, quem *Timæum* inscripsit. Veruntamen non credit idem nobiscum, (sicut illi, qui non diligenter & attentè sentẽtias considerãt, arbitrantur, unã eandemq; esse ipsius & nostrã sententiam). Nos enim credimus, Cœlos non esse ex re aliqua, sed post simplicẽ & absolutã privationem; ipse vero credit, quòd existant & facti sint ex materia aliqua. Et hæc est secunda sententia.

Plato quomodo crediderit. Cœlum esse generabile & corruptibile.

Tertia

Tertia sententia est Aristotelis, & eorum, qui ipsum sequuntur, librosque ejus Commentariis illustrârunt, hæc videlicet. Primò idem dicit quod præcedentis sententiæ assertores, scilicet; Non posse materiatum quid existere ex immateriato, (h.e. *Ex nihilo non posse aliquid fieri*). Deinde addit & istud; Cœlum non subjectum esse generationi & corruptioni ullo modo. 3. *Aristotelis.*

Declaratio & explicatio hujus sententiæ est hæc. Existimat, totam hanc rerum Universitatem prout est, nunquam non fuisse, nec unquam non futuram sicut est: rem illam stabilem & constantem, quæ non cadit sub generationem & corruptionem, Cœlum videlicet, semper ita extitisse: Tempus & Motum esse æterna ac perpetua, à generatione & corruptione exempta: Sublunaria ista quoque nunquam non ita fuisse, h.e. Materiam primam in substantia sua neque esse generabilem, neque corruptibilem, sed formas successivè illi supervenire, ita ut cùm una recedit, altera accedat; cùm unam exuit, aliam induat: Ordinem istum superiorem & inferiorem nec corrumpi, nec aboleri, neque quicquam in eo innovari, quod vel non est in natura ejus, vel extra analogiam ipsius. Dicit insuper, (licèt non his ipsis verbis; rationabiliter tamen ex sententia ejus id colligi potest); Impossibile esse, ut in Deo mutetur Voluntas, vel innovetur Desiderium: &, Deum totam hanc rerum Universitatem per Voluntatem suam existere fecisse, verùm non actione post privationem, (h.e. *ex nihilo*). Et quemadmodum ex impossibilibus est, ut DEUS non existat, vel substantia ejus mutetur; sic existimat quoque impossibile esse, ut Voluntas DEI mutetur, vel novum aliquod beneplacitum in eo exoriatur. In summa, concludit, Mundum hunc, prout nunc est, ita semper extitisse, & in omnia sæcula futurum esse.

Atque hæ sunt tres illæ sententiæ eorum, quibus per demonstrationem notum est, Mundum hunc DEUM aliquem habere.

Quod verò illos attinet, qui ignorant DEI existentiam, & existimant, Res omnes existere prout casu & per accidens congregantur vel disgregantur: Nullum item esse Mundi gubernatorem vel ordinem, ut Epicurus ac impia ejus turba, illisque similes, prout narrat Alexander, non est necesse illorum sententiam commemorare; quia jam est demonstratum, *DEUM esse*. Nullam autem nobis adfert utilitatem, recensere opiniones illorum, qui sententiam suam ædificant super fundamentum, cujus destructionem & refutationem per demonstrationem certam habemus. Sic oleum & operam perderemus, si vellemus confirmare opinionem secundam, eorum, qui di-

cunt, Cœlos esse generabiles & corruptibiles. Nam credunt Antiquitatem Mundi. Nos verò nullam differentiam ponimus inter eum, qui credit, Cœlum è materia aliqua esse generatum, & in materiam aliquam resolutum iri; & inter eum, qui credit, ut Aristoteles, Cœlum neque generari, neque corrumpi. Summa enim fidei omnium eorum, qui sequuntur Legem Mosis Doctoris nostri p.m., Abrahami item Patriarchæ, & aliorum, qui in viis ipsorum incesserunt, est; Nullam rem esse DEO coævam: &, Non esse Deo impossibile ex privatione (h.e. ex nihilo) aliquid producere, licèt id adhuc sibi quidam imaginentur.

Posteaquàm ergo sententias istas ita enumeravimus, incipiam nunc exponere, quibus rationibus Aristoteles sententiam suam probare & demonstrare nitatur, quidque illum ad eam credendam & amplectendam impulerit.

CAP. XIV.

Rationes Aristotelis pro Antiquitate vel Æternitate Mundi.

NON est necessarium, ut in singulis capitibus repetam, quòd hunc librum non nisi pro te *(Discipule charißime)* composuerim, eò quòd mihi profectus tui in studiis cogniti sint & perspecti; quódque non è re esse ducam, verba ipsa Philosophorum adducere & allegare ubique, sed sensum tantùm illorum. Nolo etiam in his prolixus esse, sed monebo te solùm de viis & rationibus, quibus innituntur, sicut feci in exponendis opinionibus *Loquentium*. Prætereà, nullius habebo rationem nisi Aristotelis; quia, sententiæ ejus consideratu omnium sunt dignisimæ; & quia si responsio solida contra ipsum habeatur, vel per responsiones nostras ostendatur, quòd rationes ejus sint dubiæ, idem etiam, & quidem multò magìs, valere poterit contra omnes alios, qui fundamentis Legis nostræ contradicunt.

Rationes Aristotelis pro Æternitate Mundi, ex natura Mundi.
Prima.

Primò ergo dicit Aristoteles, Motum neque generari, neque corrumpi. Ait enim: Si Motus sit innovatus, & ante omne innovatum præcedat Motus, exitus nempe ejus in actum, & innovatio ejus postquàm non fuit; tùm Motus utique aliquis exister, ille nempe, per quem existit posterior Motus, & per consequens, Motus primus necessariò erit æternus, vel procedet hoc in infinitum. Et secundùm hoc fundamentum dicit quoque, Tempus neque generabile esse, neque

neque corruptibile, quia nempe Tempus Motum sequitur, eiq; adhæret, & nullus Motus nisi in Tempore esse, Tempusq; nonnisi per Motum intelligi potest. Hæc prima est via ejus, ex qua Æternitas Mundi secundùm ipsum concludi potest.

Secunda via. Dicit: Materia prima, quæ communis est quatuor Elementis, est ingenerabilis & incorruptibilis. Quòd si enim Materia prima esset generabilis, sequeretur, illam ex alia materia generatam esse; & hanc materiam generatam esse formatam; quia hæc est natura generationis; Nos autem materiam primam informem statuimus. Propterea si res ita sit, sequitur, illam non esse ex alia materia generatam, sed æternam & non perituram, *(incorruptibilem)*. Atq; hinc etiam ipsius sententiâ sequitur Æternitas Mundi. *Secunda.*

Tertia via. In toto Cœlo, inquit, nulla est contrarietas. Nam in motu circulari nulla est contrarietas, sicut demonstrari potest, verùm in motu recto. Caussa autem corruptionis omnium eorum, quæ corrumpuntur, est contrarietas, quæ illis inest. Posteaquàm ergo in Cœlo nulla est contrarietas, idcircò neque corrumpi potest: quicquid verò non est corruptibile, id neque est generabile. Itaque præsupponit & pro confesso sumit hîc propositiones aliquot, videlicet; *Omne generabile esse corruptibile*; & vicissim, *Omne corruptibile esse generabile*: Item, *Quicquid non generatur, id quoq; non corrumpi*; & vicissim, *Quicquid non corrumpitur, id nec generari.* Et hæc quoque via est, quâ se Æternitatem Mundi confirmare existimat. *Tertia.*

Quarta via. Ante omnem rem innovatam tempore præcedit possibilitas innovationis ejus, sicut & omnem rem, quæ mutatur, tempore præcedit possibilitas mutationis ejus. Et ex hac propositione concludit Aristoteles continuitatem sive perpetuitatem Motûs circularis. Hac item propositione multi alii post Aristotelem Mundi Æternitatem probant, & quidem hoc pacto. Innovatio Mundi, ajunt, antequàm fuit, erat vel possibilis, vel necessaria, vel impossibilis. Si fuit necessaria, tùm utiq; semper extitit: si fuit impossibilis, tùm ne nunc quidem existere potest: si possibilis, quis ergo sustinuit possibilitatem illam? Sanè si ita fuit, non potuit hoc esse sine re aliquâ existente, & possibilitatem illam sustinente, de quâ re dici potuerit, quòd fuerit possibilis. Hæc ratio valida admodùm est ad stabiliendam Mundi Antiquitatem, quam quidam ex recentioribus Sapientibus *Loquentium* solidè admodùm hac distinctione solvisse se arbitrantur, quòd Possibilitas sit in Agente vel Efficiente, non verò in Effecto. Verùm nihil hoc est. Nam duplex est Possibilitas: est *Quarta.*

Possibilitas in re innovata,& est Possibilitas in Efficiente,qui innovavit rem innovatam,antequam innovata fuit. Quare sine dubio, prout dictum,duplex est Possibilitas; Possibilitas in Materia ad ita existendum,& Possibilitas in Efficiente ad ita agendum.

Atque hæ sunt matres viarum, (h.e. *principales viæ seu modi*), quibus insistit Aristoteles ad probandam Æternitatem Mundi,desumptæ ex natura ipsius Mundi.

Aliæ rationes ex Aristotele,petitæ à Dei natura pro Aeternitate Mundi.

Sunt verò & aliæ adhuc viæ,quas quidam ex ejus Philosophia desumpserunt & deprompserunt,quibus Æternitas Mundi probatur ex consideratione DEI Optimi Maximi.

Prima.

Primò ajunt quidam : Si Deus innovavit Mundum post privationem,cùm fuit Deus ante creationem Mundi Efficiens in potentia, & post creationem ejus factus est demùm Efficiens in actu, atque ita exivit Deus de potentia in actum. Quòd si autem hoc ita sit,necessariò in Deo erit aliqua possibilitas,& habebit Deus aliquem,qui eduxit Ipsum de potentia in actum. Hujus rationis solutio difficilis quoque est admodùm,neque facilè πρῶτον ψεῦδος ejus demonstrari potest.

Secunda.

Deinde ajunt : Cùm agens uno tempore operatur,& alio non operatur,evenit illud vel propter Impedientia,vel propter Impellentia, quæ in eo innovantur. Impedientia inferunt ei Intermissionem operis,quod vult; Impellentia verò voluntatem,ut velit,quod antea non volebat. Quandoquidem ergo ejusmodi Impellentia,tanquam Accidentia,quæ voluntatem ejus mutare possent, vel Impedientia aut Retardantia, quæ in eo innoventur vel recedant, in Deo non existunt; idcircò sequitur,Illum haudquaquam uno tempore agere, alio verò non,sed Operationem ejus non minùs quàm Æternitatem semper in actu existere.

Tertia.

Tertiò dicunt : Omnia Dei opera sunt perfectissima,nihilque habent vel Imperfecti, vel Otiosi, vel Superflui. Hanc rationem frequentissimè adducit & laudat Aristoteles, dicendo ; Naturam esse sapientem,neque quicquam facere frustrà,sed omnia in eâ,quam res habere possunt,esse perfectione.

Hinc inferunt : Mundus hic est in summa, quam habere potest, perfectione,neque majorem aut meliorem habere potest : itaque necesse est,illum semper fuisse,quia Sapientia Ejus *(qui creavit eum)*, ut ejusdem Substantia, est æterna. Substantia enim ejus nihil aliud est quàm Sapientia ejus,quæ Existentiam huic Mundo dedit.

Ex his allatis fundamentis & argumentis omnia reliqua originem

nem trahunt, quæ apud quoscunque alios invenies, qui credunt Æternitatem Mundi, & ad illa referri possunt.

Sed porrò ex inconvenienti & absurdo sic argumentantur: Quomodo fieri potest, ut Creator ille excellentissimus fuerit otiosus & nihil omninò fecerit, nihilque æternum innovârit, cùm Existentia ejus sit æterna & infinita; sed ab hesterno quasi tantùm die Mundũ hunc condiderit? Quamvis enim exempli gratiâ diceres, DEUM multos Mundos creâsse ante istum, & quidem tot, quot grana sinapis tota Sphæra suprema potest capere, & quemlibet totidem annis stetisse; perinde tamen hoc esset ad existentiam DEI infinitam, ac si diceres, DEUM heri creâsse Mundum. Nam cùm ponis initium Existentię post privationem, nil interest, sive illud ad centum-mille annos, sive ad tempus aliquod brevissimum referas. Hoc ergo quoq; refugiunt & rejiciunt, qui credunt Æternitatem Mundi.

Argumentũ ab absurdo pro Aeternitate Mundi.

Tandem argumentantur ex omnium in Mundo nationum generali confessione & consensu: Quia enim universalis omnium hic sit consensus, ideò hinc sequi, Rem istam esse naturalem, non ex institutione. Sic ait Aristoteles; Omnes in Mundo homines apertè profiteri continuationem & perpetuitatem Cœli: & quia illud statuerint ingenerabile & incorruptibile, ideò etiam ab illis electum esse pro Habitaculo DEI Opt. Max. & Spirituum, h.e. Angelorum: hosq; vicissim illis (*DEO & Spiritibus* sc.) attribuisse, ut docerent de Continuatione vel Perpetuitate ejus, (h.e. *Cœli*). Atq; hujus generis alia plura pro sententiæ suæ confirmatione adducit.

Vide Arist. l. 1. de Cœlo c. 3.

Vide eund. l. 2. de Cœl. c. 1.

CAP. XV.

Rationes Aristotelis pro Æternitate Mundi non esse demonstrativas.

SCOPUS meus in hoc capite est, ostendere, Aristotelem ipsum nõ existimâsse, se demonstrationes habere pro Æternitate Mundi, neq; hac in parte falsum fuisse: h.e. quòd Aristoteles ipsemet probè sciverit, se nullam in hoc argumento posse demonstrationem afferre; & rationes probationesque suas, quas adducit, probabiles tantùm, ac magis acceptabiles & plausibiles, minusque dubias esse, ut opinatur Alexander. Nemo enim cogitare debet de Aristotele, quòd crediderit, has suas rationes esse demonstrativas; Nam Aristoteles ipse alias docuit vias, modos & conditiones demonstrationis. Id autem, quod me ad hunc sermonem impulit, est, quòd recentiores, qui Aristo-

Aristotelem non credidisse, rationes suas pro Aeternitate Mundi esse demonstrativas.

Aristotelem sequuntur, existimant, Aristotelem demonstrativè probâsse Æternitatem Mundi; immò quòd viderim, multos, qui Philosophiâ se egregiè imbutos esse arbitrantur, acceptare ab Aristotele hanc quæstionem, & putare, quæcunq; in medium proferunt, simplices & absolutas esse demonstrationes, atque ideò flagitium esse censent, ab Aristotele dissentire, vel de eo cogitare, quòd aliquid ipsi fuerit absconditum, aut quòd in re aliqua errârit. Proinde visum est mihi illorum sententiam examinare, illisq; ostendere, Aristotelem ipsum non gloriatum fuisse de argumentis demonstrativis in hac controversia.

lib.8.Physic.c.1. Hinc enim ait in libro *de Auditu*; Omnes Physicos, qui ipsum præcesserunt, credidisse, Motum esse ingenerabilem & incorruptibilem, excepto Platone, qui credidit, non solùm Motum esse generabilem & corruptibilem, sed & Cœlum tale esse. Quòd si autem arbitratus esset, hanc quæstionem per demonstrationes absolutas claram & evidentem esse, sanè non fundâsset eam in consensu & opinione illorum, qui ipsum in Physicis præcesserunt, neq; necesse fuisset, ut illa diceret, quæ eo in loco affert, ad refutationem eorum, qui ipsi contradicunt. Quicquid enim per demonstrationem probari potest, illius veritati neque per omnium in universum Sapientum consensum aliquid accedit, neque per omnium totius Mundi hominum dissensionem quicquam decedit.

Præterea, invenies Aristotelem in libro *de Cœlo & Mundo*, cùm incipit explicare, quòd Cœli neque sint generabiles, neque corruptibiles, in hunc sensum scribere; *Volumus nunc quoque investigare de Cœlis, & dicemus, an ex materia aliqua sint generati, nec'ne? &, an cadant vel non cadant sub generationem & corruptionem?* Hac quæstione sic propositâ, adducturum se ait priùs objectiones eorum, qui defendunt, Cœlum esse generabile & corruptibile. Posteà profert alia, & in hunc sensum porrò scribit: *Si faciamus hoc, sententia nostra apud sanâ mente præditos magis erit acceptabilis & plausibilis; si inquam priùs audiantur rationes Adversariorum. Nam si nostram tantùm sententiam proferamus, nostrasq; rationes, & non simul rationes Adversariorum, minùs facilè recipietur ab Auditoribus. Præterea decet eum, qui de veritate judicare vult, non esse osorem & adversarium aliter sentientis vel contradicentis; sed æquum arbitrum, qui & veritatem ingenuè confiteatur, & de rationibus Adversariorum ita judicet, ut sibi ipsi judicari vellet, si sua essent* (vel, ut judicarer, si suæ essent). Hæc est summa & sensus verborum Aristotelis.

Respicit ad initium cap.10.l.1. de Cœlo.

Vos, qui intelligentes estis, appello nunc, an ulla caussa vel culpa rema-

remaneat in isto viro post hanc citatam ejus præfationem? & an quispiam cogitare possit, saltèm in mentem ipsi venisse, se demonstrationes in hac quæstione producere? an denique quis imaginari sibi possit, vel an credibile sit, Aristotelem potuisse sibi imaginari, rem quampiam, quæ demonstrativè probari potest, minùs acceptabilem esse, nisi etiam proferantur rationes Adversariorum? Prætereà, dum hanc suam sententiam, *Opinionem*, & probationes suas, *Rationes* appellat, an credibile est, Aristotelem ignorâsse differentiam inter *Rationes*, & inter *Demonstrationes:* inter Opiniones, quæ facilè vel difficulter recipiuntur, & inter Res demonstrativas? An denique necessaria fuissent in demonstratione, quæ de confessione veritatis erga Adversarium & confirmatione sententiæ illius subjicit? Nequaquam. Verùm tota ejus intentio hûc est directa, ut ostendat, sententiam & opinionem suam rectiorem esse opinione Adversariorum suorum, qui dicunt, Philosophiam ipsam hûc nos ducere, ut credamus, Cœlos generationi & corruptioni esse subjectos, sed tamen nunquam privatos, (h.e. *nunquam non extitisse*), neque genitos fuisse, neque unquam interituros: vel etiam aliorum, qui alias sententias tuentur. Et hoc verissimum ac extra omne dubium est. Nam opinio ejus propiùs accedit ad veritatem, quàm opiniones illorum, secundùm modum argumentandi ex natura Rerum jam existentium. Nos autem non ita credimus, (h.e. *non existimamus, rationes petendas esse ex natura Rerum existentium*), sicut explicabo. At progressu temporis, non solùm alias sectas, sed & ipsam Philosophiam invasit licentia & audacia quædam, ita ut voluerint asseverare & tueri, Aristotelem demonstrativè hanc quæstionem probâsse. Scilicet ipsorum sententiâ demonstrationes attulit, semet ipso non animadvertente, donec posteri ejus id deprehenderunt. Ego verò pro certo & indubitato habeo, Aristoteli nunquam in mentem venisse, quòd ista, quæ affert in hoc argumento, de Æternitate videlicet Mundi, de caussa varietatis motûs Sphærarum, & ordine Intelligentiarum, sint demonstrationes, neque ea unquam pro talibus habuisse: sed, quemadmodum ipse ait, sensisse, Portas faciendi probationes de talibus rebus nobis esse clausas, neque principium nos habere, cui inniti, & unde argumentationem petere possimus. Sic enim alicubi scribit; *Καὶ περὶ ὧν λόγον μὴ ἔχομεν ὄντων μεγάλων, χαλεπὸν οἰόμενοι εἶναι τὸ διὰ τί ἀποδοῦναι οἷον πότερον ὁ κόσμος ἀΐδιος ἢ οὔ.* Topic. lib. 1. c. 9.

Neque obest, quòd, ut nôsti, aliter hunc locum exponat *Abunazar*, quomodo videlicet nullo modo admittat, quòd Aristoteles dubitârit

de Æternitate Mundi, & quomodo irrideat Galenum, qui scribit, hanc quæstionem esse dubiam, neque per demonstrationem probari posse. Opinatus est enim ipse, manifestissimum esse, & per demonstrationes ostendi posse, quòd Cœli sint æterni, Sublunaria verò generabilia & corruptibilia. Summa; Sententia ista quidem per ea, quæ in hoc capite allata sunt, neque stabilitur, neque tollitur, neque dubia redditur: voluimus tamen ea afferre, propter multos, qui, sibi imaginantes, se doctos & eruditos esse admodùm, cùm tamen nihil sciant, definitivam pronuntiant sententiam pro Æternitate Mundi, quam acceperunt ab aliis hac eâdem opinione imbutis, & testimonia omnia Prophetarum rejiciunt, eò quòd non didacticè vel scholasticè illa sint proposita, sed per viam narrationis sub DEI persona & nomine: nam illâ viâ diriguntur tantùm singulares & intellectum perfectum habentes.

Id verò, quod nos sentimus & secundùm Legem nostram tueri conamur de Novitate Mundi, in sequentibus capitibus exponemus.

CAP. XVI.

Exponit Author in genere, quid ipse sentiat de rationibus Aristotelis, & quo ordine illas sit refutaturus, sententiamq; suam defensurus.

IN hoc capite exponam tibi primò id, quod ego in hac quæstione credo; deinde adducam probationes & rationes sententiæ meæ, quam defendo.

Dico ergo, quicquid dicant illi ex *Loquentibus*, qui existimant, se demonstrationes attulisse pro Novitate Mundi, me nequaquam rationes illas approbare, neq; unquam ita deceptum iri, ut fallacias & sophismata illorum pro demonstrationibus agnoscam: illos prætereà, qui gloriantur, se demonstrationes conficere in quæstione aliqua per fallacias, nequaquam robur afferre, & fidem acquirere τῷ ζητουμένῳ, sed potiùs illud debilitare, & occasionem ad contradicendum præbere, (quando enim defectus & infirmitas rationum illarum detegitur, tùm anima debilitatur ad fidem adhibendam illi rei, de qua probationes adferuntur); & longè satius esse, ut res illa, de qua nulla demonstratio affertur, in quæstione vel in dubio remaneat,

neat, & aliquod extremum duorum contrariorum, quod magis congruum & conveniens videtur, recipiatur. De viis autem & rationibus *Loquentium*, quibus Novitatem Mundi probant, alibi egi, & simul quoque de iis, quæ objici contra illas possunt, monui. *part.1.c.75.*

Ita dico de rationibus, quas Aristoteles & asseclæ ipsius afferunt pro Novitate Mundi, nec illas esse demonstrativas, sed dialecticas, quæ multa adhuc & magna habent dubia, sicut audies.

Quod ego itaque hac in parte adstruere conabor, hûc redit; Quòd, ut Lex nostra sentit, non sit impossibile, Mundum esse novum; & quòd rationes illæ, quæ aliter docere videntur, multas adhuc admittant exceptiones, quæ impediunt, quò minùs damnum & detrimentum sententiæ nostræ inferre possint: & cùm hoc probavero & demonstravero, quòd videlicet possibilis sit Novitas Mundi, quæ recipitur à me ex parte Prophetiæ, (quæ non rarò explicat res, ad quas viribus ingenii humani pervenire esset impossibile; sicut ostendam, Prophetiam non tolli etiam juxta eorum sententiam, qui tuentur Antiquitatem Mundi): cùm inqu.m probabilitatem sententiæ hujus nostræ demonstravero, incipiam explicare, quantum præponderet & prævaleat aliis, per rationes speculativas; h.e. quantum nostra sententia de Novitate Mundi præponderet alteri de Antiquitate Mundi: ostendam etiam, quòd, sicuti ex sententia nostra de Novitate Mundi inconveniens & absurdi quid sequi videtur; sic longè majus sequatur ex sententia de Antiquitate Mundi. Nunc ergo docebo viam quandam, quâ refelluntur rationes eorum, qui stant pro Antiquitate Mundi.

CAP. XVII.

In quo refutat Argumenta Aristotelis, pro Æternitate Mundi, quæ desumpta sunt ex natura ipsius Mundi.

OMNE Innovatum generatum est postquàm non fuit: ac si materia ejus extiterit, sed unam formam exuerit, & aliā induerit, alia est etiam ejus natura post innovationem, perfectionē & quietem ejus, quàm eo tempore, quo generabatur & incipiebat exire de potentia in actum; alia etiam, quàm fuit priusquàm ad exeundum in actum moveretur. E. G. Alia est natura seminis muliebris, dum adhuc est sanguis in matrice, quàm tempore conceptionis, quando concurrit semen virile, & moveri incipit; alia item eo tempore est ejus *Alia est natura rerum, quando perfectæ sunt, quàm tempore generationis illarum.*

natura, quàm post partum, cùm est animal perfectum. Neque argumentari licet ullo modo à natura rei alicujus, post illius generationem, perfectionem, & firmam subsistentiam in perfectione sua, ad naturam ejus eo tempore, quo movebatur ad generationem: neque etiam argumentum deduci potest à natura illius tempore motionis, ad naturam ejus, antequàm incepit moveri. Quòd si verò hîc erras, & argumentari vis à natura alicujus rei in actu existentis, ad naturam ejus existentis adhuc in potentia, plurima tibi orientur dubia & absurda, ut pro falsis habeas ea, quæ vera sunt, & vice versâ pro veris ea, quæ falsa. Illustrabo rem exemplo. Sit Vir quidam perfectissimo & accuratissimo natus ingenio & intellectu naturali, cujus mater, posteaquàm per paucos menses ipsum lactâsset, mortua sit; pater verò solus ipsum in quadam insulâ ab omnium hominum societate remotâ & separatâ educârit, donec adolevit & intellectû ac judicium adeptus est: puer autem nullam unquam viderit mulierem, nec ullam ex brutis animantibus fœmellam. Quærit proinde hic puer ex Viro sibi adjuncto; quomodo & quâ quæso ratione facti sumus, existentiamque nostram accepimus? Respondet interrogatus ille, Unusquisque nostrûm generatur in ventre cujusdam Individui speciei nostræ nobis simillimi, quod *Fœmina* vocatur, & talis est figuræ vel talis. In ventre autem existentes, exiguum admodùm primò corpusculum habemus, movemur, nutrimur, & paullatim crescimus ac vivimus, donec ad certam quandam magnitudinem pervenimus; tùm aperitur inferiùs in corpore porta quædam, per quam eximus, nec tamen posteà crescere desinimus, usque-dum ad hanc circiter, quâ nos vides, quantitatem pertingimus. Puer ille orbus necessariò statim iterum quæret; Dum ita parvi fuimus in ventre, ibi viximus, nos movimus, & crevimus, an quoque comedimus, bibimus, & per os ac nares respiravimus? an excrementa ejecimus? Si respondetur ei, quòd non; ipse sine dubio hoc incipiet negare, & demonstrationes exstruere ex impossibilibus, argumentando ab Ente perfecto, & dicet; Quilibet nostrûm, si vel per unicam horam careat respiratione, mori cogitur, & omnes ejus motus cessant; quomodo ergo credi potest, aliquem in utero, clauso undique, circumdato, & in medio corporis existente, per tot menses vivere & se movere posse? Quòd si quis deglutiat aviculam, mori cogitur avicula illa, quam-primùm in stomachum descendit; quantò magis ergo, si quis existat in infimo ventre? Si quis per paucos saltèm dies nihil comedat, neq; bibat, sine dubio mori cogitur;

Non licet argumentari à natura rei in actu, ad naturam ejusdem in potentia existentis.

tur; quomodo tot menses sine cibo & potu superstes manere potest? Præterea, si quis comedat & intra aliquot dies nihil egerat, præ dolore mori cogitur; quomodo ergo vivere potest per tot menses sine egestione? Quòd si nobis venter perforaretur, intra perpaucos dies mori cogeremur; quomodo ergo fieri potest, ut embryonis in utero umbilicus sit apertus? quomodo fieri potest, ut nunquam oculos suos aperiat, os suum distendat, pedes extendat, cùm omnia membra sint perfecta & sana, sicut existimatis? Ita concludet tandem, impossibile esse, ut hoc pacto Homo generetur.

Animadverte, Lector benevole, & considera probè hoc exemplũ, & invenies, eodem omninò modo se habere negotium nostrum cum Aristotele. Nos enim, qui sequimur Mosen Doctorem, & Abrahamum Patrem nostrum pp.mm., credimus, tali formâ vel ex tali materiâ Mundum esse generatum; hoc item vel illo tempore, aut ordine creatum. Venit Aristoteles ad nos refutandum, & argumenta adducit ex natura hujus Entis (h. e. *Mundi*) perfecti, & in actu existentis; Nos verò cõfitemur & concedimus, quòd longè aliter nunc se habeat in perfectione & absoluta constitutione sua, quàm eo tempore, quo generabatur, & quo post meram privationem incepit existere. Et omnes ejus rationes & objectiones, quas adfert, feriunt illos tantùm, qui dicunt, Naturam hujus Mundi existentis docere & arguere de Novitate ejus. Ego verò jam protestatus sum, me hoc non asserere.

Sed revertor ad indicandum tibi fundamenta rationum ejus, & ostendendum, quòd nihil quicquam nos lædant; quia statuimus, DEUM universum Mundum creâsse post privationem, & donec, ut nunc eum vides, perfectus fuit, generâsse.

Dicit, *Materiam primam neq; esse generabilem, neq; corruptibilem; & ex rebus generabilibus & corruptibilibus probare hoc conatur, impoßibilitatemq; ejus demonstrare.*

At nos-ipsi verissimum hoc esse dicimus. Non enim statuimus, Materiam primam generari, sicut generatur Homo ex semine; aut corrumpi, sicut corrumpitur Homo in pulverẽ; sed dicimus, DEUM Opt. Max. ex nihilo eam creâsse, & ex ea, prout est postquam esse cœpit, generari omnia, in eamq; iterũ corrumpi & resolvi, quæcunq; ex ea generantur, formâ destitutam illam nunquam inveniri, ad ipsam deniq; omnem generationem & corruptionem tandem pertingere, neq; tamen generari prout ea, quę ex illa generantur, neque corrumpi sicut ea, quę in illam corrumpuntur & resolvuntur, sed creatá esse à

An materia prima sit generabilis & corruptibilis?

DEO, & ab eodem iterum in nihilum poſſe redigi, quando ipſi viſum fuerit.

Sic de Motu (ex cujus natura ibidem argumentatus eſt Ariſtoteles pro *ἀγεννησίας* & *ἀφθαρσίας* ejus) dicimus, rem eſſe veriſsimam. Nam poſteaquàm exiſtit motus in hac natura, quam nunc habet, non eſt veroſimile, illum generari & corrumpi generatione & corruptione univerſali, ſicut generantur & corrumpuntur motus particulares. Atque eadem ratio eſt omnium eorum, quæ ſequuntur naturam Motûs.

Ita de Motu circulari veriſsimum eſſe dicimus, illum non habere principium. Poſt exiſtentiam enim corporis ſphærici, quod movetur circulariter, non poſſumus mente aſſequi principium motûs illius.

Eodem modo dicimus de Poſsibilitate, quæ neceſſariò in omni eo, quod generatur, præcedit, quòd illa neceſſaria ſit in Ente hoc firmiter jam ſubſiſtente, (h.e. *in Mundo hoc jam ſubſiſtente*), in quo quicquid generatur, neceſſariò ex alio exiſtente generatur. Verùm de re, quæ creata eſt ex privatione *(nihilo)*, nihil neque in ſenſibus, neque in intellectu inveniri poteſt, propter quod poſsibilitatem in illa præcedere cogitari poſſet.

Sic dicimus de Generatione Cœli, nihil contrarium ei ineſſe, & pro veriſsimo id agnoſcimus; ſed negamus, Cœlum generatum eſſe ſicut generatur Equus vel Palma; negamus etiam, corruptionem ſequi compoſitionem ejus, ſicut in Plantis & Animalibus propter contrarietatem, quæ illis ineſt. Fundamentum hujus rei eſt id, quod jam poſuimus, rationem Entis in perfectione ſua exiſtentis non docere de ratione illius ante ejus perfectionem. Sic nihil abſurdi ſecundùm nos eſt, ſi quis dicat, Cœlum generatum eſſe ante Terram; vel, Terram ante Cœlum; aut, Cœlos fuiſſe ſine Stellis; vel, ſpeciem unā Animantium ſine altera. Nam omnia hæc facta eſſe, intelligi poſſunt in Tempore generationis hujus Univerſi, quemadmodum in Tempore generationis Animalis, priùs generatur cor quàm teſticuli, (ſicut ad oculum videre licet), & nervi priùs quàm oſſa; licèt poſt perfectionem ejus non reperiatur ullum eorum membrorum, ſine quibus Animal ſubſiſtere nequit, abſque altero. Quin-imò neceſſarium eſt, ut hæc omnia ita ſe habeant, ſi capiatur Scriptura ſecundùm ſenſum ſuum literalem, licèt in rei veritate non ita ſit, ſicut alibi
part.2.c.30. explicabitur, ubi pluribus de hac re agemus. Neceſſarium enim eſt, ut hac de re admonearis, quæ eſt veluti murus aheneus, quem circa

Legem

Legem exſtruxi, ut eam circumdet, & ab omni violentia cuſtodiat, *(de verbo ad verbum, & impediat lapidem omnium in eam projicientium.)*

Quòd ſi Ariſtoteles, ſive alius quis, qui ſententiam ejus tuetur, nobis objiciat, & dicat; *Quandoquidem hoc Ens* (Mundus) *nihil docet nos, neq; probationem ex eo deſumere poſſumus; quomodo nôſtis vos, quòd ſit generatum, & quòd alia Natura generârit illud?* Dicemus, quòd nos hoc loco ad id reſpondere non teneamur; quia noſtrum propoſitum hîc non eſt, ſtabilire Novitatem Mundi, ſed oſtendere tantùm, poſsibile eſſe ut Mundus ſit novus, neque hanc ſententiam everti rationibus à Natura rerum exiſtentium petiris, cùm nos illis non contradicamus; & cùm hoc à nobis confirmatum fuerit, exponere, quomodo hæc ſententia de Novitate Mundi præponderet ſententiæ de Æternitate.

Nunc itaque nihil aliud in hac materia ſupereſt, niſi ut adferantur & producantur rationes, contra Novitatem Mundi, deſumtæ, non ex natura Rerum exiſtentium, ſed ex Intellectu, à Natura videlicet DEI. Et hæ ſunt tres illæ viæ, quarum in præcedentibus jam mentionem feci, in quibus pro Antiquitate Mundi pugnant ex conſideratione DEI Opt. Max. Oſtendam ergo jam tibi modos, per quos illas in dubium vocare potes, ita ut omnem ſuam vim & veritatem amittant; idq; in capite proximè ſequente.

CAP. XIIX.

In quo refutat Argumenta Ariſtotelis pro Æternitate Mundi, deſumpta ex conſideratione Creatoris.

PRIMA via, quâ contra nos procedunt, hæc eſt, *quòd* (opinione ſc. ipſorum) *ſequatur, DEUM exire de potentia in actum, ſi uno tempore dicatur operari, & alio non.* *Argumentũ primũ contra Novitatem Mundi, ex conſideratione Creatoris.*

Sed confutatio hujus rationis facilis & manifeſta admodùm eſt; quòd videlicet hoc ſequatur in iis, quæ compoſita ſunt ex materia poſsibilitatem habente, & ex forma. Nam cùm corpus tale in formam ſuam agit poſteaquàm non egit in eam, ſine dubio Actio fuit in eo potentiâ, & exivit deinde in actum, aliquemq; neceſſariò Eductorem habet. Hæc enim propoſitio demonſtrativè probari poteſt de rebus materiatis. Verùm quod attinet Ens Incorporeum & Immateriatum, in ejus ſubſtantia poſsibilitas nullum locum habet, ſed *Refutatio.*

actu

actu ei inest,quicquid habet. Neque vel ex necessitate aliqua,vel impedimento & impossibilitate est,quòd uno tempore agit,altero verò non: nullam etiam in natura Abstracti mutationem hoc arguit. Nam secundùm Aristotelem,& eos,qui sequuntur ipsum,Intellectus agens etiam,qui Abstractus est,uno tempore agit,& altero non,sicut explicat *Abunazar* in libro suo *de Intellectu*,in hunc sensum scribens: *Palàm est,quòd Intellectus agens non semper agat & operetur,sed uno tempore operatur,altero verò non.* Hæc sunt verba ejus,& quidem verissimè dicta. Et tamen,licèt ita sentiat,non dicit,quòd Intellectus agens mutetur,vel de potentia in actum exeat,cùm uno tempore aliquid facit,quod priùs non fecerat: nam nulla est inter Corpora & inter Incorporea,neq; tempore Actionis,neq; tempore Cessationis ab agendo,proportio vel similitudo. Verùm Actio dicitur æquivocè de Formis,quæ in Materia sustinentur,& de Abstractis. Ideoq; ex eo,quòd Abstractũ non operatur uno tempore,quod operatur alio,non sequitur,quòd idcircò exeat de potentia in actum, sicut se res habet in formis,quæ sustinentur in materiis.

Quòd si verò quis existimet,fallaciam aliquam hîc subesse,& dicat; Quòd Intellectus agens uno tempore operetur,alio verò non; id fieri, non propter rem quampiam in ejus substantia, sed propter dispositionem materiarum : operationem autem ejus manere perpetuam erga quidvis , quod aptum & idoneum est ad eam recipiendam;&,si eam aliquid impediat,id esse à dispositione materiali,non verò ab ipso Intellectu. Ei respondemus, Intentionem nostram non esse, indicare caussam,propter quam Creator uno tempore agit, & alio non. Neq; ideò hoc exemplum adduximus ab Intellectu agente,quòd dicamus,quemadmodum Intellectus agens operatur uno tempore, & non operatur alio, ac separatus est; sic quoque DEUM Opt.Max. Nequaquam enim hoc dicimus; neq; etiam hoc affirmare vel concludere voluimus; &,si fecissemus,sophisticè & fallaciter egissemus; sed hoc concludere & evincere voluimus,quòd licèt Intellectus agens,qui neq; corpus est,neq; potentia in corpore,uno tempore agat,alio verò non,quicquid deinde in caussa sit; nequaquam tamen de eo dici possit,quòd de potentia in actum exeat,vel quòd in ipso sit possibilitas aliqua,vel deniq; quòd opus habeat Eductore,qui educat illum de potentia in actũ. Atq; ita depulsum est à nobis dubium istud magnũ,quod movẽt nobis ii,qui certant pro Antiquitate Mundi: quòd videlicet,cùm DEUM credamus neque corpus esse, neque potentiam in corpore; non sequatur
in

in eo mutatio aliqua ex eo, quod operatur postquàm non operatus est.

Secunda via vel ratio, ex qua evincere volunt Antiquitatẽ Mundi, *desumpta est ab* Impellentibus, Innovatis & Impedientibus, quæ ipsorum opinione in DEO fore necesse esset, si nostra sententia esset vera. *Secundum argumentum.*

Hujus objectionis solutio difficilis & subtilis admodùm est. Sed audi eam. Omne Agens voluntarium, quod facit actiones suas propter aliud quid, necessariò agit uno tempore, & nõ agit alio propter Impedientia, vel propter Innovata, vel propter Impellentia quædam. Sic verbi gratiâ, Homo aliquis vult habere domum, sed non ædificat eam propter Impedientia quædam, ut, quòd materia requisita non præstò sit; vel si materia adsit, non possit formam accipere ob defectum instrumentorum; & si hæc omnia, materia videlicet & instrumenta, adsint, fieri tamen potest, ut non ædificet eam, eò quòd, cùm domo non indigeat, eam ædificare nolit: quando verò innovata quædam innovantur, (h. e. *novæ mutationes oriuntur*), ut calor, frigus, vel alia, quæ ipsum impellunt ad quærendum refugium & habitaculum, tùm volet ædificare. Ex hoc exemplo apparet, quòd Innovationes mutent voluntatem, & Impediméta vel Impedientia resistant ei, ut propter illa non possit operationem suam perficere. Et hæc omnia verissima sunt, si fiant actiones propter rem quampiam extra ipsam voluntatem; verùm quando Agens nullum omninò finem habet, sed simpliciter & solùm sequitur voluntatem suam, tùm voluntas illa nequaquam indiget impellentibus; & licèt volens nulla habeat impedientia, non tamen sequitur, quòd semper agat; quia nullus ibi est finis egrediens, propter quem agit, & propter quem tenetur quasi agere, cùm nulla ipsi obstant impedimenta; quia simpliciter suam sequitur voluntatem. *Solutio.*

Si quis instet; Hæc quidem omnia vera sunt, attamen cùm uno tempore vult, alio autem non vult, an non hæc est mutatio? Respondemus; Nequaquam. Veritas enim & quidditas Voluntatis hæc est, ut velit, vel non velit: quòd si Voluntas illa sit in Ente materiato, quod finem aliquem externum quærit, tùm mutatur Voluntas pro ratione Impedientium & Innovatorum: sed Voluntas Entis abstracti, quę non est propter ullam aliam rem, non mutatur; neq; substantiæ ejus mutationem infert, quòd hodiè rem quampiam vult, cras verò aliam; neq; cogimur hîc aliam rationem reddere, sicuti nec ejus, quod diximus, licèt uno tempore agat, alio verò non, id nullam mutationem in ipso evincere. Proinde liquet hinc, quòd Voluntas æquivocè

dicatur de Voluntate nostrâ & de Voluntate abstracti, neq; ulla inter illas sit similitudo.

Atque ita solvimus quoque istam objectionem, & ostendimus, quòd nihil falsi nobis ex illa sequatur; id quod demonstrare conati fuimus.

Tertium argumentum. Tertia via: *Quicquid exivit, id Sapientia Dei fecit ut exiret. Sapientia autem ejus cum ipsius substantia est æterna. Aeternum proinde, quicquid ex illa sequitur.*

Solutio. Sed hæc consequentia debilis & infirma est admodùm. Quemadmodum enim non intelligimus Sapientiam ejus, quæ fecit, ut sint novem, & non plures, nec pauciores Orbes, tot & non plures, nec pauciores Stellæ, & illæ hujus magnitudinis, non majores, nec minores: sic ignoramus & non intelligimus Sapientiam ejus, cur hæc omnia existere fecerit postquàm non fuerunt longo antè tempore. Omnia hæc etenim sequuntur Sapientiam ejus perpetuam, quæ non mutatur, (sed nos modum & rationem Sapientiæ illius ignoramus ignorantiâ merâ, purâ-putâ), quemadmodum & in nobis quoque Voluntas sequitur Sapientiam. Substantia autem ac Sapientia ejus sunt unum & idem, quia nos nulla attributa credimus, quemadmodum multa de hac re audies, cùm de Providentia DEI agemus, ex quibus absurdum istud concidet ac corruet.

Quod verò attinet id, quod addit Aristoteles; *quòd Gentes omnes inde à cunctis sæculis hoc credant, quòd Angeli & Deus ipse in Cœlis habitent,* quemadmodum id & Scriptura Sacra videtur asserere; id nihil omninò facit ad probandam Æternitatem Mundi, sicut arbitratur; sed dictum id est ad probandum, quòd Cœli nos doceant de existentia Intelligentiarum separatarum, (quę sunt Spiritus & Angeli), & hæ de existentia DEI, motoris & gubernatoris illarum; quemadmodum ostendam & palàm faciam, nos nullam probationem ita firmam habere de existentia DEI, atque eam, quam ex Cœlorum natura petimus, ut qui secundùm Philosophos quoque docent de existentia & incorporeitate Motoris ipsorum, sicut alibi ostendimus.

Posteaquàm ergo tibi demonstravi possibilitatem sententiæ nostræ, quódque illa nequaquam sit impossibilis, sicut arbitrantur ii, qui disputant pro Æternitate Mundi: venio nunc ad ostendendum, quantum sententia nostra præponderet per speculationem; quanta item absurda & inconvenientia sequantur ex sententia contraria, idq; in capitibus sequentibus.

CAP.

CAP. XIX.

In quo probat, quòd Mundus hic ipse doceat, quòd sit ex intentione Intendentis.

OSTENSUM tibi jam est ex sententia Aristotelis, & reliquorum, qui credunt Æternitatem Mundi, quòd statuant, totam hanc rerum Existentiam à DEO necessariò esse & promanâsse, DEUM esse *caussam*, & Mundum *Caussatum* seu *Effectum*, atque ita necessariò sequi. Et quemadmodum non dicitur de DEO, cur existat, vel cur sic existat, h.e. cur unus sit & incorporeus? sic non dici de Mundo hoc toto, cur existat, vel quomodo sic existat? eò quòd hæc necessaria sint & sic sequantur ex ordine Caussæ & Effecti, neq; possibilis sit in illis Privatio, aut Mutatio ejus, quam habent, constitutionis. Proinde sequitur ex hac sententia, Omnes res necessariò in sua natura perpetuò permanere, neque ullam rem in natura sua mutari; ac per consequens, impossibilis est secundùm illam, Entis alicujus à natura sua mutatio, neque sunt (siquidem ita res habeat) res istæ universæ ex intentione Intendentis, (DEI sc.), qui voluerit & liberè elegerit, ut ita existant. Nam si sint ex intentione Intendentis, tùm non extiterunt ante intentionem ejus. Nostrâ verò sententiâ sunt ex intentione Intendentis, non autem ex necessitate, & potest illas Intendens mutare, intentionemque aliam intendere, sed non præcisè quamvis; quia natura impossibilium firma est, neque ullo modo abrogari potest, sicut explicabimus.

Meum igitur propositum in hoc capite est, rationibus demonstrationi propinquis ostendere, Mundum hunc ipsum docere nos de eo, quòd sit ex intentione Intendentis, nec tamen me onerare illis rebus, in quibus laborant *Loquentes*; Abolitione sc. vel Sublatione naturæ rerum existentium, Sententiâ illâ de Atomis, & continuâ creatione Accidentium, aliisque ipsorum fundamentis, quæ tibi exposui *part.1.c.73.* Noli enim existimare, quasi illi idem dicerent, quod ego. Conantur quidem idem præstare, quod ego; in hoc nullum est dubium, & dicunt quoq; ea, quæ ego dico, illaq; probare nituntur: sed nullam illi statuunt esse differentiam, sive Planta aliqua appropriata dicatur esse in Rubedine sine Albedine, vel in Dulcedine sine Amaritudine: aut, si Cœlis appropprietur figura rotunda sine quadrata vel triangulari, (h.e. *Omnes rerum proprietates tollunt, & perinde esse ducunt, sive Plantæ alicui hoc sive aliud dicatur esse proprium; sive dicatur,*

proprietatem Cœli esse, ut sit rotundum, sive non, &c.) & hæc stabiliunt per suas hypotheses, quas nôsti: ego verò proprietatem Entium, prout fieri decet, per principia Philosophica, ex ipsa Rerum natura desumpta, stabiliam.

Hanc autem viam meam explicare incipiam, postquàm hoc præmisero, quod Materia *(prima)* communis sit omnibus rebus, quæ mutantur; & quòd impossibile sit, ut non sit alia caussa præter hanc materiam, quæ faciat, ut quędam hanc, quædam verò aliam formam habeant; vel caussæ plures, secundùm numerum earum rerum, quæ mutantur. Et in hoc consentiunt unanimiter omnes, tàm ii, qui Antiquitatem, quàm illi, qui Novitatem credunt.

Quòd hic Mundus ipse doceat, quòd sit ex intentione Intendentis.

Pręmissâ igitur hac hypothesi, explicabo mentem & intentionem meam per Quæstiones & Responsiones ad eas ex mente Aristotelis.

Quæro itaque ex Aristotele, & dico; Demonstrationem fecisti nobis, quòd una sit communis materia omnium eorum, quæ sunt sub sphęra Lunæ; si ita sit, quæ'nam est caussa, quòd tàm variæ sint species Entium? & quæ caussa est varietatis in Individuis uniuscujusque speciei?

Respondebit nobis; Caussa diversitatis est varietas temperamenti eorum, quæ ex illa materia sunt composita. Materia enim illa communis primò recipit quatuor formas, & unamquamque formam illarum comitantur duæ qualitates, & in istis quatuor qualitatibus fiunt elementa vel fundamenta omnium, quę componuntur ex illis, dum primò per motum Cœli commiscentur, & posteà convenienter temperantur: cùm enim oritur diversitas in commixtione compositorum ex illis, pro diversa mensura caloris, frigoris, humiditatis & siccitatis, fiuntque per istiusmodi diversa temperamenta diversæ quoque dispositiones ad varias formas recipiendas; & formæ illæ fiunt aptæ ad recipiendas formas alias, sicque perpetuò: formæ porrò alicujus materia habet certam latitudinem seu mensurã in quantitate & qualitate, secundùm quam Individua speciei variant, prout in Physica scientia explicatum est. Atque hæc omnia vera sunt & manifesta ei, qui animam suam in veritate vult erudire, eamque non derelinquere.

Secundo loco quæro ab Aristotele, & dico; Si temperamenta Elementorum caussa sunt dispositionis materiarum ad diversas formas recipiendas, quid'nam est illud, quod Materiam illam primam ita præparavit, ut pars illius receperit formam Ignis, pars alia formam Terræ, & reliqua pars intermedia inter duo ista partim formam Aquæ,

Aquæ, partim formam Aëris, cùm una & communis sit materia? unde item factum, quòd materia Terræ magìs fuerit propria & idonea formæ Terræ, & materia Ignis magìs idonea ad formam Ignis?

Ad hoc respondet Aristoteles, & dicit; Fieri hoc ex diversitate locorum: hanc quippe in materia dispositiones varias efficere. Id enim, quod propinquum & vicinum est Sphæræ primæ, recipit ab ipsa majorem subtilitatem, & motus velocitatem, ad naturam ejus magis accedit, & per hanc dispositionem accipit formam Ignis: quod verò ab illa Sphæra longiùs distat versùs centrum, id magìs crassum & densum, minúsque lucidum fit, & Terræ formam recipit. Atque sic eadem est caussa in Aqua & Aëre. Et hoc necessarium est; fieri enim nequit, ut materia non sit in aliquo loco, vel ut *Peripheria* sit *Centrum*, aut Centrum *Peripheria*, & hinc proinde venit appropriatio formarum diversarum, h.e. dispositio ad formas diversas recipiendas.

Tertiò quærimus ex ipso; An Cœli & Elementorum una sit eademq; materia?

Ad hoc respondet, quòd non, & quòd illius materia sit alia, & aliæ quoque formæ; quódque *Corpus*, de istis corporibus inferioribus, & illis superioribus, æquivocè prædicetur, sicut Recentiores exposuerunt, & quemadmodum id per demonstrationem ostendi potest. Etenim audi, Lector benevole, quid ego dicturus sim.

Nôsti demonstrationem Aristotelis, quòd ex varietate operationum appareat quoq; varietas formarum. Cùm ergo motus quatuor Elementorum sit rectus, motus verò Cœli circularis, manifestè liquet, Materiam illam & hanc non esse eandem, hocq; verissimum est secundùm speculationem naturalem: cùm etiam deprehendatur, illa, quæ motu recto moventur, esse varia & diversa; quædam enim moventur sursum, quædam deorsum, quædam in alterutrum latus, quædam tardiùs, quædam velociùs; hinc iterum evidens est, quòd diversas habeant formas, quódque quatuor sint Elementa. Et ex hac ipsa probatione sequitur quoque, unam esse eandemque Materiam omnium Sphærarum cœlestium, quia omnes moventur circulariter; Formas verò illorum esse diversas, quia una movetur ab Oriente in Occidentem, alia ab Occidente in Orientem; una prætereà velociùs, alia tardiùs movetur.

Quartò ergo quærendum quoque est; Quandoquidem Materia ista communis est omnibus Sphæris, & unumquodque subjectum illorum est certæ alicui formæ appropriatum & dicatum, *(vel unicuique*

subjecto appropriata sit certa aliqua forma); quisnam quæso est, qui ista subjecta appropriavit & præparavit ad recipiendas formas? an aliquis alius, præter Deum, hanc proprietatem illis attribuere potuit?

Hic verò te erudiam de profundo intellectu & summâ apprehensione (h.e. *summo ingenio*) Aristotelis, q ámq; vehementer ipsum vexârit hæc objectio; quâ item ratione conatus fuerit se ex illa extricare per res, in quibus illum Existentia isthæc rerum nihil juvat, licèt objectionis ipsius non meminerit. Videbis enim in libris ejus, illum conari nobis disponere & ordinare existentiam Orbium cœlestium eodem modo, quo disposuit existentiam Sublunarium, ita ut omnia sint per consecutionem & necessitatem naturalem, non autem ex libera voluntate & intentione Intendentis aut appropriatione Appropriatoris, prout ei visum fuit. Verùm nequaquam adhuc perfecit quod quæsivit, neque etiam in sempiternum id faciet. Nam conatur caussam reddere, cur Cœlum moveatur ab Ortu, & non ab Occasu? cur item quidam Orbes velociorem, alii verò tardiorem motum habeant? quòd videlicet id proveniat ex diversa à suprema Sphæra distantia. Denique, cur septem Planetæ tot habeant Orbes vel Sphæras, & reliquæ Stellæ fixæ omnes unam tantùm? Horum, inquam, omnium caussas conatur reddere Aristoteles, eaque secundùm ordinem naturalem necessarium disponere. Verùm, prout dictum, nequaquam rem perfecit. Nam quod ea attinet, quæ dicit de rebus existentibus sub sphæra Lunæ, ea sequuntur ordinem convenientem huic Existentiæ, (sive rebus existentibus), & ejus caussæ claræ sunt: rectéque de illis dici potest, quòd per necessitatem sint ex motu Cœli, & ex ejus facultatibus. Verùm quod ea attinet, quæ commemoravit de Sphæris cœlestibus, illorum caussas evidentes non adduxit, neque ejusmodi dispositionem vel ordinem ostendit, de quo dici possit, quòd sit necessarius. Nam videmus quandam Sphæram velociorem motum habentem, esse superiorem aliâ tardiorem motum habente; &, vice versâ, aliam, tardiorem motum habentem, superiorem aliâ velociorem motum habente: alias item motus habere æquales, etiamsi una altior sit quàm altera. Et sic alia multa ac gravia adhuc sunt in consideratione hujus rei, an videlicet sit necessaria, ut arbitratur Aristoteles: quibus peculiare caput destinabo. Summa; Cùm videret Aristoteles, quàm infirma sint ea, quæ adduxit, in harum rerum caussis ac rationibus exponendis & reddendis, antequàm inciperet, in hunc sensum est præfatus: *Propositum nunc est nobis duas quæstiones indagare, quarum indagatio*

Vide libr. 2. de Cœlo, c. 12. & 5.

dagatio dubia est & anceps. Decet autem, ut eas pervestigemus, & de illis secundum apprehensionem intellectûs, sapientiæ & sententiæ nostræ, (h.e. pro intellectûs, ingenii doctrinæque nostræ modulo) *aliquid dicamus. Neque propterea temeritatis vel arrogantiæ crimen imputandum nobis arbitramur, sed potiùs diligentiam & studium nostrum in Philosophia amore & admiratione dignum esse censemus. Quòd si enim illas quæstiones tàm arduas & excellentes discusserimus, & solutionem aliquam convenientem attulerimus, æquum erit, ut Auditor de illis lætetur, & sibi gratuletur.* Hæc est summa & sensus verborum Aristotelis, ex quibus vides, ipsum probè scivisse incertitudinem verborum suorum; inprimis cùm ejus tempore Disciplinæ Mathematicæ tàm imperfectæ fuerint, neque tantam Motûs cœlestis cognitionem habuerint, sicut nos hodiè habemus; ac videtur mihi illum in Metaphysicis propter hanc quoque caussam Sphæris singulis Intelligentiam certam afsignâsse, ut unaquæque Sphæra quiddam habeat, quod ipsi hunc vel illum motum approprict. Verùm ostendam tibi, illum nihil hac in parte hîc lucrari. Quod verò in verbis citatis ait, *Secundùm apprehensionem intellectûs, sapientiæ & sententiæ nostræ*, ejus verum sensum tibi exponam, quod à nullo Interpretum adhuc factum vidi. *Sententiæ nostræ*, ait, respectu Antiquitatis Mundi. *Sapientiæ nostræ*, inquit, propter illud, de quo omnes conveniunt & consentiunt, quòd omnes istæ res opus habeant Caussâ & Efficiente aliquo, neque ulla fiat casu vel fortuitò. *Intellectus nostri*, ait, pro tenuitate intellectûs & ingenii nostri ad sufficientes caussas reddendas istarum rerum. Proinde probè vidit, se parùm hîc præstitisse, prout etiam in rei veritate fecit. Nam quæ commemorat de caussa Velocitatis Motûs communis & Tarditatis Sphæræ Stellarum fixarum, quâ contrario modo & motu incedit, illa ratio mirabilis est! Quod etiam dicit, necessariò sequi, tantò velociorem esse Sphæræ alicujus motum, quantò remotior est à Sphæra octava; id nequaquam sequitur ordinem, quemadmodum declaravi, & evidentissimum est ex hoc, quòd sequeretur, Sphæras omnes, quæ moventur ab Oriente in Occidentem infra Sphæram octavam, velociùs moveri, quàm illæ, quæ ipsis sunt inferiores, & ita moventur ab Oriente in Occidentem, & motus illarum, quæ moventur ab Oriente, esse propinquos in velocitate motui nono. Verùm, prout dictum, non tantam habuerunt ejus tempore Astronomiæ cognitionem, ut nos habemus hodiè.

Nos autem quod attinet, scito, quòd, secundùm sententiam nostram, nobis, qui credimus Novitatem Mundi, ista sint facilia & planis-

planiſsima. Dicimus enim, quòd ſit aliquis, qui unicuique Sphæræ morum & velocitatem ejus appropriat prout vult, ſed quòd nos ignoremus modos Sapientiæ, quâ ſingula ſic exiſtere fecit. Quòd ſi Ariſtoteles poſſet rationem & cauſſam reddere diverſitatis motûs Sphærarum, & probare, quòd illa à diverſitate ſitûs illarum inter ſe invicem proveniret, ſicut exiſtimat, mirabile ſanè hoc eſſet: & cauſſa appropriationis diverſorum motuum eadem ferè eſſet quæ diverſitatis Elementorum, quæ variant ſecundùm rationem ſitûs ad Peripheriam vel Centrum, (h.e. *prout vel peripheriæ vel centro Mundi ſunt vicina, vel ab iis remota*). Sed hoc manifeſtè repugnat ordini Sphærarum, ſicut oſtendi, & clariſsimum eſt ex exiſtentia appropriationis Sphærarum & Stellarum, cujus Homo cauſſam propriam reddere non poteſt aliam, præter intentionem Intendentis. Quòd enim Sphæra ſemper movetur, & Stella ſemper quieſcit, id argumento eſt, Materiam Stellarum non eſſe eandem, quæ eſt materia Sphærarum: quod ipſum quoque monuit *Abunazar in Additionibus ſuis ad librum Ariſtot. de Auditu*, ubi in hunc ſenſum ſcribit; *Eſt differentia inter Sphæram & inter Stellam: Sphæra enim eſt pellucida vel cryſtallina; Stellæ verò non ſunt cryſtallinæ. Cauſſa, eſt differentia, licet parva, inter duas materias, & duas illas formas.* Hæc ſunt ipſius verba. Ego verò dico, non parvam, ſed maximam eſſe differentiam; non enim deſumo probationem ex pelluciditate, ſed ex motibus, & extra omne dubium pono, triplicem eſſe materiam & triplicem formam; Corporum videlicet, quæ perpetuò quieſcunt, ut ſunt corpora Stellarum: Corporum eorum, quæ perpetuò moventur, ut ſunt corpora Sphærarum cœleſtium: & Corporum illorum, quæ moventur & quieſcunt, ut ſunt Elementa. Miror autem, quidnam ſit illud, quod conjunxit duas diverſas iſtas materias, ſive jam magna, ut ego arbitror, ſive parva (ut Abunazar opinatur) ſit inter illas differentia? & quiſnam illas præparaverit & diſpoſuerit ad hanc unionem? In ſumma, dicere, quòd & duorum corporum unum cum alio conjungatur, ita ut non cum eo commiſceatur, ſed in loco aliquo proprio & certo firmiter ei conjunctum maneat, ſine intentione Intendentis alicujus, id ſanè mirabile admodùm eſſet! Majori autem admiratione digna res eſt ratio Stellarum illarum innumerarũ, quæ ſunt in Sphæra octava, quæ omnes ſunt globoſæ, & earum quędam parvæ, quædam magnæ: una hîc, alia alibi, cubiti quaſi diſtantiâ ab illâ remota, ut quidem nobis videtur: hîc decem unà conjunctæ & coacervatæ, alibi in ſpatio magno nulla planè! Quæ'nam

etenim

etenim hic caussa est, quæ huic spatio decem Stellas assignavit, & aliud spatium vacuum omniq; Stellâ destitutum reliquit? Prætereà, cùm corpus Sphæræ totum sit unum, simplex, & sine omni differentiâ, propter quam caussam hæc illius pars magis conveniens fuit huic Stellæ, quæ in ea existit, quàm alia? Hæc omnia, & quæ alia sunt hujus generis, difficilia sunt admodùm, quin-imò propè impossibilia, si credantur esse de necessitate à DEO Opt. Max., sicut videtur Aristoteli: quòd si verò credatur, illa esse ex intentione Intendentis, qui ea sic fecerit, nihil quicquam huic sententiæ inerit vel miri, vel absurdi; neque ulteriùs locus vel occasio erit inquirendi, nisi hoc fortè, ut dicas, quæ'nam caussa est Intentionis hujus? Universaliter & in genere hoc sciendum est, omnia ista esse propter rationem nobis ignotam, nec quicquam frustrà vel casu fieri. Sic nôsti, in Animantibus, ut cane, asino, &c. nervos & musculos non casu creari, vel fortuitò quantitatem suam accipere; neq; per accidens fieri, quòd nervus unus sit crassus, alius subtilis; musculus unus habeat ramos, alius non habeat; unus rectà descendat, alius obliquè: sed singula esse propter certos usus & notas utilitates, propter quas necessariò ita esse debent. Quomodo ergo Intelligens aliquis imaginari sibi potest, quòd dispositiones, mensura, numerus, & motus Sphærarum varii absque ratione vel casu existant? Nullum est dubium, quin necessariò singula sint ex intentione Intendentis. Disponere verò ista secundùm Necessitatem, non verò secundùm Intentionem, res est ab Intellectu nimis remota & aliena. Meo autem judicio non est major probatio pro Intentione, (h.e. *quòd omnia ex certa sint Intentione*), quàm ex varietate motûs Sphærarum, & Stellarum in Sphæris fixione vel stabilitate, aut immobilitate. Hinc omnes ferè Prophetas invenies è Cœlis & Stellis demonstrare Existentiam DEI Benedicti. De Abrahamo notum est, quid ipse ex consideratione Stellarum didicerit. Jesajas, monens quomodo hinc probatio exstrui oporteat, ita inquit; *Attollite in sublime oculos vestros, & videte, quis creavit ista?* Sic ait Jeremias, *Faciens Cœlos.* Abraham; *DOMINUS DEUS Cœlorum.* Prophetarum Princeps Moses; *Qui equitat Cœlos,* sicut explicuimus. Atque hæc est vera & indubia probatio. Nam quod diversitates attinet eorum, quæ sunt sub Cœlo, licèt materia eorum sit una, dicere tamen possumus, quòd virtutes cœlestes & materiæ positio vel situs à Cœlo illas approprient, sicuti nos docuit Aristoteles, (h.e. *quòd proprietates illas diversas obtineant à virtutibus cœlestibus, & pro ratione situs materiæ prope Cœlum, vel longè ab eodem.*) Quod vero diver-

Jes.40.26. Jer.32.17. Gen.24.7. Deut.33.26.

ſitates attinet in Sphæris & Stellis, quis illas appropriare potuit niſi DEUS Opt. Max.? Si quis dicat, Intelligentias ſeparatas hoc poſſe; nihil tamen obtinebit & lucrabitur. Intelligentiæ enim non ſunt corpora, ut certum aliquem ſitum vel ſpatium à Sphæra habere poſſint: quomodo proinde moveri poteſt Sphæra aliqua motu ſuo appetitivo verſus Intelligentiam ſuam abſtractam in Orientem, & mox in Occidentem? an videtur Intelligentia hęc ſeparata in Oriente, aut poſteà in Occidente? & quòd videtur una feſtinanter, altera verò tardo & lento greſſu incedere, non ſequi poteſt id ſecundùm proportionem diſtantiæ unius ab altera. Quare neceſſariò dicendum eſt, quòd natura & ſubſtantia, adeoque appetitus Sphæræ exigat, ut in hoc latus & tali velocitate moveatur, prout Ariſtoteles inquit, & rem hanc explicat.

Sic igitur reverſi ſumus ad id, in quo principiò occupati fuimus. Dicimus ergo, quandoquidem materia omnium eſt una, unde factum eſt, quòd una Sphæra habeat naturam diverſam à natura alterius? &, unde una habet ejusmodi appetitum, quem talis motûs ſpecies ſequitur, alia alium appetitum, quem alius quoque motus ſequitur? Sanè hoc nequaquam eſſe poteſt ſine Appropriatore. Hæc itaque conſideratio ducit nos ad inveſtigationem duarum quæſtionum. *Prima eſt:* Utrùm ſequatur ex diverſitate & differentiâ hac Entium, vel rerum exiſtentium, quòd ſint ex intentione Creatoris, non verò ex neceſsitate, aut an non ſequatur? *Altera eſt:* An, ſi omnia ſint ex intentione Intendentis ſingula appropriantis, ſequatur illa eſſe nova poſt privationem, (h.e. *ex nihilo certo tempore creata*), an verò non ſequatur hoc, ſed quòd nihilominùs Appropriator ejus ita fuerit perpetuus? Nam hoc etiam jam dixerunt quidam ex illis, qui credunt Æternitatem Mundi. Quocirca incipiam nunc duas iſtas quæſtiones, quantum quidem neceſsitas poſtulare mihi videbitur, in ſequentibus capitibus explicare.

CAP. XX.

In quo adducitur ſententia Ariſtotelis, qui ſtatuit, Res iſtas naturales non eſſe per accidens.

Nullas res naturales eſſe per accidens.

ARISTOTELES ſtatuit, Nullas res naturales caſu & per accidens contigiſſe vel factas eſſe. Demonſtratio ejus eſt hęc Res accidentales non ſunt Perpetuæ, aut Frequentes. Omnia autem

iſta

ista Entia sunt vel Perpetua, vel Frequentia. Cœli enim utique sunt Perpetui, ut qui neque in substantia, neque in locis suis mutantur. Res naturales sub sphæra Lunæ partim sunt Perpetuæ partim Frequentes. Perpetuæ, ut calor Ignis, motus Lapidis deorsum. Frequentes, ut Formæ singularium cujuslibet speciei & Operationes eorũ. Et hæc omnia sunt manifesta. Quod si ergo Partes ejus *(Mundi)* non sunt per accidens, neque Totum per accidens esse potest. Atq; hæc est demonstratio, hicque sensus verborum Aristotelis, respondentis quibusdam antiquis Philosophis, qui existimabant, Mundum hunc per accidens à se-ipso & sine caussa ortum esse. Nam dicit: *Alii statuũt, caussam Cœli & Mundi esse ab ipsomet Cœlo & Mundo. Ajunt enim, A se-ipso esse Motum circularem, & Motum, qui separavit ac constituit universa secundum hunc ordinem, in quo nunc existunt. Verùm hoc mirabile admodùm est! Nam dicunt illi-ipsi, Animalia & Plantas non generari vel oriri per accidens, sed suas habere caussas, ut Naturam, vel Intellectum, aut aliud quid simile, (non enim quidlibet nascitur ex quolibet semine vel coitu, sed ex uno semine nascitur oliva, ex uno concubitu homo, ex alio aliud): & tamen de Cœlis, & reliquis corporibus, intra divina ista corpora contentis, dicunt, quòd sint à se-ipsis, neq; sicut Animalia & Plantæ, caussam aliquam habeant.* Hæc est summa verborum ejus. Hanc autem sententiam longâ oratione posteà incipit refutare, & falsitatem ejus ostendere.

Statuerunt quidam, Mundum esse à se-ipso.

Itaque sic patet, quòd Aristoteles crediderit, & demonstratione ostenderit, ista Entia nequaquam casu & per accidens existere. Hoc verò inde refutat, eò quòd per se sint, h.e. quòd caussam habeant necessariò requirentem & exigentem, ut sint, & quòd propter illam caussam eo in statu, in quo nunc sunt, existant. Istud enim est, quod demonstrare voluit, & quod etiam credit Aristoteles. Verùm, quòd ideò, quia non sint ex se-ipsis, sint ex intentione Intendentis & voluntate Volentis, id nequaquam credidisse puto Aristotelem; quia meo judicio, tàm non consistere possunt hæc duo simul, quòd Ens aliquod per necessitatem Naturæ existat, & quòd sit innovatum ex intentione Intendentis & voluntate Volentis, quàm non possunt simul consistere duo contraria. Necessitas enim hæc, quam Aristoteles credit, ita se habet, quòd nullum Ens inartificiale (h.e. *naturale*) esse queat sine caussa necessariò efficiente illud in eo, quo est statu, & quòd hæc caussa habeat secundam, secunda tertiam, & ita consequenter usque ad caussam primam, ex qua necessariò reliquæ omnes sequuntur; quia hæc series non potest procedere in infinitum. Non tamen credit, quòd Necessitas existentiæ Mundi hujus à Creatore,

Quomodo Aristoteles crediderit necessitatem existentiæ Mundi.

h.e.à prima caussa, ita sequatur, sicut Umbra sequitur Corpus, Calor Ignem, aut Lux Solem, quemadmodum de eo dicunt, qui verba ejus non intelligunt. Verùm credit, illam ita sequi ex prima caussa, sicut Intelligibile sequitur ex Intellectu; quia Intellectus efficiens est Intelligibilis, quatenus est Intelligibile primaque ejus caussa: immò, secundùm ipsum, Intellectus est in supremo gradu & summâ perfectione inter Res existentes; ita ut dixerit, Deum velle, id quod necessariò ab ipso sequitur, de eo lætari, ex illoque voluptatem vel utilitatem aliquam capere, neq; contrarium vel aliud quid velle posse. Itaq; non dixit de eo, quòd sit ex Intentione, neque Intentio hic locum habet. Nam Homo vult, ut habeat Oculos & Manus, de eo gaudet, lætatur & voluptatem ac utilitatem capit, neq; possibile est, ut velit contrarium; nec tamen quisquam habet Oculos & Manus per Intentionem & Appropriationem suam ad talem formam vel tales actiones. Nam Intentio & Appropriatio non conveniunt, nisi rei, quæ quidẽ non existit, sed tamen ita esse vel non esse potest, prout intenditur vel appropriatur. Nescio autem, num isti posteriores verba Aristotelis ita intellexerint, ac si res istæ naturales duas caussas haberent, Necessitatem sc. ac Intentionem & Appropriationem; an verò hîc ipsi contradixerint, & Intentionem ac Appropriationem solùm elegerint, existimantes, illam nihil Antiquitati Mundi derogare. His ergo sic explicatis, accedam nunc ad sententiam istorum posteriorum examinandam.

Vide libr. 1. de Anima, cap. 5. t. 82.

CAP. XXI.

In quo exponitur & refutatur sententia eorum, qui dicunt, Mundum esse Antiquum, & tamen à DEO creatum.

De illorum sententia, qui existimant, Mundum esse æternũ, & tamen à Deo creatum.

SCITO, quòd sint quidam ex posterioribus Philosophis, Antiquitatem Mundi defendentibus qui ajunt; Deum fecisse Mundum, Existentiam ejus liberè elegisse, & intendisse ac appropriâsse eum in hoc statu, in quo est: sed tamen falsum esse, hoc in certo aliquo tempore ab ipso factum, verùm semper ita fuisse & futurum esse. Dicunt præterea; quòd nos non possimus intelligere, quomodo aliquid possit quidpiam efficere & tempore opus suum non præcedere; illud inde venire, quòd id sequatur & necessarium sit in omnibus iis, quæ nos facimus; eò quòd omnis ejusmodi Efficiens habet

Priva-

Privationem quandam,& est primò Efficiens in potentia, posteà verò,cùm operationem exercet, in actum demùm exit. Quod verò DEUM Opt.Max. attinet, quia in illo nulla sit privatio,nihil etiam ei insit potentiâ; ideò Ipsum non præcedere opus suum,neq; unquam non fuisse Efficientem. Et quemadmodum differentia magna est inter Substantiam ejus & Substantiam nostram; ita magnam esse quoque differentiam inter Comparationem ipsius cum opere suo,& Comparationem nostrî cum opere nostro. Atque hoc idem dicunt de Appropriatione & Voluntate; quòd videlicet nihil intersit in hoc negotio,sive dicas,Efficiens,Volens; sive,Appropriens,Intendens; falsumque sit,Voluntatem vel Operationem ejus mutari,sicut exposuimus.

Ita proinde vides, Lector, illos vocem NECESSITATIS mutâsse, sed rem ipsam retinuisse; idque forsitan propter elegantiam sermonis, vel ad vitandum absurdum & inconveniens aliquod. Nam idem est, dicere, Existentiam hujus Mundi necessariò sequi caussam suam,&,Esse perpetuum propter perpetuitatem caussæ, (quæ est DEUS Opt.Max.) sicut dicit Aristoteles; & dicere, Mundum esse ex Effectione,Intentione,Voluntate,Electione & Appropriatione DEI, &,Nunquam non ita fuisse,neque unquam non ita futurum esse, (h.e.*neq, unquam tamen* DEUM *non Efficientem ejus fuisse,vel futurum esse*): quemadmodum ortus Solis caussa Efficiens est Diei,licèt neutrum illorum alterum tempore præcedat.

Verùm nequaquam ita se habet Intentio Dei,de qua nos loquimur; sed illa ita est intelligenda,quòd Mundus nequaquam sequatur vel dependeat à DEO Opt.Max. necessitate vel consequentiâ caussati ad caussam suam,quod ab ea non potest separari,neque mutari,nisi caussa ipsa mutetur.

Quòd si autem ita rem intellexeris,animadvertes, falsum esse, quòd Mundus sequatur vel dependeat ab existentia Dei,sicut effectum à sua caussa,& quòd sit ex ejus actione vel appropriatione.

Sic ergo quæstio vel status controversiæ hujus tibi est explanatus,unde occasio nobis datur ad inquirendum de varietate & diversitate, quæ in Cœlis reperitur, de qua demonstratum est, quod sine caussa esse nequeat; An videlicet illa caussa sit caussa istius diversitatis, & ab existentia ejus necessariò dependeat & sequatur, *(sicut credit Aristoteles)*; an verò caussa illa efficiat diversitatem illam,eamque appropriet eo modo,quo nos credimus,qui sequimur Mosen Doctorem nostrum p. m.? De hoc autem dicturus sum,

postea quàm tibi declaravero sensum Necessitatis ejus, quam Aristoteles sibi imaginatur, ut rectè illam intelligas: posteà autem incipiam explicare rationibus speculativis, Philosophicis, claris, & minimè sophisticis, quantum nostra sententia de Novitate Mundi alteri sit præferenda. Dicit ergo Aristoteles, quòd Intelligentia prima necessariò sit à DEO; Intelligentia secunda necessariò à prima; tertia à secunda. Sic sentit, Orbes vel Sphæras necessariò esse ab Intelligentiis. Proinde evidens est, illum non statuere de ordine illo noto, quem ex pluribus ejus locis nôsti, & de quo præcipua jam attigimus, quòd primò aliquid factum sit, & postea ex eo aliud innovatum fuerit, (nam non credit cujusquam rei innovationem). Sed hæc est ejus sententia, quòd sint per Necessitatem caussæ: h. e. Intelligentiam primam, caussam esse existentiæ Intelligentiæ secundæ; secundam, caussam tertiæ, usque ad finem ipsarum. Sic juxta ipsum eadem est ratio Sphærarum & Materiæ primæ, neque ulla istarum rerum omnium tempore aliam præcessit, vel sine illa extitit. Exemplum hujus rei est, si quis dicat: è quatuor qualitatibus primis necessariò sequuntur Lævitas & contrarium ejus (*Asperitas*); Durities, Mollities; Densitas & contrarium ejus (*Raritas*), quæ, & aliæ similes, citra dubium innovantur & oriuntur ex Caliditate, Frigiditate, Humiditate & Siccitate, etsi nullum Corpus inveniatur, quatuor istas qualitates primas habens, quod nudum sit ab istis qualitatibus secundis. Nam hîc Innovatio non habet locum, sed caussa. Secundùm hoc ergo exemplum dicit Aristoteles de Mundo hoc in genere, quòd unum sequatur ex alio, donec pervenitur ad Caussam primam, ut ipse loquitur, vel ad Intelligentiam primam, aut quodcunque aliud nomen usurpare mavis; omnes etenim & nos ad unum aliquod principium respicimus: sed ipse statuit, ex eo provenire reliqua omnia per Necessitatem; nos verò dicimus, omnia ista Entia ab illo principio esse facta per talem Intentionem & Voluntatem, per quam istud Ens (h. e. iste Mundus) quod antea non erat, existens factum est. Sed nunc incipiam explicare rationes meas, & præponderationem sententiæ nostræ de Novitate Mundi, in capitibus sequentibus.

Explicatio sententiæ Aristotelis de Necessitate.

CAP.

CAP. XXII.

In quo disputat contra Aristotelem, & ejus asseclas, qui asserunt, Omnes res existentes esse ex Necessitate, &c.

HYPOTHESIS seu *Propositio prima*, in qua Aristoteles & omnes Philosophi conveniunt, est hæc; Ex re simplici non posse sequi nisi aliud simplex & unum: si verò res sit composita, tot alias ex ipsa provenire posse, quot sunt illarum simplicium, ex quibus est composita. E.G. Ex Igne, in quo est compositio duarum qualitatum, Caliditatis videlicet & Siccitatis, duo quoque proveniunt; quòd nempe Calore suo calefacit, & Siccitate suâ exsiccat. Sic è re, quæ composita est ex materia & forma, proveniunt res tùm ex parte materiæ, tùm ex parte formæ ejus. Sic è re, quæ è pluribus est composita, sequuntur plura. Et secundùm hanc Propositionem dicit Aristoteles, quòd nihil à Deo primò sequatur & proveniat, nisi Intelligentia una, simplex. *Hypotheses Aristotelis & aliorũ, quibus probant, Omnes res esse ex Necessitate.* 1.

Propositio secunda est: Non quidlibet sequitur ex quolibet, sed necesse est, ut semper aliqua sit proportio inter Caussam & Caussatum. Sic non ex quolibet accidenti sequitur accidens quodlibet, ut E.G. ex qualitate quantitas; vel contrà, ex quantitate qualitas. Ita non sequitur ex materia forma, vel ex forma materia aliqua. 2.

Propositio tertia: Omne agens, quod agit ex Intentione & Voluntate, non Naturâ, multas & diversas actiones facit. 3.

Propositio quarta: Omne compositum ex substantiis diversis vicinis, (h.e. *unitis, conjunctis & juxta se tantùm quasi collocatis*) magis decentem & digniorem compositionem habet quàm illud, quod compositum est ex diversis substantiis per mixtionem. E.G. Ossa, Caro, Nervi vel Musculi magìs simplices sunt quàm Manus & Pes, quæ composita sunt ex ossibus, carne, nervis & musculis. Atq; hoc clarius est, quàm ut ampliori expositione egeat. 4.

His ita præmissis concedo, quòd extra omne dubium sit id, quod ait Aristoteles, Intelligentiam primam esse caussam secundæ, secundam tertiæ, & sic consequenter, si mille illarum essent gradus, & primam esse simplicem: sed quęro, unde proveniat illa Compositio, quę juxta mẽtem Aristotelis existit in istis Entibus per necessitatem vel consequentiam? Confitemur & largimur ipsi etiam reliqua omnia, quæ dicit, quòd videlicet in Intelligẽtiis tantò plurium rerum compositio *Refutatio principiorum Aristotelis pro Necessitate Entiũ, ex Absurdis, quæ inde sequuntur.*

positio oriatur, quantò longiùs à prima elongantur; quia nempe intelligibilia illarum multiplicantur. Sed cum ista sententiæ & opinionis hujus confessione quæro, quomodo Intelligentiæ sint caussa, è qua sequuntur Sphæræ? & quæ nam sit proportio inter materiam & inter abstractum, quod non habet materiam? Præterea demus ipsi & hoc, quòd uniuscujusque Sphæræ caussa sit Intelligentia aliqua juxta formam commemoratam, quòd nempe in Intelligentia illa sit compositio, cùm intelligat se-ipsam, tùm alia, & ita composita quasi sit è duabus rebus, è quarum prima sequitur Intelligentia proximè illam sequens, & ex altera Orbis sive Sphæra. Sed hìc quæro, quomodo ex altera ista re simplici, è qua Orbis cœlestis sequi vel provenire dicitur, Orbis sequi possit, cùm Orbis sit compositus ex duabus materiis & duabus formis; ex materia videlicet ac forma sua, & ex materia & forma Stellæ, Orbi illi inhærentis? Quòd si hoc sit ex necessitate, tùm sine omni exceptione compositum hoc oportet habere caussam compositam, ex cujus parte sive membro uno sequatur corpus Sphæræ, & ex parte altera corpus Stellæ; siquidem una sit omnium Stellarum materia. Videtur autem, quòd alia sit substantia Stellæ lucidæ, & alia Stellarum obscurarum, nullum lumen habentium: ac nôsti, omne Corpus compositum esse ex Materia & Forma sua. Sic itaque demonstratum tibi est, istas rationes omnes nihil concludere pro Necessitate illa, quam vult adstruere. Insuper verò Varietas quoq; Motuum, quibus Sphæræ moventur, non est secundùm proportionem dispositionis ipsarum, ita ut ex hac concludi possit Necessitas, sicuti ostensum est. Præter hæc, consideratio Conditionis & Naturæ Sphærarum refellit ea, quæ ponit Aristoteles de existentia rerum naturalium. Quòd si enim materia Sphærarum omnium est una, quare non potest forma Sphæræ unius transferri in materiam alterius, (sicut accidit sub sphæra Lunæ), cùm materia sit ad illam apta ac idonea? quare item hæc forma in hac materia manet perpetuò, cùm materia omnium sit communis? Quòd si quis dicat, *(de verbo ad verbum ita*; ô DEUS, an'non dicit, vel dicere potest aliquis?) unamquamque Sphæram propriam ac peculiarem habere materiam. Respondeo; Si ita sit, tùm forma motûs non docebit de materia, atq; ita destruentur omnia rerum naturaliũ principia. Ad-hæc; Si materia Stellarum omnium est una, quânam in re differunt inter se singularia illarũ, in formis'ne, an in accidentibus? Quodcunque dicatur è duobus istis modis, sequetur, quòd formæ & accidentia illarum transferri possint, & sibi

sibi invicem succedant; dùm sc. materia manet, & idonea relinquitur ad quamvis formam & quodvis accidens recipiendum. Præterea, si res ita habet, prout dicimus, quòd materia Sphærarum aut materia Stellarum nihil habeant commune inter se invicem, sed de utrisq; dicatur per æquivocationem nominis, &, quòd unumquodque corpus Sphærarum habeat existentiam quandam sibi propriam, neque cum alia communem, (h.e. *per quam ab alia distinguatur*), quæritur; quânam ergo in re sit communicatio (h.e. *quânam in re inter se communicent*); in motu'ne Orbium circulari, an in subsistentia & immobilitate Stellarum?

Quòd si verò credamus, hæc omnia esse ex intentione Intendentis & Appropriantis opus suum secundùm impervestigabilem suam Sapientiam, in nullam quæstionum commemoratarum incidemus. Is autem, qui dicit, Omnia hæc esse ex Necessitate, non ex voluntate Volentis, illas evitare nequit; quia sententia illa non sequitur ordinem rerum existentium, neq; caussa vel ratio sufficiens illius reddi potest, præterquàm quòd tot & tanta absurda illam consequantur: qualia E. G. sunt, quòd DEUS Opt. Max., cujus summam & secundùm omnes gradus absolutam in omnibus Entibus perfectionem omnes fatentur, nihil in eis innovare possit, ita ut, si vel alam muscæ prolongare, vel vermis alicujus pedem decurtare vellet, id non posset. Veruntamen Aristoteles ait, DEUM hoc non velle, neque cupere, & falsum esse, Ipsum aliud (h.e. *ut aliter sint*) velle posse, neque hoc perfectioni Ipsius aliquid addere, (*etsi mutare posset opus suum & aliter velle*), sed forte secundùm certam aliquam considerationem Imperfectionem appellari posse.

Cæterùm, licèt probè sciam, multos ex illis, qui amicis suis libenter opitulantur, ita hoc mihi imputaturos & interpretaturos, ac si verba illorum non satis intelligerem, vel studiô ab illis recederem; istud tamen nequaquam me impediet, quò minùs ea producam, quæ apprehendi & pro ingenii mei modulo intelligo.

Dico ergo summatim: Quicquid Aristoteles dixit vel scripsit de istis Entibus, quæ sunt sub sphæra Lunæ, usque ad centrum Terræ, verissimum est; neque discedet ab eo, nisi fortè is, qui rem non intelligit, aut qui jam alias sententias imbibit, quas propugnare vult & defendere, quæque illum eò usque trahunt, ut illas etiam res negare ausit, quæ oculis ipsis apparent. Quod verò attinet ea, quæ scripsit de iis, quæ sunt inde à sphæra Lunæ sursum-versùs, illa sunt probabilia aliquo modo & verosimilia, exceptis quibusdam; præ-

Quæ Aristoteles scripsit de Entibus sub sphæra Lunæ, vera sunt.

Quæ autē scripsit de iis, quæ sunt supra sphæram Lunæ, non sunt talia.

cipuè verò illis, quæ scripsit de ordine Intelligentiarum, & quibusdam sententiis Divinis (vel DEUM *spectantibus*), quas ipse credit; in quibus gravissimæ sunt absurditates, corruptionesq; manifestæ & evidentes, quarumq; nullam omninò demonstrationē afferrę potest.

Non est autem quòd hîc curiosè quæras, Cur ita diligenter congeram dubia, quæ circa sententiam ipsius occurrunt? neq; ut dicas, An dubiis istis sententia una refellatur, & contraria stabiliatur? Nam in rei veritate nequaquam ita est. Verum agimus & procedimus cum hoc Philosopho, sicut nobis discipuli illius præscripserunt. *Alexander* enim scripsit; *Si de re vel quæstione aliquâ nulla adferri possit demonstratio, duas ejus extremitates contrarias esse sumendas*, (h.e. utramque quæstionis partem, Affirmativam sc. & Negativam, esse expendendam), *ac videndum, quales'nam circa utramque oriantur dubitationes, & tùm illam, quæ pauciores habet, pro veriore esse habendam & amplectendam.* Ita dicit Alexander habere se negotium in illis, quæ Aristoteles scripsit de rebus divinis ac spiritualibus, quarum non potest haberi demonstratio. Omnes enim, qui fuerunt post Aristotelem, dixerunt, ea, quæ Aristoteles de illis scripsit, pauciores habere dubitationes, quàm alia quævis, quæ de ipsis dici possent. Et sic fecimus nos quoque. Quia enim vidimus, quòd ista quæstio, *An Cœli sint generati, an verò sint æterni?* in neutram partem demonstrativè probari possit, dubitationes exposuimus, quæ utramque sententiam comitantur & consequuntur, ac ostendimus, quòd sententia de Antiquitate & Æternitate Mundi longè magìs sit dubia, incerta, & perniciosa fidei de DEO, quàm verò sententia de Novitate Mundi, præterquàm quòd hæc est sententia Abrahami Patris, & Mosis Prophetæ nostri. Quia verò mentionem feci hîc considerationis quæstionis vel sententiæ alicujus per illius dubia, necessarium esse video, ut ejus rationem paucis tibi exponam.

CAP. XXIII.

Quomodo dijudicāda sint dubia, quæ circa aliquam sententiam occurrunt? Quid item requiratur ad judicandum in quæstione probabili, quæ'nam sententia sit præferenda?

Absurda sententia alicujus non numero, sed pondere sunt dijudicanda.

PROPORTIO inter dubia, quæ sequuntur unam sententiam, & inter dubia, quæ sequuntur sententiam contrariam, preponderatio

deratio item vel decisio, quænam sententia minùs sit dubia, non est æstimanda ex multitudine dubiorum, sed ex magnitudine absurditatis illorum. Fieri enim potest, ut unum dubium majus sit, quàm mille alia.

Deinde, veritas proportionis hujus nemini rectè patere potest, nisi qui æquâ lance utramque sententiam expendit. Qui verò alterutram illarum vel ex consuetudine & educatione, vel propter utilitatem aliquam eligit & amplectitur, is excœcatur, ut rectum videre nequeat. Nam rei alicui per demonstrationem probatæ nullus, licèt affectibus deditissimus sit, contradicere potest: in istiusmodi verò rebus multa in contrariam partem afferri possunt. *In probabilibus utraque sententia sine affectu æquâ lance est ponderanda.*

Quòd si autem volueris affectus omnes exuere, consuetudinem abjicere, & rationi ac speculationi solùm inniti, non erit tibi difficile, præponderare id, quod præponderandum est, (h.e. *judicare & pronunciare, quænam sententia alteri sit præferenda*): observatis tamen quibusdam conditionibus.

Primò enim novisse te oportet mensuram bonitatis Intellectûs tui, & perfectionem Naturæ tuæ. Hanc autem experiri & cognoscere poteris, si te aptum & capacem deprehenderis in reliquis disciplinis Mathematicis & in Logicis, (vel, *si deprehendis, te proficere in illis disciplinis & eas posse apprehendere*). *Conditiones requisitæ ad dijudicandas quæstiones probabiles.*

Secundò requiritur, ut peritus sis artium Physicarum; quò verè & solidè posis dubia intelligere, ac de illis judicare.

Tertiò, mores quoque tuos compertos habere te oportet. Quòd si enim quis sit deditus suis affectibus vel utilitatibus, (sive id habeat à natura, sive ex acquisito pravo habitu), aut promptus ad iram, ut illam non moderari posit; is semper errabit & impinget, tales sententias quærendo, quæ ipsum confirmant & juvant in eo, ad quod inclinat.

Hæc autem ita monere te volui, ne fortè decipiaris, si quis te in sinistram opinionem velit trahere dubio aliquo, contra Novitatem Mundi moto, & statim seducaris. Est enim in hac sententia magna fundamentorum Legis comprehensa destructio, sequunturque eam absurda multa de DEO Opt. Max. Quocirca cohibe diligenter intellectum tuum, & accipe *(doctrinam)* à Prophetis, qui sunt Columna generis humani in recta Fide & in Unitate, neque recede à sententia de Novitate Mundi, nisi propter demonstrationem. Hæc autem in tota rerum natura non existit.

Cæterùm ne vilipendas, Lector, quòd verba ista narrativa

Vide sup. quoque in fine cap. 15. (h.e. *testimonia Prophetarum, quæ non demonstrativè de rebus agunt, sed tantùm per modum narrationis & historicè, sine probationibus*) fundamenti loco ponam vel habeam in quæstione hac de Novitate Mundi. Ipse enim Philosophorum Princeps Aristoteles in libris suis similia adduxit, quibus sententiam suam de Antiquitate Mundi superstruit. Verissimè de his dictum est: *Ne esto Lex nostra perfecta, sicut sermo ipsorum otiosus & inanis.* Cùm ergo ipse sententiam suam fundet in legibus vel opinionibus * *Zabæorum*; cur nobis non liceret fundare sententiam nostram in authoritate dictorum Mosis & Abrahami, vel eorum, quæ ex dictis ipsorum sequuntur? Verùm, quia promisi tibi, me in peculiari capite expositurum dubia, quæ sequuntur ex sententia illorum, qui existimant, Sapientiam Hominis scire & assequi posse ordinem motuum, quibus Orbes cœlestes moventur, quódque (*illi motus*) sint res naturales, sequentes necessariò ordinem & proportionem, (h.e. *quòd tantò celeriùs moveantur, quantò primo mobili sunt propiores; & tantò tardiùs, quantò sunt ab eo remotiores*), ideò ad illud præstandum in capite sequenti accedo.

* *Vide part. 1. cap. 63.*

CAP. XXIV.

An Epicycli & Eccentra sint? &, An ex illis diversitas illa motuum in Sphæris cœlestibus dependeat?

EX rebus illis Astronomicis, quæ partim ex me, partim ex libro *Almagesti* didicisti, ne longâ circuitione utar, nôsti, totum negotium motûs Sphærarum & cursûs Stellarum, secundùm quod apparet nobis, duobus niti fundamentis; Orbe videlicet epicyclo, vel Orbe eccentrico, vel utroque simul.

Orbem epicyclũ & Orbem eccentricum sine ratione excogitatos esse.

Ostendam ergo, duo hæc principia & fundamenta nullam habere rationem, immò repugnare omnibus iis, quæ in Physica traduntur.

Primum itaque est, quòd constituitur Orbis epicyclus, qui circumit in Orbe alio, cujusque motus & circumitio non est circa centrum illius Orbis ferentis ipsum, quemadmodum hoc præsupponitur in Luna & reliquis quinque Planetis, (*Sole sc. excepto*). Ex hoc enim necessariò sequitur revolutio, quòd nempe Orbis epicyclus revolvatur, & loca sua mutet. Hoc autem falsum est, à quo fugit (*Aristoteles* sc.), quòd nimirum sit ibi aliquid, quod locum suum mutat. Ideò

Ideò ait *Abubachar ben Alzaig* in iis, quæ de Astronomia scripsit; Falsam esse existentiam Orbis epicycli: & recenset quoque falsitates multas, quæ ex illa sequuntur, (h. e. ex existentia Orbis epicycli), quarum aliquas tibi explicabo. Una est, quòd illius motus circularis non potest esse circa centrum Mundi. Fundamentum autem universale hujus Mundi est, quòd Motus sint tres, Motus à medio, Motus ad medium, & Motus circa medium. Quòd si verò sit ibi Orbis epicyclus, ejus motus neque erit à medio, neq; ad ipsum, neq; circa ipsum. Prætereà, fundamentum Aristotelis in scientia Naturali est; Motum circularem non posse fieri nisi circa rem firmam & stabilem, ac proinde hinc sequi, Terram esse firmam & immobilem. Quòd si verò Orbis epicyclus existat, tùm illius motus circularis nō erit circa rem firmam & stabilem. Audivi autem, sed non à discipulis ejus, dictum *Abubachar* construxisse dispositionem quandam, in qua nullus est Epicyclus, sed solùm Orbes eccentrici. Licèt autem hoc ostendisset, tamen non multùm eo lucratus esset; quia Eccentricitas quoque declinat à fundamento Aristotelis. Nam in Eccentricitate etiam invenimus motum circularem sphæricum, non circa mediū, sed circa punctum imaginarium extra centrum Mundi, & circa rem instabilem.

Quòd si quis Astronomiæ imperitus existimet, Eccentricitatum (cùm punctum earum primo intuitu videatur esse in medio sphæræ Lunæ) motum esse circa medium; nos ei concedemus, quòd sit circa punctum in Igne vel Aëre, sed non circa rem firmam: & explicabimus ei, quòd mensuræ Eccentrorum jam expositæ sint à *Ptolemæo in Almagesto*, sicut ab illo ibi sunt positæ, *(ac propterea non multùm sit disputandum de puncto ipsorum, circa quod moventur)*. Posteriores etiam ac recentiores per demonstrationem veram ac indubiam ostenderunt mensuram Eccentrorum singulorum in medio diametri Terræ, quemadmodum ostenderunt quoque longitudines & quantitates. Sic ostensum est, quòd punctum Eccentricum, circa quod movetur Sol, necessariò egrediatur extra concavitatem sphæræ Lunæ, & sit infra gibbositatem sphærę Mercurii. Ita punctum Eccentricum, circa quod movetur Mars, egreditur extra concavitatem sphæræ Mercurii, & est infra gibbositatem sphæræ Veneris. Sic centrum eccentricum Jovis in eadem hac est longitudine, h. e. inter sphæram Mercurii & Veneris. Centrum autem eccentricum Saturni venit inter sphæras Martis & Jovis. Vide, quàm multa in his contineantur absurda & remota à contemplatione Naturali, quæ omnia liquidò

patebũt tibi, si intellexeris Longitudines & Mensuras vel quantitates singularum Sphærarũ & Planetarũ. Quantitates verò sumendæ sunt in medio diametri Terræ, ut omnia sint ex proportione una, nõ verò ex proportione Eccentri ad suam Sphæram. Magis absurdũ & dubiũ est hoc; quòd possibile sit, si duæ Sphæræ sint, & una intra alteram contenta, eiq; ex omni parte cohærens, ac duo habeãt Centra, ut moveatur parva in medio magnæ, nec tamẽ moveatur magna; & impossibile, ut moveatur magna super ullum diametrum, quin simul moveatur parva, nisi motus sit super diametro transeunte inter duo Centra. Præterea, secundùm hanc propositionem demonstrativam, & secundùm id, quod per demonstrationem probatum est, quòd non detur Vacuum; secundùm item hypotheses de Centris, sequitur, cùm movetur superior, moveri quoq; in illius motu inferiorem, quæ sub illa est, & circa centrum ejus, cùm tamen nequaquam ita res inveniatur. Verùm reperimus, ambientem & ambitam (vel, *continentem & contentam, sc. Sphæram*) non moveri unam motu alterius, neque super ejus centro, neq; denique super polis illius, sed unamquamque motum habere sibi proprium. Propterea cogit hoc credere, esse corpora alia Sphærica inter singulas duas Sphæras. Quantum autem quæso dubii huic inest, si res ita haberet? & ubi collocabuntur Centra illorum corporum inter Sphæras existentiũ? Habebunt etiam illæ Sphæræ motus suos proprios. Egit hac de re *Tebit* in libro suo, ac demonstravit id, quod nos diximus; si videlicet res ita se habeat, necessariò credendum esse, alia corpora inter singulas duas Sphæras existere. De his autem omnibus nihil tibi declaravi, cùm sub mea esses institutione, ne te in iis, quæ tùm scire & intelligere te volebam, confunderem. Quod verò attinet inclinationem, cujus mentio fit in latitudine Veneris & Mercurii, illam coràm tibi declaravi, & ostendi, difficillimum vel impossibile esse, mente comprehendere vel imaginari sibi, quomodo tale quid in corporibus esse queat. Quod ipsum, ut vidisti, *Ptolemaus* fassus est, quando in hunc sensum scripsit: *Nemo autem istas, & similes suppositiones, difficiles esse arbitretur, cùm ista, qua nos adduximus, considerat, sicut ea, qua fiunt industriâ, sagacitate & subtilitate artis; tùm enim difficilia videbuntur. Verùm non decet corporibus divinis humana conferre, nec rationes rerum ita magnarum à dissimillimis exemplis petere*, &c. Hæc est substantia verborũ ejus. Jam etiam direxi te ad loca, è quibus petere potes verificationem omnium eorum, quæ ad intelligentiam punctorum istorum Eccentricorum in Sphæris pertinent; nisi concidant, vel jam conciderint: de

in Almagesto lib.13.cap.2.

de nullo enim audivi,qui ad ea cor suum apponeret. Facilè autem liquebit illud, si mensuram diametri uniuscujusque Sphæræ, & quanta sit distantia inter duo Centra,in medio diametro Terræ cognoveris,sicut hac de re demonstrationem fecit *Alchabizius in Epistola sua Elongationum:* illas enim Elongationes si intellexeris,patebit tibi veritas ejus,quod ego te docui. Has dubitationes itaq; benè considera,&,an vera sint ea,quæ Aristoteles scripsit in Physica? Nam secundùm sententiam ejus,neq; est Epicyclus,neq; Eccentricitas; sed omnia volvuntur circa centrum Terræ. Ita autem quæritur,quomodo Planetæ tàm diversos motus habere possint? aut,an alius sit modus,secundùm quem conveniat,ut sit motus circularis,æqualis,perfectus,& tamen appareat id,quod nobis apparet (*in motu Sphærarum sc.,h.e.ut tamen tanta inæqualitas appareat*) præter alterutrum dictorũ modorum,vel utrumq; simul? inprimis,cùm in iis,quæ Ptolemæus scripsit de orbe epicyclo Lunæ,& ejus versùs punctum eccentricum Mundi & suum inclinatione,inveniatur id,quod juxta positionem illarum hypothesium computatur, nec vel unus gradus in eo deficiat,quemadmodum hujus rei veritatis testes sunt Eclipses,quæ secundùm istas hypotheses supputantur,& accurata minutorum,temporis,& quantitatis obtenebrationis illarum cognitio & observatio. Prætereà,quomodo cogitari potest,retrogredi posse Planetam cum reliquis suis motibus, sine Epicyclo? Quomodo verò etiam imaginari quis sibi potest,esse Sphæram vel motum non circa Centrum constans & fixum? Hæc vera & mera est confusio,de qua coràm & ore-tenus tibi explicui,quòd talia non curet Astronomus. Scopus enim ejus non est,indicare nobis formam existentiæ Sphærarum sicut est; sed ut ejusmodi dispositionem faciat,per quam motus sint circulares,æquales,& convenientes cum eo,quod oculis nostris apprehendimus, sive deinde in rei veritate ita sit,sive non sit. Cæterùm nôsti,quòd *Abubachar Filius Alzaig* de Aristotele dubitârit; An sciverit eccentrum Solis, & de eo tacuerit,ac occupatus fuerit in eo,quod sequitur ex Declinatione,cùm opus Eccentri non possit separari ab opere Declinationis; an verò non apprehenderit illud? Verissimum est,quòd non apprehenderit illud,neq; quicquam de eo audiverit. Disciplinæ enim Mathematicæ non fuerunt perfectæ illius tempore; &, si de eo audivisset,sine dubio maximo studio id refutâsset: aut si illud approbâsset, confusus fuisset in omnibus iis, quæ in hoc genere scripsit. Hîc vero id repeto, quod suprà dixi; *in fine cap.22.* Omnia illa, quæ Aristoteles scripsit de rebus sublunaribus, esse

ratio-

rationi consentanea,& talia quorum caussæ sint manifestæ,quorum unum ex altero sequitur,ac denique quorum sapientia & providentia naturalis cognita est & perspecta : quod verò ea attinet,quæ sunt in Cœlis,de illis Homo nihil scit,nisi per exiguam istam mensuram Mathematicam. Tibi per me,in eo(*Cœlo* sc.) videre licet quicquid
Psal.115.16. volueris; ego dico cum Psalmistâ: *Cœlum, Cœlum est pro* DOMINO; *Terram autem dedit filiis Hominum*:h.e. DEUM solum perfectè cognoscere veritatem, naturam, substantiam, formam, motum & caussas Cœlorum; Homini verò concessisse, ut ea, quæ sub Cœlis sunt, possit intelligere,quia sunt Mundus,& domus quasi ejus,in qua dominatur,cujusq; pars est *(Homo)*. Et hoc est verissimum. Nam caussæ,è quibus probationes de Cœlis sumuntur,sunt nobis impossibiles,nimis remotæ,& in loco ac gradu nimis alto. Probatiò generalis & universalis,quæ ex illis desumitur,hæc est; quòd nos doceant de Motore suo. Reliqua sunt talia, quæ intellectus humanus non potest assequi; & cogitationes suas illis defatigare,nihil aliud est, quàm oleum & operam perdere,ac proinde qui illud tentat,non integrâ vel non sanâ mente est præditus. Propterea subsistamus in iis, quæ in nostra sunt facultate,ac relinquamus ista,quę ratione apprehendi nequeunt,ei, qui extraordinariâ influentiâ Divinâ donatus
Num.12.8. fuit,ut idoneus evaserit,sicut de eo dicitur, *Ore ad os loquar ei.* Hoc optimum est,quod ego in hac quæstione scio. Fieri potest,ut alius per demonstrationem sciat veritatem ejus,de quo ego dubito. Ex summo autem veritatis amore,quo teneor, dubitationes & confusiones hujus materiæ proposui, de quarum nulla demonstratio aliqua cognita mihi vel audita est.

CAP. XXV.

Cur potiùs credatur Mundi Novitas, quàm ejus Antiquitas.

SCIAS, nos sententiam de Antiquitate Mundi amplecti propter testimonia vel loca Scripturæ , quæ testantur, Mundum esse novum. Scriptura enim Sacra non magìs docet de Novitate Mundi, quàm docet, DEUM esse corporeum : neque clausæ vel inaccessæ nobis sunt portæ expositionis in negotio Novitatis Mundi, (h.e.*neque ita sunt comparata testimonia de Novitate Mundi, ut non aliter explicari possent*); verùm eodem modo possumus illa interpretari, sicut fecimus in Remotione Corporeitatis : & fortè longè faciliùs & commo-

commodiùs possemus dicta illa Scripturę de Antiquitate Mundi exponere, & ad eam illa accommodare, quàm dicta illa, quæ docent de corporeitate DEI, quam à DEO removimus. Ut verò hoc non faciamus vel credamus, duę sunt caussæ. *Una* est, quòd per demonstrationem probari potest, DEUM esse incorporeum; atque ideò necessariò sequitur, aliter esse exponenda & interpretanda ea, quæ à simplicitate ejus demonstrata dissentiunt: Antiquitas verò Mundi non probari potest per demonstrationem, ideoque nulla necessitas postulat, ut dicta illa rejiciantur, & aliter exponantur propter præponderationem sententiæ, quia fortè contraria præponderare & preferri aliquo modo potest. Et hæc est caussa una. *Altera caussa est*, quòd si credamus Incorporeitatem DEI, neque fundamentis Legis nostræ vis ulla inferatur, neque dicta Prophetarum falsitatis arguantur, neque etiam quidquam in eo absurdi statuatur, nisi quòd, ex opinione stultorum & ignorantium, hoc sit contra Scripturam; cùm tamen, ut ostendimus, non sit contra eam, sed potiùs ipsa Scripturæ intentio. Credere verò, Mundum esse antiquum eo modo, quem ponit Aristoteles, quòd videlicet sit ex necessitate, quòd nihil in natura mutetur, quòd nihil extra cōsuetudinem suam exhibitet; id Legem nostram funditùs evertit, omnia Signa & Miracula mendacii arguit, cuncta etiam, quæ Lex sperare, vel DEUS timere jubet, è medio tollit, nisi illa Signa ita, ut quidam impostores Ismaëlitæ fecerunt, explicentur: quâ tamen ratione ad aliam stultam ac stolidam sententiam pervenitur. Si verò altero modo credatur Antiquitas Mundi, ex sententia videlicet Platonis, quòd Cœli quoq; sint generabiles & corruptibiles, tùm nullo modo aliquid de Lege nostra destruitur; neque Signorum & Miraculorum falsitas inde sequitur, sed potiùs illorum possibilitas, ac poterunt de ea exponi multa Scripturæ loca: non pauca etiam in Lege & reliquis Scripturæ locis occurrent, quæ huic sententiæ favere, ac ab ea dependere videbuntur; quinimò Rationum instar erunt, licèt non talium, quæ nos cogant & constringant, donec per demonstrationem sententia illa sit probata. Quamdiù enim non affertur demonstratio pro hac sententia, tamdiù ad eam non inclinamus aut respicimus; sed intelligimus Scripturam secundùm sensum suum litteralem, ac dicimus, Legem nobis proponere ejusmodi rem, quam viribus nostris assequi nequimus. Signa verò & Miracula testantur de veritate argumentorum nostrorum. Si enim credatur Novitas Mundi, Signa & Miracula omnia sunt possibilia, & sic quoque Lex ipsa est possibilis, conci-

Duæ caussæ, propter quas creditur Incorporeitas.

Cur Antiquitas Mundi cum Aristotele non credatur.

Platonis sententia melior.

Sententia de Novitate Mundi cur optima?

dunt q; quæstiones omnes, quæ in hoc negotio moveri solent: ut, *Cur Deus posuerit Prophetiam suam in hoc, & non in alio? Cur Deus Legem suam dederit uni alicui Genti, & non alii? Cur hoc tempore eam dederit, & non citiùs vel seriùs? Cur ista præceperit, & alia prohibuerit? Quare Prophetæ alicui hæc, & non alia signa ac miracula destinârit? Quænam in his Legibus fuerit Dei intentio? Cur non in naturam nostram indiderit ea, quæ in illis prohibuit & præcepit, si hæc dicantur esse ex intentione* DEI? In promptu est responsio ad omnes istas quæstiones, ut dicatur, *Ita voluit*, vel, *Ita decrevit Sapientia ejus.* Sicut, cùm Voluntas ejus fuit, Mundum fecit in hac forma, neque tamen scimus formam, tempus, aut modos, vel circumstantias Voluntatis & Sapientiæ ejus: sic quoque ignoramus Voluntatem aut rationem Sapientiæ ejus, cur ea, quæ in prædictis quæstionibus continentur, ita appropriaverit? Quòd si verò quis dicat, Mundum esse ex necessitate, jure optimo & bonâ consequentiâ moveri possunt omnes illæ quæstiones, neque nisi turpes admodùm ad illas responsiones dari poterunt, plurimisque dictis Scripturæ, quæ citra omnem dubitationem secundùm litteram intelligi debent, directè contrariantes. Atque propter hanc inprimis rationem sententiam illam fugimus ac vitamus. Et in hac re, hujusq; quæstionis indagatione multi præstantes Viri dies suos consumpserunt, & consument adhuc alii in futurum. Quòd si enim Novitas Mundi per demonstrationem probatur, etiam secundùm Platonis sententiam, corruunt, quæcunque contra nos in medium protulerunt Philosophi: quòd si verò Aristotelis sententia vera sit per demonstrationem, concidit Lex nostra, & ad alienas ac peregrinas delabimur sententias. Sic itaque hactenus ostendi tibi, quòd totum negotium ab ista quæstione dependeat. Tu proinde cura, ut diligenter hoc observes.

CAP. XXVI.

De dicto quodam R. Elieseris, undénam Cœlum & Terra creata sint?

Dictum R. Elieseris, de creatione Cœli & Terræ.

IN notis ac celeberrimis illis magni *Rabbi Elieseris Apophthegmatis* vidi quædam ita aliena & mirabilia, ut similia apud nullum eorum, qui Legem nostram sequuntur, vidisse me meminerim. Scribit enim ibi in hunc sensum: *Ex quónam loco* (unde) *Cœli creati sunt? De luce vestimenti sui accepit, & extendit sicut vestimentum, & fuerunt expansi ac euntes, sicut dicitur*; Qui operit se lumine tanquam vestimen-

Psal. 104. 2.

to, qui extendit Cœlum veluti cortinam. *Ex quónam loco creata est Terra? De Nive, quæ est sub solio Gloriæ, accepit, & sparsit super Aquas, & congelatæ fuerunt, ac factæ sunt pulvis Terræ, sicut dicitur*; Qui dicit Nivi, Job.37.6.
esto Terra. Hæc sunt verba ejus. Miror autem, quid'nam Sapiens iste crediderit? an crediderit falsum esse, quòd fieri possit aliquid ex nihilo; ac impossibile, quòd absque materia generatum sit ab eo (DEO) id, quod generatum est; ac propterea quæsiverit de Cœlo & de Terra, undenam sint creata? Sed ita nihil prodest ei responsio ejus; nam & ab ipso iterum quæri potest; Unde sit creata Lux vestimenti ejus, & Nix, quæ est sub throno Gloriæ? quin-imò Thronus ipse Gloriæ unde sit creatus? Si per Lucem vestimenti intelligat rem increatam, & Thronum quoque Gloriæ increatum esse statuat, nimis absurdum est, & Antiquitatem Mundi manifestè asserit, sed juxta sententiam Platonis. Quòd autem Solium Gloriæ DEI sit è rebus creatis, Sapientes nostri scripserunt, sed modo & ratione valdè mirabili. Dixerunt enim, Creatum esse ante creationem Mundi! Scriptura Sacra nihil hac de re (h.e. *de generatione vel creatione Solii Gloriæ*) nobis suppeditat, nisi David, ubi ait; *In Cœlis disposuit Solium suum*: quod dictum varias expositiones admittit. Psal.103.19.
Æternitatem verò ejus in futurum, docet nos Scriptura, inquiens: *Tu DOMINE in sæculum permanes, Solium tuum in generationem & generationem.* Thren.5.19.
Si R. Eliéser Antiquitatem Solii credidit, cùm (*Solium*) attributum erit DEI, non corporis alicujus creati. Quomodo autem fieri potest, ut aliquid generetur ex attributo aliquo? Mirabilius est, quod ait de Luce vestimenti ejus! In summa, dictum hoc exercere & confundere potest Virum quoque doctissimum, & in fide ac religione sua exercitatissimum! Mihi sanè sufficiens aliqua illius expositio non constat. Adducere tamen volui, ne fortè in eo erres. Quisquis ejus sensus sit, hanc non contemnendam nobis utilitatem præstat, quòd nobis explicat, Materiam Cœlorum non esse materiam Terræ, sed duas diversas & distinctas esse materias: unam, propter excellentiam & præstantiam attribui DEO Opt. Max., quam appellat *Lucem vestimenti ejus*; alteram longè abesse à Luce & Splendore DEI, & esse materiam inferiorem, quam indigitat per *Nivem sub Solio Gloriæ*. Atque hoc est, quod me impulit, locum illum Legis, *Et sub pedibus ejus quasi opus albedinis sapphiri*, explicare, quòd apprehenderint in visione illa Prophetica veritatem Materiæ primæ & inferioris. Onkelos enim retulit, *Pedes ejus* ad *Solium*, sicut alibi exposui; iste verò (*R. Eliéser*) explicat, quòd *Albedo* illa, quæ est sub Solio, sit materia Terræ. Et

Quid colligi possit ex illo dicto R. Eliéseri.

Exod.24.10.

hoc ipsum, quòd videlicet duæ sint materiæ, superior, & inferior, neque materia omnium rerum una & eadem, sæpè inculcavit & repetiit R. Eliefer; id quod pro magno secreto habendum tibi est: nec vilipendendum, quòd præstantissimi ex Sapientibus Israëlitarum in eo explicando laborârint; est enim secretum de secretis hujus Universitatis, & secretum ex secretis Legis. In Bereschith rabbah legimus: *Dicit R. Eliefer; Omnia, quæ sunt in Cœlis, creata sunt ex Cœlis; &, quæcunque sunt in Terra, creata sunt ex Terra.* In quo dicto observa, quomodo ille Sapiens te docuerit, quòd materia una & communis sit omnium eorum, quæ sunt in Terra, h.e. quæ sunt sub sphæra Lunæ, & materia una Cœlorum, omniumque, quæ in eis sunt, & quidem ab illâ diversa. Ostendit etiam in suis Apophthegmatis excellentiam materiæ illius *(superioris)*, & appropinquationem ejusdem ad Illum (DEUM sc.): ac econtrà imperfectionem hujus *(materiæ inferioris)*, terminumque loci illius: id quod diligenter nota & observa.

CAP. XXVII.

Articulum Fidei esse, Credere Novitatem & Creationem Mundi; sed non necessariò credendum esse illius Destructionem & Interitum.

Non esse necessariò credendum Mũdi interitũ.

EXPLICAVI tibi, ex articulis & fundamentis Legis nostræ esse, credere Novitatem Mundi. Quòd verò sit iterum corrumpendus, postquàm innovatus & generatus est, id nequaquam pro Fidei articulo habemus, neque ullum detrimentum infertur Fidei nostræ, si credamus, perpetuò Mundum duraturum.

Sed dices fortè, An non probatum est, omne, quod generatur, etiam corrumpi? Proinde si Mundus generatus est, necessariò iterum corrumpetur.

Quomodo omne, quod generatur, etiam corrumpatur.

Verùm hoc nos nullo modo ferit. Non enim dicimus, Mundum generatum esse, sicut generantur res naturales, quæ sequuntur ordinarium Naturæ ordinem. Nam quicquid secundùm hunc morem naturalem generatum est, id necessariò secundùm eundem modum naturalem iterum quoque corrumpitur. Quemadmodum enim natura ejus est, quòd primò non exstitit, & posteà factum fuit; sic naturam ejus necessariò sequitur, ut non semper ita existat. Demonstratum

stratum quippe est, quòd ejusmodi generatio non possit secundùm naturā suam perpetuò durare. Verùm secundùm rationem nostram Legalem, quæ est, quòd omnia existant & corrumpantur secundùm Voluntatem Dei, non ex Necessitate; secundùm hanc, inquam, sententiam non sequitur nobis, quòd Deus, quando rem aliquam, quæ non exstitit, existere fecit, necessariò cogatur iterum eam corrumpere & destruere: sed dependet res à mera Voluntate DEI, ita ut possit eam corrumpere, si vult; vel, si eam vult conservare secundùm decretum æternæ suæ Sapientię, illam cōservare & perennare queat in sæcula sæculorum, & quamdiù ipse subsistit. Ita nôsti, Sapientes nostros de *Solio Gloriæ*, quod creatum esse dicunt, nihil dicere, quòd sit desiturum. Neq; etiam in ullius Prophetæ vel Sapientis libro auditum est, quòd Solium Gloriæ corrumpendum vel privandum sit; sed loquuntur benè Scripturæ de Æternitate & perpetuitate ejus. Sic *Animæ Sanctorum*, juxta nostram sententiam, sunt creatæ, nec tamen unquam privabuntur, immò, secundùm quosdam, qui litteram Allegoriarum sequuntur, perpetuâ quoque voluptate corpora ipsorum fruentur, & in omnem æternitatem; prout credunt illi, quorum fides nota est de illis, qui sunt in Horto Edenis, (h. e. *in Paradiso*).

In summa; Constringit nos speculatio credere, quòd non sit necessarium, ut corrumpatur Mundus: neque supersunt hîc nisi testimonia Prophetarum vel Sapientum; si videlicet habeamus textum aliquem vel testimonium aliquod, quòd Mundus hic in nihilum sit redigendus, an verò non? Major enim pars Gentis nostræ credunt, traditum esse in Scriptura, quòd Mundus totus sit corrumpendus. Demonstrabo autem tibi, quòd nequaquam ita se res habeat; sed quòd multa testimonia habeamus pro Perpetuitate ejus. Quæcunq; verò occurrunt, quæ secundùm litteram videntur docere, Mundum destructum iri, de illis omnibus manifestissimum est, quòd sint parabolica. Quòd si autem hoc nolit credere aliquis ex illis, qui sequuntur litteram Scripturæ, ac dicat, non posse non credi, Mundum interiturum; eum nolim nimis sollicitè urgeri, sed ipsi indicetur & ostendatur, quòd non necessarius sit Mundi interitus, ideò, quia generatus est; ac liberum ipsi relinquatur, credere quicquid vult de parabola illa, quam secundùm sensum litteralem accipit. Nulla enim hac in re ullo modo Legis est destructio.

CAP. XXIIX.

Docet, Salomonem non credidisse Antiquitatem Mundi, sed Æternitatem vel Perpetuitatem ejus.

Errant, qui existimant, Salomonem credidisse Antiquitatem Mundi.

NON pauci reperiuntur ex illis, qui Legi & Relligioni nostræ addicti sunt, qui arbitrantur, sapientissimum illum Regem Salomonem p.m. credidisse Antiquitatem Mundi; quos summoperè miror, quomodo cogitare possint de Viro amplexante Legem Mosis, quòd Antiquitatem crediderit! Et si quis existimet, quòd hoc pacto declinârit à sententia & fundamentis Legis, bone Deus, quomodo receperunt hoc ab ipso multi Prophetæ ac Sapientes, & non contradixerunt vel ignominiæ aliquam maculam inusserunt ei post ipsius mortem, sicut illum condemnârunt propter uxores alienigenas, & alia?

Vide Aben Esr. Eccl. cap. 7. v. 4.

Ad hoc autem cogitandum, occasionem illis præbuit id, quod Sapientes nostri dicunt; *Quæsiverunt abscondere librum Ecclesiastis, quia verba illius declinant ad hæresin,* (h.e. hæresin sapiunt). Et reverà, si litteram spectes, ita est, & multa inveniuntur in illo Libro, quæ aliena admodùm à Lege DEI docent, expositioneq; indigent. Verùm inter illa non est Antiquitas Mundi, neque vel unicus ibi extat aut reperiri poterit versus, qui illam doceat: sed sunt quidam, qui docent de Æternitate ejus, (h.e. *de æterna duratione ejus*), quos cùm viderunt, existimârunt, illum credidisse, Mundum non esse innovatum, cùm tamen nequaquam ita se res habeat.

Scripsit quædã, quæ videtur docere Perpetuitatem ejus.

Eccles. 1. 4. Verba illius de Æternitate Mundi sunt hæc: *Terra autem* leolam *in sæculum stat.* In quo dicto, qui Novitatem non rectè intelligit, (h. e. *qui existimat, Omne innovatum, vel creatum, iterum destruendum esse*), cogitur dicere, quòd intelligatur Tempus ei determinatum. Et

Gen. 8. 22. sic in illo, *Adhuc omnibus diebus Terræ,* omnibus sc. diebus definitis &

Idẽ fecit David. determinatis ei. Sed miror, quidnam dicturi sint ad illud Davidis,

Psal. 104. 5. *Terram fundavit super bases suas, non dimovebitur* olam vaed *in sæculum & sempiternum.* Quòd si neque hîc id, quod ait *Olam vaed* In sæculum & sempiternum, evincat Æternitatem ejus, cùm & DEUS definitum tempus habebit, quia de ipsius Æternitate quoque dicitur; ut,

Psal. 10. 16. *Dominus Rex est* olam vaed *in sæculum & sempiternum.* Proinde sciendum tibi est, quòd *Olam* non necessariò significet *Aeternitatem,* nisi ei

con-

conjungatur *Ed* (עַד vel עד), idque vel post illud, ut *Olam vaed*, vel antè, *Ad Olam*. Itaque, si res ita se habeat, dictum Salomonis, Leolam *In sæculum stat*, inferius est dicto Davidis, *Non dimovebitur in sæculum & sempiternum* olam vaed. Verùm alibi quoque docuit David Æternitatem Cœlorum & Perpetuitatem statutorum ipsorum, Immutabilitatemq; omnium eorum, quæ in illis sunt; *Laudate* DEUM Psal.148.v.1.
de Cœlis, &c. *Quia ipse præcepit, & creata sunt, & stare fecit ea in æternum* v.5.6.
& in sæculum, statutum dedit, & non præteribit; ita enim hoc explico, quòd illa statuta, illæ consuetudines, quas eis dedit & ordinavit, in æternum non mutabuntur. Per *Statutum* enim intelligit statuta illa Cœli & Terræ, quorum in præcedentibus mentionem fecimus, & de illis dicit, quòd creata sint. Nam *ipse, inquit, præcepit, & creata sunt.* In hunc sensum scribit quoq; Jeremias; *Qui dedit Solem in lucem* cap.31.35.
diei, & statuta Lunæ & Stellarum in lucem noctis, &c. *Si amoveri possunt statuta ista à facie mea, inquit* DOMINUS, *etiam semen Israël amoveri poterit, ut non sit Gens coram me cunctis diebus.* Hic enim apertè profitetur, licèt statuta illa sint creata, non tamen cessatura vel desitura. Ac, si diligenter inquiratur, reperietur hoc ipsum in aliis verbis Salomonis. Scripsit enim, quòd ista opera, Mundus videlicet, & quicquid in eo est, in natura sua perpetuò permaneant, licèt sint facta, (h.e. *creata*): *Quicquid facit* DEUS, *ipsum erit in sæculum, super illud non est* Eccles.3.14.
addendum, nec ab eo detrahendum. In hoc versu quippe indicat, Mundum esse de opere DEI, & esse Æternum: Æternitatisq; illius hanc reddit caussam; *Super illud non est addendum, nec ab eo detrahendum.* Hac enim de caussa ait, futurum esse in sæculum; Q. D. Omnis res, quæ mutatur, mutatur vel propter defectum alicujus rei, quâ ad perfectionem indiget; vel propter superfluitatem alicujus rei, quâ non indiget, & carere potest. Opera autem DEI, cùm in suprema sint perfectione, neque in illis aliquid vel superfluum sit, vel deficiens, necessariò permanent in eo statu, in quo sunt. Nihil enim inveniri potest, quod mutationem in illis caussari queat. Prætereà, quasi rationem vellet reddere, vel excusare ea, quę mutantur, aut potiùs mutari videntur, in fine versûs ita scribit, *Et Deus facit, à quo timent*, h.e. innovat, facit mirabilia & miracula. Quod posteà ait, *Illud, quod fuit, jam* Ibid. Ibid.v.15.
est, & quod futurum est, jam fuit, & Deus requirit tempus præteritum; illo nihil aliud vult docere, quàm continuam durationem rerum existentium, uniusque post alteram successionem. Illud autem, quod adduxit de perfectione Operum DEI, quódque illis nihil possit addi, vel detrahi, ante ipsum jam revelavit nobis Sapientum omniũ
Domi-

Deut.32.4. Dominus & Antesignanus, inquiens, *DEI perfectum est opus*: h. e. Opera, vel Creaturæ ejus omnes in summâ sunt perfectione, neque ulla eis admixta est vel imperfectio, vel superfluitas. Similiter etiam, quicquid DEUS illis *(inesse)* vel ex illis *(fieri)* decrevit, id-ipsum ex summâ ejus est justitiâ & sapientiâ, sicut in aliquot hujus libri capitibus explicatur.

CAP. XXIX.

Docet, quòd loca illa Scripturæ, quæ de Mundi Interitu docere videntur, omnia sint parabolica, neq; ex illis probari possit, Mundum interiturum.

QUI non intelligit linguam Hominis, quem audit loquentem, is equidem novit, quòd loquatur, sed nescit, quid loquatur, & quid sibi velit; immò, quod magis mirum est accidit sæpè, ut voces quædam in lingua ejus, qui loquitur, significent rem quampiam, cujus planè contrarium denotant in lingua ejus, qui audit, & audiens existimet, idem illas in Loquentis lingua significare quod in sua. E. G. Si Arabs audiat Hebræum loquentem ac dicentem *Abbah*, existimabit illum loqui de aliquo, qui quippiam Non-vult, vel Renuit, cùm Hebræus dicat, quòd illud velit, *(Abbah* enim in lingua Hebræa significat *Velle*, & in lingua Arabica, *Nolle)*.

Eodem planè modo accidit Vulgo in verbis Prophetarum. Quædam enim omninò non intelligunt, sed sunt illis, sicut Propheta ait:
Jesa.29.11. *Eritq; vobis Visio omnium verborum Prophetarum sicut verba epistolæ obsignatæ.* Quædam verò contrario & menti Authoris repugnante ac-
Jerem.23.36. cipiunt sensu, sicut dicitur, *Et pervertistis verba DEI viventis, DOMINI exercituum, DEI nostri.* Prætereà scito, unumquemque Prophetam peculiare quid habere; & eâ linguâ, eâq; loquendi ratione, quæ ipsi est familiaris & consueta, ipsum impelli à Prophetia sua ad loquendum ei, qui intelligit ipsum. *(Si Propheta est Hebræus, impellit eum Prophetia, ut loquatur Hebraicè; si Arabs, Arabicè,* &c. *Si purum & ornatum sermonem vel stylum habet, eodem modo Prophetiam suam eloquitur; si minùs ornatum, minùs ornatè quoq; Prophetiam suam profert,* &c. Sic exponunt Commentatores Hebræi verba Authoris).

Propheta suâ linguâ & stylo Prophetias suas eloquuntur.

His ergo ita præfatis, sciendum, crebrò hoc occurrere in verbis Prophe-

Prophetæ Jesajæ, minùs frequenter in verbis aliorum Prophetarum. Quando enim vaticinatur de Gentis alicujus Destructione, vel de Populi alicujus magni Interitu, ait: *Stellas cecidisse*; *Cœlos interiisse & contremiscere*; *Solem obtenebratum*; *Terram vastatam & commotam esse*; aliisq; multis similibus loquutionibus parabolicis utitur, sicut apud Arabes, de eo, cui singulare aliquod infortuniũ accidit, dicitur, quòd *Cœlum ipsius in Terram conversum sit, vel super Terram ejus ceciderit*: sic, quando enarrat (*Jesajas*) Prosperitatem ac Felicitatem Genti alicui eventuram, dicit: *Lucem Solis vel Lunæ augeri*; vel, *Cœlum & Terram innovatum iri*. Alii autem Prophetæ, cùm loqui volunt de Viri, Gentis vel Terræ alicujus Interitu, attribuunt DEO Opt. Max. *magnam Iram* & *Indignationem*; cùm verò sermonẽ volunt instituere de Prosperitate Populi alicujus, attribuunt DEO *Lætitiam* & *Exultationem*. De Ira DEI contra Populum aliquem dicunt: *Egressus est, Descendit, Rugiit, Tonavit, Edidit vocem*, & similia. Item: *Præcepit, Dixit, Operatus est, Fecit*, &c. Sæpè, cùm interitum Incolarum loci alicujus annunciare volunt, pro illis *totam Speciem* nominant & usurpant. Sic ait Jesajas: *Et elongabit* DOMINUS Adam *Hominem*, loquens de interitu Israëlitarum. Ita Tzephanias: *Et succidam* Adam *Hominem de superficie Terræ, & extendam manum meam super Jehudah*. Observa hoc diligenter. Jes. 6.12. Zephan. 1.3.

Stylo itaque & phrasi Prophetarum in genere sic explicatâ, veritatem illius in specie quoque nunc tibi ostendam & demonstrabo.

Quòd Prophetæ, Regni vel Gẽtis alicujus Destructionem & Interitum, per Cœli, Terræ, Solis, Lunæ, Stellarum, &c. cõmotionem, vastationẽ, mutationem, &c. exprimant & prædicant.

Jesajas, cùm à DEO mitteretur ad prophetandum de Regni Babylonici destructione, & Sancheribi, Nebucadnezarisq; successoris illius interitu, ac enarrare inciperet ruinam in fine Regni illorum ipsis eventuram, victoriam, quâ vincendi erant, & mala omnia, quæ victos omnes, à vi gladii fugientes, comitari solent, in hunc modum ait: *Quoniam Stellæ Cœlorum & Orion eorum nequaquam splendere facient lumen suum; obscurabitur Sol, quando egredietur, & Luna nequaquam splendere faciet lumen suum*. Et paullò post: *Idcircò Cœlum commovere faciam, & Terra movebitur de loco suo propter iram* DOMINI *exercituum, & propter diem iræ furoris ejus*. Neque enim quemquam puto ita ignorantem, cœcum, literæq; parabolarum & narrationum historicarum vel oratoriarum addictum esse, ut existimet, Stellas, Cœlum, Lucem Solis & Lunæ mutata esse, vel Terram de centro suo motam, quando destructum fuit Regnum Babel. Verùm repræsentat nobis tota hæc narratio statum & conditionem Hominis victi, cui lux omnis atra,

JESAJAS de Regni Babylonici destructione. Jesa. 13.10. Ibid. v. 13.

Status & cõditio Hominis victi.

dulce amarum, immò cui Terra nimis angusta, & Cœlum ruinam minitari videtur.

De Israëlitarum calamitatibus sub Sancheribo. Sic, cùm vellet narrare id, quod à DEO acceperat, de Attenuatione & Depressione Israëlitarũ tempore impii illius tyranni Sancheribi, cùm dominaretur in omnes urbes munitas Jehudæ, quomodo sint in captivitatem abducendi, affligendi, infinitis malis & angustiis ab ipso afficiendi, totaq; adeò Terra per manum ejus perdenda, sic scripsit; *Formido & fovea & laqueus erit super te, ô habitator Terræ! Et erit, qui fugerit à facie formidinis, cadet in foveam, & qui ascenderit de medio foveæ, capietur laqueo, quia cataractæ de Excelso aperientur, & contremiscent fundamenta Terræ. Confringendo confracta est Terra, dissipando dissipata est Terra, movendo movit sese Terra, agitando agitabit sese Terra sicut ebrius, &c.* Ita cùm in fine illius Concionis describit, quid DEUS Sancheribo sit facturus; Interitũ videlicet Regni ejus super Hierusalem, & Ignominiam ac pudorem, quo Deus ipsum sit affecturus, ita ait: *Itaq; erubescet Luna, pudoreq; afficietur Sol, quia regnavit DOMINUS exercituum*, quod eleganter admodùm Jonathan F. Uzielis interpretatur. Nam ita exponit; Quando accidet Sancheribo id, quod accidit Jerusalem, tùm scient Idolorum cultores, quòd hoc sit opus DEI, & pudore ac ignominiâ afficientur. Hæc enim sunt verba ejus: *Et pudore afficientur, qui colunt Lunam, & erubescent, qui colunt Solem, quia revelabitur regnum DOMINI, &c.*

Jesa.24.17.

De interitu & confusione Sancheribi.

Ibid.v.23.

De felicitate Israëlitarum post mortem Sancheribi. Cùm incipit loqui de statu tranquillo Israëlitarum post mortem Sancheribi, pinguedine item, fertilitate ac inhabitatione Terræ ipsorum, Regni denique per Hiskijam exaltatione & dilatatione, parabolicè hoc ita exprimit, ut inquiat, *Lucem Solis & Lunæ auctam iri.* Quemadmodum enim de Victo dixit *(suprà)*, *quòd lux Solis & Lunæ ipsorum recedat & in Tenebras convertatur*; sic de Victoribus ait, *quòd lux ipsorum augeatur.* Nam experientia comprobat, oculos hominis in calamitate magna constituti obscurari, neque claram esse lucem visûs ejus; quia spiritus visivus ob nimiam vaporum abundantiam, & nimiam suam debilitatem ex multitudine luctûs & angustiæ animæ tùm turbatur. Econtrà in lætitia, cùm facultates animæ ad exteriora diffunduntur & spiritus clarus est, videtur homini, ac si lux longè clarior fieret, quàm erat anteà. Hinc posteaquàm dixit Propheta; *Populus enim in Tzijon habitabit, & in Jerusalem, plorando non plorabit, miserendo miserebitur tui, &c.* tandem subjungit; *Eritq; lux Lunæ sicut lux Solis, & lux Solis erit septempliciter, sicut lux septem dierum, in die, quâ obligaverit DOMINUS contritionem Populi sui, & percussuram plagæ ejus.*

Hominis in calamitate constituti oculi & visus obscurantur.

In lætitia lux videtur esse clarior.

Jesa.30.19.

Ibid.v.26.

eius sanaverit, h.e. cùm iterum ruinam ipsorum è manu Sancheribi impii eriget. Quod ait, *Sicut lux septem dierum*, id exponunt Interpretes de Multitudine; eò quòd Hebræi soleant multiplicare per septem, (h.e. *septenarium numerum pro Multitudine ponere*). Mihi verò videtur, illum respicere ad septem dies dedicationis Templi tempore Salomonis, quia non fuit unquam Populo illi tanta gloria, felicitas & lætitia, sicut in diebus illis: ita ut Propheta hoc velit dicere; Talem ipsorum gloriam & felicitatem futuram, qualis fuit septem illis diebus.

Septenarius apud Hebræos sumitur pro Multitudine.

Describens Interitum Edom, qui affligebant Israëlem, ita loquitur; *Et interfecti eorum projicientur, & de cadaveribus eorum ascendet fœtor eorum, & liquescent montes propter sanguinem eorum. Liquescet quoque universus exercitus Cœli, complicabunturq; Cœli sicut liber, & universus exercitus eorum decidet, sicut decidit folium de vite, & sicut decidit de ficu. Quoniam inebriatus est in Cœlo gladius meus, ecce super Edom descendet, &c.* Attendite hic, qui oculos habetis, & videte, an sit in isto loco aliquid, quod nobis dubitandi vel suspicandi ansam præbeat, quòd agatur de re quapiam reverà Cœlis eventura? an verò nudæ sint parabolæ de Regni ipsorum destructione, de providentiæ DEI ab illis recessione, velocique ac repentinâ magnificentiæ ipsorum depressione & humiliatione? Idem enim est, ac si diceret; Viri, qui statûs & dignitatis suæ ratione similes fuerunt Stellis, ac extra omnem fortunæ mutationisque aleam positi videbantur, subitò deciderunt, instar folii à vite vel ficu decidentis. Hunc Prophetæ sensum esse, ita clarum est & evidens, ut nullum de eo verbum facere necesse fuisset, ne-dum tàm fusè explicare, nisi quidam, non solùm è vulgo, sed & ex iis, qui singulares esse volunt, existerent, qui rationes hinc (*pro interitu Mundi* sc.) conficiunt, nullâ vel antecedentium, vel consequentium, vel subjectæ materiæ ratione habitâ; existimantes, Legem æquè nobis testari de illis, quæ Cœlis eventura sunt in fine dierum, (h.e. *de Cœli interitu*), atque nos docet de generatione illorum.

De interitu Edomiorum. Jesa. 34. 3.

Quando Jesajas Israëlitis lætum de Sancheribi, Populorum, Regumque, qui cum eo fuerunt, interitu, & econtrà de præsenti DEI auxilio ipsis affuturo, nuntium promulgavit, parabolicè id in hunc modum expressit; Videte, quomodo liquefacti sint Cœli illi, & inveterata sit Terra illa, morietur quisquis est super eam, vos verò eripiemini & servabimini. Q. D. Illi, qui repleverunt Terram, & qui ita firmi & stabiles esse putabãtur sicut Cœlum, (per Ironiam), momento peribunt, & consumentur sicut fumus: quorumque res tàm con-

De læto nuntio interitûs Sancheribi & reliquorum Regũ: ut & de præsenti Dei auxilio. Jesa. 51.

ſtantes & immotæ ſicut Terra eſſe videbantur, peribunt ſicut veſti-
Ibid.v.3. mentum, quod veteraſcit. Sic enim incipit concionem illam; *Utiq; conſolabitur* DOMINUS *Tzijonem, conſolatus eſt omnes deſolationes*
Ibid.v.4. *ejus,&c.* Paullò pòſt: *Attendite ad me populemi.* Item: *Propè eſt juſtitia*
v.5. *mea, egreſſa eſt ſalus mea, &c. Levate in Cœlum oculos veſtros, & aſpicite*
v.6. *Terram deorſum: Cœli enim ſicut fumus deficient, & Terra velut veſtimentum veteraſcet, habitatores quoque ejus ſimiliter interibunt, ſalus autem mea in ſempiternum erit, & juſtitia mea non conteretur.*

De reductione & conſervatione Iſraëlitarû. De reductione, ſtabilitate & conſervatione Regni Iſraël inquit, DEUM renovaturum Cœlos & Terram. Conſuevit enim de Regno aliquo loqui, ac ſi eſſet Mundus peculiaris, h.e. Cœlum & Terra.
Jeſa.51.12. Cùm incipit conſolationem ſuam, inquit: *Ego, Ego ſum conſolator veſter.* Et paullò pòſt; *Poſui verba mea in ore tuo, & in umbra manûs meæ protexi te, ut plantes Cœlos, & fundes Terram, & dicendo ad Tzijon, Populus meus es tu.* Cùm vaticinatur, quâ ratione ſuperſtes futurum ſit Regnum Iſraëlis, & aliorum Regnorum jugum à ſe excuſſurum, ait;
Jeſa.54.10. *Montes movebunt ſe, & colles mutabuntur, miſericordia autem mea à te non recedet.* De æternè-duraturo Regno Meſsiæ, & non deſtruendo Re-
Jeſa.60.20. gno Iſraëlis ait; *Non occidet ultrà Sol tuus,&c.* Et quia hac ratione ſolitus eſt ſub ejusmodi parabolis mentem ſuam intelligentibus eas explicare, eodem quoque modo Captivitatem & particulares circumſtantias ejus enarravit ac prædixit, & poſteà etiam Reductionem illorum, Regni reſtitutionem, omnisque luctûs deletionem
Jeſa.65.17. & abolitionem, his verbis; *Ecce ego creabo Cœlos novos & Terram novam, & non memorabuntur priores, nec aſcendent ſuper eos.* Quibus verbis quid ſibi velit, in ſequentibus mox explicat, hunc in ſenſum ſcribens; Quod dixi, *Creabo Cœlos,* &c. id ita intelligo, quòd vos poſiturus ſim in lætitiam perpetuam, loco luctûs & anxietatis illius, neq; illius luctûs prioris memoria ſit remanſura. Verùm audi ordinem ſingulorum, & rationem connexionis locorum de hac re docentium.
Jeſ.63.7. In principio illius argumenti ait: *Miſerationes* DOMINI *memoriâ repetam, & laudes* DOMINI *pro omnibus, quæ contulit nobis.* Poſteà miſe-
v.9. rationes illas recenſet, ſic porrò inquiens: *Portavitq; eos, & tulit eos*
v.10. *cunctis diebus ſæculi,&c.* His noſtram ſubjungit rebellionem: *Ipſi autem rebelles fuerunt, & iraſci fecerunt Spiritum Sanctum ejus.* Poſt hæc
v.18. commemorat Dominium inimicorum noſtrorum ſuper nos: *Hoſtes noſtri conculcaverunt Sanctuarium tuum. Fuimus ut ii, quibus à ſæculo non*
cap.64.9. *es dominatus,&c.* Deinde pro nobis orat: *Ne iraſcaris* DOMINE *uſque valdè.* Hinc tranſit ad recenſenda ea, quibus potiſsimùm rei facti & plagas

plagas illas commeriti fuimus, quòd videlicet ad veritatem vocati fuerimus, sed non responderimus; *Quæsitus sum ab iis, qui anteà non interrogabant, &c.* Hoc facto pollicetur nobis remissionem & misericordiam, dicendo: *Sic dixit DOMINUS, Quemadmodum invenitur mustum in botro, & dicit, quis &c.* Inimicis verò nostris, violentiam in nos exercentibus, minatur pœnas; *Ecce servi mei comedent, vos verò esurietis.* Post-hæc indicat, quòd populus hic (sc. *noster*) fidem suam sit emẽdaturus, in benedictionẽ in Terra futurus, quódq; ea omnia, quę præcesserunt, æternâ oblivione sint sepelienda, his verbis: *Servos autem suos vocabit nomine alio. Qui benedicet se in Terra, benedicet se in DEO vivente: & qui juraverit in Terra, jurabit in DEO veraci: quoniam oblivioni traditæ sunt angustiæ priores, & abscondent se ab oculis meis. Ecce enim, ego creabo Cœlos novos, & Terram novam, & non me morabuntur priores, nec ascendent super eos. Sed gaudete & exultate in seculum seculi in his, quæ ego creo: nam ecce, ego creo Hierusalem exultationem, & Populum ejus gaudium, & exultabo in Hierusalem, &c.* Sic tibi declaratum & revelatum est totum negotium. Posteaquàm enim dixit, *Ecce, ego creo Cœlos novos & Terram novam,* continuò, quid sibi velit, exponit, dicẽdo; *Ecce, ego creo Hierusalem exultationem, & Populum ejus gaudium.* His autem præmissis, ait; Quemadmodum Fides illa & Lætitia in ipsa, de quibus tibi promisi, quòd illa sim creaturus, quódque Terram sint impletura, perpetuò manent; (Fides enim in DEUM, & Lætitia in fide illa, sunt duæ res, quæ nec perire, nec mutari possunt in illis, qui ea possident): quemadmodum, inquam, Fides, & Lætitia in fide, de quibus tibi promisi, quòd impletura sint Terram, immota sunt & perpetua; ita perpetuum quoq; erit Semen & Nomen vestrum. Hoc enim sibi vult, dum ait; *Sicut Cœli novi & Terra nova, quæ ego facio, stant coram me, dixit DOMINUS; sic stabit semen vestrum & nomen vestrũ, &c.* Nam aliquando accidit, ut Semen quidem remaneat, sed Nomen pereat; quemadmodum multi sine dubio hodiè inveniũtur, qui sunt de semine Persarum aut Græcorum, qui tamen nomine illorum proprio non appellantur, sed sub aliarum Gentium titulo comprehenduntur. Atque hoc ipsum, meo judicio, argumentum est Æternitatis Legis nostræ; quia propter illam Nomen proprium & peculiare habemus. Sic itaque, quia frequenter admodùm in Jesaja parabolæ istiusmodi occurrunt, eas omnes explicare tibi volui.

cap. 65.1. *v. 8.* *v. 13.* *v. 15. 16. 17. 18.*

Fides in Deo, & Lætitia inde nascens, nec perire, nec mutari queunt.

cap. 66.22.

Sed & similia reperiuntur apud alios Prophetas. *Jeremias*, cùm vaticinatur, quâ ratione urbs Hierusalem propter iniquitates Patrum nostrorũ vastanda sit, inquit: *Vidi Terram, & ecce erat desolata & vacua.*

JEREMIAS de vastatione urbis Hierusalem. Jerem. 4.23.

EZECHIEL de interitu Ægypti, & nece Pharaonis. Ezech.32.7. *Ezechiel*, enarrans interitum Regni Ægyptiorum, & necem Pharaonis per manum Nebucadnezaris, his verbis utitur; *Et operiam, quum extinxero te, Cœlos, & obtenebrescere faciam Stellas eorum, Solem nube tegam, & Luna non lucere faciet lumen suum. Omnia alia luminaria lucis in Cœlo obtenebrescere faciam propter te, daboq́, tenebras super terram, dixit* DOMINUS.

JOEL de vastatione Terræ per Locustas. Joel.2.10. *Joël* Filius Pheruelis, de magna Locustarum sui temporis copiâ hoc pacto scribit; *Ante ipsum commovebitur Terra, trement Cœli, Sol & Luna obtenebrabuntur, Stellaq́, retrahent splendorem suum.*

AMOS de vastatione Samariæ. Amos 8.10. *Amos*, de vastatione Samariæ sic loquitur: *Occumbere faciam Solem in ipso meridie, & tenebris obruam Terram in die luminis. Convertam quoq́, festivitates vestras in luctum, &c.*

MICHÆAS de eadem. Mich.1.3. *Micha*, in ejusdem Samariæ interitûs descriptione, tritis & usitatis his loquendi formulis utitur: *Ecce, inquit,* DOMINUS *egreditur è loco suo, & descendet, calcabitq́, super excelsa Terræ, & liquescent montes sub eo.*

HAGGÆUS de Persarũ & Medorum interitu. Hag.2.7. *Haggæus*, de Regni Persarum & Medorum destructione ita fatur: *Ego commoturus sum Cœlum & Terram, ac Mare, & aridam: commoveboq́, omnes Gentes.*

DAVID. Psal.60.4. Sic, cùm Joab pugnâsset contra Edom, ac David recenseret, quàm debiles & infirmi, quoties victi & percussi anteà fuissent Israëlitę, & quo pacto DEUS ipsis tunc in auxiliũ exoratus fuerit; *Tremere fecisti, inquit, Terrã, scidisti eam, sana fracturas ejus, quia nutat.* Ita cùm nos hortatur, ne timeamus, quando Populi moriuntur & intereunt, eò quòd innitamur saluti DEI Benedicti, non gladio aut viribus nostris, ait;
Psal.46.3. *Populus servatur in* DOMINO, *est clypeus auxilii tui.* Et; *Non timebimus, etiamsi permutârit Terram, & moverit montes in cor Maris.* Sic, quando
Psal.77.17.19. agit de submersione Ægyptiorum: *Viderunt te Aquæ,* DEUS, *viderunt te Aquæ, & timuerunt, etiam commotæ sunt voragines, &c. Sonitus tonitrui tui in Cœlo, &c. Commota est & contremuit Terra, &c.*

HABACUC. Hab.3.8. Psalm.18.9. Ita ait *Habacuc: Númquid contra flumina iratus est* DOMINUS*? &c.* Sic: *Ascendit fumus in ira ejus, & ignis ex ore ejus consumpsit, &c.*

DEBORA. Judic.5.4. Sic in Cantico Deboræ: *Terra contremuit, &c.* Et sic plurima alia hujus generis adhuc occurrũt. Ea verò, quæ non adduxi, secundùm exempla allegata sunt exponenda.

Joel.2.30. Quod attinet dictum Joëlis: *Daboq́, prodigia in Cœlo & in Terra, sanguinem, & ignem, & columnas fumi. Sol ipse convertetur in tenebras, & Luna in sanguinem, antequam veniat dies* DOMINI *magnus & terribilis. Erit præterea, quicunque invocaverit Nomen* DOMINI*, evadet; nam in monte Tzijon & Hierusalem erit evasio, &c.* quod, inquam, hoc dictum attinet, id

id mihi agere videtur de cæde Sancheribi prope Hierusalem. Si verò hæc expositio tibi non arrideat, poterit exponi de interitu Gog & Magog tempore Mesiæ ad urbem Hierusalem futuro, licèt illius expresſè nulla fiat mentio, ſed magnæ tantùm Stragis, Ignis, & Eclipſis Luminarium. Quòd ſi quæſiveris, quomodo in expoſitione noſtra dicamus, Stragem Sancheribi vocari *Diem Domini magnum & terribilem?* ſcias, omnem diem, quo Deus ſingularem & extraordinariam liberationem vel pœnam immittit, vocari *Diem DOMINI magnum & terribilem:* ut, *Magnus dies DOMINI, & terribilis, quis ſuſtinebit eum?*

Dies Domini magnus & terribilis quis?

Joël.2.11.

Sic itaque demonſtratum eſt id, circa quod hactenus verſati ſumus, videlicet; Mundum hunc interiturum, vel ſtatum ejus præſentem in ſe, vel quâcunque ejus re mutatum iri, aut mutationem aliquam conſtātem ſubiturum, ex ſcriptis Prophetarum & Sapientum noſtrorum probari non poſſe.

Quod attinet dictum illud; *Sex-millibus annorum durabit Mundus, & uno vaſtitas*; id non debet intelligi de omnimoda privatione Exiſtentiæ: & dum dicit, *Uno vaſtitas*, docet, Tempus aliquod tùm remanſurum. Prætereà, dictum eſt particulare unius alicujus Viri, & reſpectu certæ alicujus ſententiæ ac opinionis prolatum.

Id verò, quod in univerſum apud omnes Sapientes reperitur, & quod fundamentū eſt, ex quo univerſi ac ſinguli Doctores Miſchnæ argumentantur, eſt, quod dicitur; *Nihil novi fit ſub Sole:* & quòd nulla ibi fiat ullo modo vel ullam ob cauſſam innovatio, ita ut ille etiam, qui *Cœlos novos & Terram novam* accipit, ſicut cogitat, (h.e. *ſecundùm ſenſum litteralem*) dicat, Cœlos illos, qui dicuntur creari debere, jam creatos eſſe ac ſubſiſtere, ſicut dicitur, *Stant coram me*; (non enim dicitur, *Stabunt*; ſed, *Stant*): & hoc probat ex eo, quòd dicitur, *Nihil novi fit ſub Sole.* Neque hoc repugnat iis, quæ nos expoſuimus, ſed fieri poteſt, ut ita intellexerit, Naturam illam, per quam res promiſſæ *(per Cœlum novum & Terram novam)* exiſtunt, jam extitiſſe inde à ſex diebus Creationis, id quod eſt veriſsimum.

Eccleſ.1.9.

Jeſ.66.22.

Quod dixi, *Nullam in Mundo rem à natura ſua mutari mutatione conſtanti & permanente*; id dixi reſpectu Miraculorum. Nam licèt Virga in Serpentem, Aqua in Sanguinem, Manus munda in Albam, converſa ſint, ſine neceſſaria aliqua cauſſa naturali; tamen iſta omnia conſtanter ita non permanſerunt, neque in naturam aliam immutata ſunt. Verùm, prout Rabbini noſtri dicunt, *Mundus retinet ac ſequitur ſuam conſuetudinem.*

Authoris ſententia de Miraculis.

Atque

Atque hæc est nostra de Miraculis sententia, quam credendam & amplectendam censemus, licèt Sapientes nostri longè alia de illis prodiderint, quæ in *Bereschith rabbah* & *Medrasch Koheleth* scripta invenies. Existimant enim, Miracula etiam aliquo modo è Natura promanare. Nam dicunt, Quando DEUS Opt. Max. hanc Existentiam (h.e. istam Rerum universitatem) creavit, Illum tùm unicuique Enti naturam suam ordinâsse & determinâsse, illisque Naturis virtutem indidisse, Miracula illa, quæ suo tempore in illis contingere deberent, producendi: &, Signum Prophetæ nihil aliud esse, quàm quòd Deus Prophetis significârit tempus, quo dicere hoc vel illud debeant, & quo hæc vel illa res miraculosum aliquem effectum habitura fuerit, quem illius naturæ à principio implantavit.

Rabbinorũ sententia de Miraculis.

Verùm hæc sententia quoque, qualiscunque sit, docet nos de excellentia & præstantia Authoris illius; quâ ratione nempe difficillimum judicârit esse, ut vel Natura, post absolutum opus Creationis, vel Voluntas DEI, postquàm omnia ab Ipso ita constituta sint, mutetur: quasi dicere voluisset exempli gratiâ; DEUM naturæ Aquæ indidisse, ut sit continua, & semper deorsum fluat, excepto tantùm illo Tempore, quo submersi fuerunt in illa Ægyptii, & illâ solùm Aquâ, quæ divisa fuit.

Sic itaque & de hujus sententiæ scopo ac intentione principali te erudivi, quòd videlicet hùc præcipuè tendat, ut fugiat Innovationem alicujus rei (*post opus Creationis*). Dicitur ibidem: *Dixit R. Jonathan; Certas conditiones pactus est DEUS cum Mari, ut finderetur coram Israëlitis: hoc enim est, quod scriptum extat*; Et reversum est Mare, respiciente
Exod. 14. 27. mane ad fortitudinem suam. *Dixit R Jeremias Filius R. Elieseris; Non cum Mari solùm pactus est DEUS, sed cum omnibus, quæ creavit intra sex dies Creationis. Hoc enim est, quod scriptum est:* Ego, manus meæ tetenderunt Cœlos, & omni exercitui eorum præcepi; *Præcepi Mari, ut finderetur: Igni, ne noceret Chananiæ, Mischaëli, Azariæ: Leonibus, ne læderent Danjelem: Pisci, ut evomeret Jonam, &c.* Eadem enim est ratio reliquorum.
Jes. 45. 12.

Ita ergo totum hoc negotium, & quid nos de eo statuamus, tibi est explicatum & revelatum; quòd nempe dimidiâ parte cum Aristotele consentiamus, sententiamque ejus amplectamur, ac credamus; Existentiam sc. hanc, sive Mundum hunc esse perpetuum ac æternum, in ea, quam DEUS ei pro suo beneplacito dedit, natura; neque quicquam in eo mutari, nisi miraculosè in rebus quibusdam particularibus, licèt DEUS potentiam ac facultatem habeat illum totum,

totum, vel aliquas ejus partes immutandi aut privandi; sed tamen habere initium ac principium, quo nihil fuit, nisi DEUS & Sapientia ejus, quâ decrevit, se existentiam rebus his creatis certo tempore daturum & ordinaturum, ne privari vel mutari possint, nisi particularia quædam, quæ ipsi placet, quæ ex parte scimus & ex parte ignoramus. Aristotelis verò sententia est: Sicut Mundus est æternus & incorruptibilis; ita quoque esse antiquum & non generatum, id quod ostendimus esse non posse, nisi per modum necessitatis: hanc autem esse absurdam & à natura DEI alienam.

Posteaquàm igitur hûc à nobis perductus est tractatus iste, adducemus nunc caput peculiare, in quo agemus de locis aliquot occurrentibus in *Opere Creationis*. Intentio enim nostra prima in hoc libro est, exponere, quæcunque de Opere Bereschith & Mercavah exponi possunt. Priusquàm verò id faciamus, duæ nobis sunt præmittendæ Propositiones.

Prima est; *Non omnia secundùm litteram intelligenda & accipienda esse, quæ dicuntur in opere Bereschith seu Creationis, sicut Vulgus hominum existimat.* Nam aliàs non præcepissent Sapientes illa occultari, neq; tantâ curâ in eis abscondendis & parabolis involvendis usi fuissent, neque etiam tàm studiosè prohibuissent, ne de iis sermo fieret coram imperita Plebe. Sensus enim illorum litterales vel gignunt pravas cogitationes, imaginationes, & opiniones de Natura DEI Opt. Max., vel certè fundamenta Legis evertunt, hæresinque aliquam introducunt. Ideoque non sunt in imaginatione vel cogitatione solùm considerandæ, & sine artium aliarum liberalium cognitione; neq;, sicut Concionatores & Commentatores arbitrantur, res comparata est, qui existimant, cognitionem explicationis vocabulorum magnam esse scientiam, summamque perfectionem, si multis verbis & longo sermone explicentur. Verùm considerandæ & intelligendæ sunt secundùm veritatem intellectûs, post adeptam in scientiis demonstrativis, & mysteriorum Propheticorum cognitionem, perfectionem. Quicunque verò aliquam in illis scientiam habet, cavere debet, ne illa divulget, sicuti sæpiùs monuimus in Commentario nostro in Mischnam. Hinc claris verbis dicunt quoque Rabbini nostri; *A principio libri usque hûc gloria Domini est celare verbum:* dixerunt autem hoc post ea, quæ scripta sunt de operibus sexti diei; ex quo patet veritas illius, quod nos diximus. Quia verò is, qui perfectionem aliquam nactus est, tenetur & obligatur illam aliis quoque infundere & communicare, sicuti in subsequentibus de Prophetia

Non omnia sunt litteraliter intelligēda in historia Creationis.

Mm

capitibus explicabimus; ideò fieri non potest, quin illi, qui aliquid ex secretis istis, sive proprio Marte & industriâ, sive ope præceptoris alicujus, apprehenderunt, nonnunquam pauca quædam dicant. Verùm non apertè & clarè hoc faciendum est, sed tectè, & non nisi per signa & indicia, qualia sparsim, & aliis rebus permixta in verbis celebriorum ac præstantiorum Rabbinorum nostrorum inveniuntur. Ideoque & ego, uti observabis, in istis mysteriis sæpè unius alicujus verbi vel dicti solùm mentionem facio, quod cardo quasi est totius rei; cætera verò illis relinquo, quibus relinquenda sunt.

Prophetæ utuntur sæpè vocabulis nonnullis propter ipsorum etymologiam. Secunda Propositio est; *Quòd Prophetæ sæpè adhibeant vocabula æquivoca, & metaphorica, quorum intentio non est id, quod in prima parabola seu metaphora docent & significant, sed propter etymologiam & derivationem aliquam:* ut, Makkel schaked *Virgam vigilantem vel amygdalinam, quia* Jerem. 1. 11. Schoked *vigilo ego, &c.* quemadmodum explicabimus, quando de Prophetia agemus. Juxta hanc etiam rationem dicitur in Opere Ezech. 1. 4. Mercavah, *Chaschmal*, sicut alibi diximus. Sic, Ibid. 1. 7. *Regel egel*, & *Nechoschcheth kalal*, &c. Sic apud Zachariâ, Zach. 6. 1. *Et montes erant montes* nechoschcheth, *&c.*

His itaq; Propositionibus explicatis, accedo ad caput illud, quod anteà tibi promisi.

CAP. XXX.

In quo varia explicat, quæ pertinent ad Opus Creationis.

Differentia inter Primum & Principium. SCITO ante omnia, quòd differentia magna sit inter *Primum* & *Principium*. Nam *Principium* dicitur de re, cujus est principium, vel cum qua incipit, licèt tempore illam non præcedat, sicut dicitur Cor esse principium animantium, & Elemẽtum principium ejus, cujus elementum est, (vel *quod ex quatuor Elementis constat*, ut Manuscriptum exemplar habet). Et in hoc sensu dicitur quoque nonnunquam aliquid esse Primum. Verùm *Primum* dicitur propriè de eo tantùm, quod tempore præcedit, licèt illud Primum, vel Prius tempore, non sit caussa posterioris vel subsequentis, sicut dicere solemus; Primus, qui hanc domum inhabitavit, fuit N., post ipsum N., nec tamen dicimus, quòd ille N. fuerit principium hujus N. De *Primo*, seu de eo, quod *Primum* est, docet in Lingua nostra vocabulum Hos. 1. 1. *Thechillah*: ut, Thechillath *Primum verbum Domini in Hosea.* De *Principio* autem docet vocabulum *Reschith*, quod derivatur à *Rosch* Caput, quod sitûs ratione principium est Animantium.

Mun-

Mundus non creatus est in Principio Temporali *(temporis)*, sicuti declaravimus; Tempus enim est ex numero Creaturarum. Ideò dicitur, *Bereschith* Creavit Deus; ubi Præpositio inseparabilis בּ *Beth*, est *Beth Vasis*, seu *Instrumenti*: & vera illius loci expositio est hæc; *In principio creavit Deus superiora & inferiora*: Expositio conveniens Novitati Mundi. *Mundus non est creatus in principio Temporis.* Gen.1.1.

Quod verò apud Sapientes nonnullos invenis, Tempus extitisse ante Creationem Mundi, id dubium valdè est. Hæc enim est sententia Aristotelis, (quam tibi jam exposui), qui sentit, non posse cogitari Temporis principium. *Tempus nō fuit ante creationem Mundi.*

Verùm absurdum hoc est admodúm. Ad id autem statuendum inducti sunt, quòd scriptum invenerunt, *Dies unus. Dies secundus*; & quòd hoc secundùm litteralem sensum acceperunt, quódque non intellexerint, quomodo potuerit mensurari dies primus & dies secundus sine Sphæra circumdante, & sine Sole. In hunc sensum scribunt alibi; Dies primus:] *Dixit R.Jehudah Bar Simon: Hinc habemus, quòd ordo temporum anteà fuerit. R.Abbhu dicit: Hinc habemus, quòd* DEUS *ædificârit Mundos, & illos iterum destruxerit.* Sed hoc magìs est absurdum, quàm prius. Observa autem, quidnam scrupulum ipsis moverit, Existentia videlicet temporis ante existentiam Solis. Sed jamjam explicabo id, quod ambobus dubitationem creavit; nisi fortè voluerunt dicere, (de verbo ad verbum, *ô* DEUS, *an non voluerunt dicere?*) impossibile esse, ut non anteà tempus fuerit: quæ est ipsissima sententia de Antiquitate Mundi, quam omnes Legem nostram amplectentes refugiunt! Verùm, meâ sententiâ, eadem est horum dictorum ratio, quæ R.Elieseris, *Cœli undènam creati sunt?* Et, ut uno verbo dicam, in his non est ad cujuslibet verba respiciendum. Fundamentum enim Legis nostræ est, quòd DEUS hunc Mundum creârit ex nihilo, & absque principio temporali, cùm Tempus sit creatum, quia videlicet sequitur motum Cœli, & Cœlum creatum est. Gen.1.

Quod autem hîc te scire quoque refert, est & hoc, quòd particula *Eth* אֵת, quæ adhibetur, cùm dicitur, *Et haschamajim veet haarez*, (ut Sapientes nostri in pluribus locis explicârunt), idem valeat quod עִם *Im* Cum: ut sensus sit; Deum creâsse cum Cœlis, quæcunque sunt in Cœlis; & cum Terra, quæcunque in Terra sunt. Nôsti etiam, quòd dicant, Cœlum & Terram simul creata esse, quia dicitur; *Voco ego eos, & stant simul.* Hoc si ita sit, cùm omnia simul creata erunt, & posteà successivè ab-invicem separata. Hinc assimilârunt rem istam Agricolæ, semina diversa, momento uno, in Terra seminanti, quorum *Cœlum & Terra simul creata.* Jesa.48.13.

aliqua progerminant post diem unum, alia post duos dies, alia post tres, licet tota sementis, vel satio, unâ horâ facta fuerit.

Atque secundùm hanc sententiam solvitur dubium, quod movit R. Jehudam filium R. Simonis ad dicendum id, quod dixit, cui hic scrupulus incidit, Quomodo mensurari potuerit dies primus, secundus & tertius? Et expressè scribunt in *Bereschith rabbah* Sapientes nostri de Luce, quę primo die in Lege dicitur creata esse; *Ista sunt Luminaria, quæ creata fuerunt primo die, sed non suspendit ea usque ad diem quartum.*

D. Luce primi dies

Genes. 1. 3.

Porrò & hoc sciendum tibi, quòd *Erez* Terra sit vocabulum homonymum, quod usurpatur tùm *generaliter*, tùm *specialiter*. *Generaliter* dicitur de omnibus iis, quæ sunt sub sphæra Lunæ, h.e. de quatuor Elementis. *Specialiter* dicitur de uno tantùm, & quidem ultimo illorum, quod vocatur *Terra*. Docet nos hoc Scriptura, dum dicit; *Et Terra erat informis & inanis, & Tenebræ erant super facie abyssi, & Spiritus* DEI *incubabat in superficie Aquarum*; ubi ista omnia *Terræ* vocabulo complectitur. Et paullò pòst: *Et vocavit* DEUS *aridam*, Erez *Terram*. Atque hoc quoque est secretum magnum. Quotiescunque enim dictum offendis, *Et vocavit* DEUS *sic, vel sic*, dicitur illud ad distinguendum rem unam ab aliis, cum quibus commune nomen habebat. Ideò hunc versum tibi exposui; In principio creavit Deus superiora & inferiora: & sic proinde per *Terram*, cujus primò fit mentio, *(quando videlicet dicitur,* Creavit Deus Cœlum & Terram), intelligenda erunt Inferiora, h.e. quatuor Elementa, & per Terram, de qua dicitur, *Vocavit* DEUS *aridam, Terram*, Terra in specie sic dicta.

Terra *æquivocè dicitur: generaliter & specialiter.*

Gen. 1. 2.

Ibid. v. 10.

Insuper nec hoc te ignorare decet, quòd quatuor Elementorum, de quibus diximus, quòd comprehendantur sub vocabulo TERRÆ, (quod primò occurrit), primùm fiat mentio post Cœlos; meminit enim *Terræ, Spiritûs, Aquæ, & Tenebrarum*: ubi per *Tenebras* nihil aliud debes intelligere quàm *Ignem elementarem*; sicut ex eo colligere est, quod Scriptura ait: *Et verba ejus audivisti è medio Ignis.* Et mox: *Quùm audivisseris vocem è medio Tenebrarum.* Item: *Omnes Tenebræ absconditæ sunt occultis illius, devorabit eum Ignis non sufflatus.* Vocatur autem ita *Ignis Elementaris*, eò quòd non sit lucens vel lucem præbens, sed lucidus seu pellucidus. Nam si luceret Ignis elementaris, totâ nocte videremus Aërem Igne ardentem vel fulgentem. Recenset autem illa secundùm ordinem & situm ipsorum naturalem; primò enim est *Terra*; supra illam *Aqua*; cum Aqua cohæret *Aër*; & supra hunc est *Ignis*.

Per Tenebras *intelligitur Ignis elementaris.*

Deut. 5. 22. 23.

Jobi 20. 26.

Ita vocatur, quia non lucet.

Ordo quatuor Elementorum à Mose recensetur.

Ignis. Nam dum appropriat Aërem supra faciem Aquarum, sine dubio Tenebræ, quæ sunt super faciem abyssi, erunt supra Aërem. Quod verò dixit, *Ventus* vel *Spiritus Dei*, (h.e. *quòd* Aërem *vocat* Ventum *vel* Spiritum DOMINI), ideò fecit, quia DEUS eum fecit mobilem, h.e. flantem. Motus namq; Venti perpetuò attribuitur DEO: ut, *Ventus profectus est à DOMINO*. Item: *Flavisti vento tuo*. Item: *Et convertit DOMINUS ventum occidentalem fortem valdè*: & sic sæpissimè. Et quia *Tenebræ*, quarum primò recordatur, (quæ sunt Elementum Ignis), non sunt illæ, quarum posteà mentionem facit, (quę sunt Tenebræ propriè dictæ); ideò ad discrimen indicandum ait, *Et Tenebras vocavit Noctem*, juxta id, quòd antè exposuimus. Num.11.31. Exod.15.10. Exod.10.19. Genes.1.5.

Sciendum tibi quoque, id, quod Moses ait, *Et distinxit inter Aquas*, non intelligendum esse de distinctione vel divisione loci, ita ut una Aqua sit suprà, altera infrà, & una sit eademque illarum natura; sed hæc verborum illorum est expositio, quòd distinxerit inter illas distinctione naturali, h.e. in forma ipsa, constituendo partem quandam illius, quod in principio vocavit *Aquam*, rem unam, & tali formâ vestitam, (h.e. *rem peculiarem & certâ formâ vestitam*); alii parti formam aliam largiendo, & hæc est *Aqua* propriè dicta. Hinc dicitur, *Et congregationem Aquarum illarum vocavit Maria*: quibus verbis tibi manifestat, quòd illa Aqua prima, de qua dixit, *In superficie Aquarum*, non sit illa Aqua, quæ est in Maribus; sed, quòd pars illius sit certâ formâ distincta supra Aërem, & altera pars sit ista Aqua. Proinde quod ait, *Et fecit DEUS expansionem, divisitq; Aquas, quæ sub expansione, ab Aquis, quæ super expansionem*, simile est ei, quod dicit, *Et divisit DEUS inter Lucem & inter Tenebras*, quæ est divisio formalis. Quin-imò Expansum ipsum ex Aquis generatum est, secundùm illud Rabbinorum nostrorum, *Congelata est gutta media*. Hinc dicit etiam; *Vocavitq; DEUS firmamentum Cœlum*, ad explicandam homonymiam vocabuli, & indicandum, quòd *Schamajim*, h.e. *Cœlum*, cujus primò meminit, dicendo, *Cœlum & Terram*, non sit illud, quod propriè vocatur *Cœlum* posteà. Et hoc confirmat per id, quod in sequentibus ait, *In superficie expansi Cœli*; ut nempe significaret, quòd *Firmamentum* vel *Expansum* non sit Cœlum. Et propter hanc Nominis æquivocationem vocantur etiam Cœli veri, Expansum, sicut & econtrà Expansum verum vocatur Cœlum: ut; *Et dedit illa DEUS in expanso Cœli*: ex quo dicto & hoc liquet, quod aliàs per demonstrationem quoque probari potest, quòd Stellæ omnes, Sol item & Luna in Cœlo infixæ sint, (quia non datur in Mundo Vacuum); non autem, ut Vulgus existimat, in

Ibid.v.7. *Quid per Aquā intelligatur in historia Creationis.* Ibid.v.10. Ibid.v.2. Ibid.v.7. Ibid.v.4. Ibid.v.8. Ibid.v.1. Ibid.v.8. Ibid.v.20. Ibid v.17.

ſuperficie vel expanſione Cœli hæreant. Dicitur enim, *In firmamento Cœli*; non, *Super firmamentum Cœli*. Sic itaque patet, quòd una communis primò fuerit materia, quam *Aquam* vocabat, ſed poſteà in tres diſtinctas formas diviſa ſit, parsque illius una ſint *Maria*, pars altera *Expanſum*, pars tertia *ſupra Expanſum illud*, & quòd hæc omnia ſint extra Terram. Vides proinde ita & alio ſenſu accipi (Aquam), idque propter admiranda myſteria. Quòd verò *illud, quod eſt ſupra Expanſum*, nomine-tenus tantùm *Aqua* vocetur, non verò ideò, quaſi eſſet Aqua iſta ſpecifica, id dixerunt quoq; Rabbini noſtri, inquientes; *Quatuor ingrediuntur in Paradiſum*, &c. *Dixit illis Rabbi Akibba*; *Quando pervenitis ad lapides marmoris puri, ne dicatis, Aqua, Aqua, quia ſcriptum eſt*; Loquens mendacium non ſtabilietur coram oculis meis. (Pſal.101.7.) Animadverte & obſerva, ſiquidem fueris ex Viris intelligentiæ, quâ ratione in hoc dicto explicârit & retexerit totum negotium! Nam ſi rectè intellexeris illud, intelliges quoque omnia ea, quæ demonſtrata ſunt in Libro de Meteoris, & quæ Sapientes vel Philoſophi de ſingulis iſtis rebus ſcripſerunt.

Cur in operibus ſecundi diei non dicatur, Quia bonum?

Silentio verò hîc minimè prætereundum, quámnam ob cauſſam in operibus ſecundi diei non ſit dictum כי טוב *Quia bonum?* Nôſti Allegorias, quas Sapientes noſtri p.m. hîc afferunt. Optima inter illas eſt, quâ dicunt; Ideò hoc eſſe factum, quòd opus Aquarum nondum perfectum fuerit. Sed ratio hujus rei, meo judicio, manifeſta eſt admodúm. Nam de omnibus Entibus innovatis, in ordinario, frequenti & conſtanti ſtatu exiſtentibus, dixit, *Quia bonum*. Hoc autem Expanſum, & res illa, quæ ſupra illud eſt, (quæ *Aqua* appellatur), abdita eſt & occulta nimis, ſicuti vides. Si enim ſumatur ſecundùm ſenſum litteralem & craſſo ſenſu, tùm erit omninò Non-ens: nam nullum eſt corpus inter nos & Cœlos inferiores niſi Elementa; neque ſunt Aquæ ſuper Aërem: multò minùs cogitari poteſt, quòd Expanſum, & id, quod ſupra illud eſt, ſint ſupra Cœlos. Proinde hoc pacto res longè eſſet difficilior & abſurdior, quàm ut poſſet apprehendi. Si accipiatur ſecundùm ſenſum occultum, & id, quod per illam ſignificatur, tùm res nimis eſt occulta, ac neceſſariò referenda inter occulta illa, quæ ſunt obſignata, ut à Vulgo intelligi nequeant. Quocirca cùm res ita ſit comparata, quomodo potuit de illa (*Aqua*) dicere, *Quia bona?* Nam *Bonum eſſe*, dicitur de re, quæ manifeſtam utilitatem præbet, & cujus exiſtentia ac conſervatio nota eſt in hoc Mundo. At verò quódnam commodum apparet aut percipitur è re, quæ nobis eſt abſcondita, & quæ in ſenſu ſuo litterali non

Bonum eſſe de quânam re dicatur.

exiſtit,

existit, ut de illa dici possit, quòd sit *bona*. Sed intermittere non possum, quin aliam adhuc tibi declarationem adferam; videlicet, quòd licèt ista (*Aqua*) magnam hujus Universitatis partem constituat, tamen non sit tanquam finis, principaliter & per se intenta ad conservationem hujus Mundi, ut de ea dici debuerit, quòd *bona* esset, sed necessaria fuit, ut appareat & detegatur Terra.

Præter hæc & istud novisse te oportet, quod Sapientes nostri observârunt; quòd Deus Herbas & Arbores è Terra demùm produxerit, posteaquàm pluviâ illam irrigavit, & quòd id, quod dicitur, *Et vapor ascendet è Terra*, contineat narrationem rei prioris, ac præcedentis illud, *Herbascat Terra herbam*. Hinc transtulit Onkelos, *Et Nubes ascenderat è Terra*. Patet etiam ex Scriptura ipsa, quæ dicit, *Et omne virgultum antequàm esset in Terra*. Sic itaque clarum est & hoc. Cæterùm, nôsti Lector, principales caussas Generationis & Corruptionis post Virtutes cœlestes, esse Lucem & Tenebras, quatenus nempe calor & frigus ex illis sequitur. Per Motum Cœli miscentur Elementa, & per Lucem ac Tenebras mutantur Temperamenta illorum. In principio mixtionis illorum innovantur ex illis duo Vapores, (*Vapor & Exhalatio*), quæ sunt primæ caussæ omnium Meteororum, Pluviarum etiam, & Metallorum. Posteà fit ex illis compositio Plantarum; post has compositio Animalium; ultimò denique compositio Hominis. Prætereà, Tenebræ sunt de natura Mundi hujus inferioris; Lux verò est illi accidentalis & externa, quæ exteriùs in illo innovatur. Nónne enim vides, quòd tametsi res aliqua luce privetur, nihilominùs tamen remaneat? Atque hunc ordinem æqualiter observat Scriptura ubique in opere Creationis.

Gen.2.6. Ibid.1.v.11. Ibid.2.5.

Lux & Tenebræ sunt caussa Generationis & Corruptionis. Vide & 1. in fin. c.5.

Scitu porrò tibi necessarium in hoc negotio est illud quoq;. quod Rabbini nostri inquiunt, *Omnia opera Creationis creata sunt* בְּקוֹמָתָן *in statura sua, creata sunt* בְּדַעְתָּן *in scientia sua, creata sunt* בְּצִבְיוֹנָם *in decore suo*: quo innuere volunt, quòd universa & singula, quæ Deus creavit, in perfectissima sua Quantitate, in perfectissima sua Forma, & in elegantissimis suis Accidentibus creata sint; hoc enim sibi volunt, quando ajunt, בְּצִבְיוֹנָם *Bezevjonam* in decore suo creata sunt, ex illo, צְבִי Zevi *Decor* vel *Ornamentum est omnibus Terris*. Diligenter itaque & hoc retine, quia non exiguum quoque est fundamentum. Ezech.20.6.

Intelligendum etiam tibi probè, quòd recordatur creationis Hominis inter sex creationis dierum opera. Dicitur de eo; *Masculum & Fœminam creavit eos*. Et creationem totam concludens, ait: *Et perfecti fuerunt Cœlum & Terra, & omnis exercitus eorum*. Posteà denuò ad crea-

De Creations Hominis. Gen.1.27. Ibid.2.1.

creationem Hominis red t, & explicat, quomodo Eva ex Adamo creata fuerit. Meminit etiam Arboris vitæ, & Arboris scientiæ boni & mali, seductionis item Adami & Evæ per Serpentem. Et hæc omnia facta fuisse indicat, posteaquàm Homo à Deo in hortum Edenis collocatus fuisset. Omnes autem Sapientes nostri unanimi consensu affirmant, cuncta die sexto fuisse, & nihil quicquam post sex Creationis dies immutatum esse. Verùm non debent illa tibi videri absurda, quæ diximus, quia huc-usque non fuerat adhuc Natura stabilis & quieta. Præter hæc verò alia quoque afferunt, quæ tibi ex locis suis collecta proponam, & docebo te de illis, sicut illi nos docuerunt. Quandoquidem autem illa, quæ tibi ex verbis Sapientum nostrorum ita propositurus sum, sunt perfectissima, planissima, & ordinatissima, ideò non diù immorabor in expositione illorum, neque etiam sensum ipsorum explicabo, ne Arcanorum fiam Revelator vel Proditor: sed leviter tantùm illa attingam; ita tamen, ut tu & tui similes illa possint intelligere. Ex iis est, quod dicunt; *Adam & Eva creati fuerunt sicut unus, & tergis vel dorso conjuncti, posteà verò à DEO divisi fuerunt, qui dimidiam illam partem accepit, & fuit Eva,*
Gen.2.21. *& adducta fuit ad ipsum.* Dicunt etiam; *Unam ex costis ejus*, idem esse quod, Unam ex partibus ejus, vel, Unam partem ejus: quam explicationem confirmant ex eo, quòd in Targum vocabulum צלע *Tzelah*
Exod.26.&c. *lah* Costa, redditur per סטר *Setar*: ut, *Tzelah* Costa Tabernaculi, redditur in Targum per *Setar* Latus Tabernaculi. Ita hîc dicũt, *Mittzalotav* idem esse quod *Mißitrohi*. Animadverte, quomodo explicetur, quòd fuerint certo respectu duo, & certo respectu unum, sicut dici-
Gen.2.23. tur: *Os ex oßibus meis, & caro ex carne mea.* Quòd certo respectu fuerint duo, id confirmatur ex eo, quòd dicitur, Nomen unum ambobus convenire; *Vocabitur* Ischah *Vira, quia ex* Isch *Viro desumpta est.*
Ibid.v.24. Quòd fuerint unum, confirmatur eo, quòd dicitur, *Et adhærebit uxori suæ, & erunt in carnem unam.* Quanta verò est ignorantia illius, qui non intelligit, hęc secundùm sensum aliquem occultum intelligenda esse?

Serpens instar equi vel cameli equitatus fuit à Satana. At nec hoc prætereundum, quod in Medrasch adducunt Sapientes nostri; *Serpentem equitatum fuisse, quantitatem ejus instar cameli, & Sessorem ejus fuisse illum, qui decepit Evam, huncq́ Sessorem fuisse Sammaëlem*, quod nomen absolutè usurpant de Satana. Invenies enim, quòd
Sammaël vocatur Satan. in multis locis dicant; *Satanam voluisse impedire Abrahamum, ne ligaret Isaacum: sic, voluisse impedire Isaacum, ne obsequeretur voluntati patris sui.* Alibi verò in hoc eodem negotio dicũt; *Venit Sammaël ad Abrahamum patrem*

patrem nostrum, & dixit ei; An'non, ô Senex, perdidisti mentem tuam? an'non insanus es, &c. Sic itaq; apparet, quòd Sammaël sit ipse Satan, & quòd per illud nomen, certi & occulti aliquid significetur, sicut per nomen *Nachasch*, h.e. Serpens. Dicunt etiam; *Cùm veniret* (Serpens) *ad decipiendam Evam, fuit Sammaël equitans super illum, & DEUS irridebat Camelum & Sessorem ejus.*

Attendendum tibi quoque est ad hoc, quòd Serpens non venerit primò ad Adamum, & cum ipso loquutus fuerit; verùm aggressus & adortus est Evam, & illâ mediante, damno Adamus à Serpente affectus morteque mulctatus fuit. Odium autem perfectum manet inter Serpentem & Evam, inter semen illius & inter semen hujus; neque dubium est, quin semen illius *(Evæ)* sit semen Adami. Sed mirandum magìs est, quòd Serpens cum Eva conjungatur, h.e. semen illius cum hujus semine, caput & calcaneus: quòd illa *(Eva)* vincat ipsum *(Serpentem)* in capite; & ille *(Serpens)* vincat ipsam *(Evam)* in calcaneo. Ex dictis autem maximè admirãdis, & secundùm literam paradoxis ac absurdis, est & hoc; (sed si solidè hunc librum intellexeris, admiraberis, quanta Sapientia in illo lateat, & quàm eleganter cum natura hujus Universitatis consentiat): *Ex quo Serpens venit ad Evam, humorem vel sordes projecit in Evam: Israëlitis, qui steterunt in monte Sinai, sordes illæ absterguntur: Gentibus, qui non steterunt in monte Sinai, sordes illæ non absterguntur.* Animum igitur intende & ad istud. *Serpens primò aggressus est Evam.*

Cæterùm & hoc notatu dignum, quod ajunt; *Arboris vitæ iter est quingentorum annorum, & omnes Aquæ creationis dividuntur sub illa:* cujus dicti intentionem esse ajunt, loqui de Mensura densitatis corporis sive trunci, non de Extensione ramorum ejus. Dicunt enim; *Non finis ramorum, sed* Korato *Trabis vel Trunci ipsius iter, est quingentorum annorum*; (nam per *Korato* intelligitur *Crassities ligni stantis in Terra).* Atque hæc Metaphora vel Allegoria quoque ab ipsis ad perfectiorem rei alicujus explicationem allata est. *De Arboris vitæ magnitudine.*

Porrò, sicco pede neque hoc prætereundum, quod ajunt; *Arborem vitæ non revelavit DEUS ulli homini, neque etiam unquam revelabit*; id quod est verissimum. Natura enim hujus Universitatis hoc exigit.

Observatione tuâ dignum hoc loco & illud est, quod dicunt; Vajikkach *Et accepit DEUS ipsum Adamum*, h.e. ascendere fecit eum, *& collocavit eum* vajannichehu, h.e. *& reliquit eum. Non dicitur* (inquiunt) *hoc de exaltatione locali, vel de collocatione aut relictione in loco, sed de exaltatione gradûs, h.e. de nobilitate & præstantia Existentiæ ipsius inter Entia generabilia & corruptibilia, & de constanti ipsius in re una perseveratione.* Gen. 2. 15.

Sed monendus quoque es de multiplici Sapientia, quæ latet in Impositione Nominum Filiorum Adami, Kajini & Abelis; de eo, quòd Kajin fuerit is, qui interfecit Abelem in agro, quòd ambo simul perierint, licèt Kajin interfector diutiùs vitæ hujus luce usus fuerit, & quòd existentia non firmata fuerit nisi Schetho, (h.e. *quòd is tantùm superstes remanserit*), de quo dicitur; *Quia* schath *posuit mihi* DEUS *semen aliud.* Genes.4.25.

Vocabula non sunt naturalia. Necessarium etiam est, ut intelligas & consideres id, quod dicitur: *Et vocavit Adam Nomina*,&c. Docet enim hoc nos, quòd Linguæ seu Vocabula non sint naturalia, ut quidam arbitrantur, sed ex instituto & deliberatione.

Tandem etiam animadversione dignæ sunt quatuor voces, quæ occurrunt in comparatione seu relatione Cœlorum ad DEUM Opt. Max., quæ sunt, *Bara, Asah, Kanah, El*: ut; Bara *Creavit* DEUS *Cœlos & Terram.* Item: *In die* asoth *quo fecit Dominus* DEUS *Cœlum & Terram.* Item: Kone *Possidens Cœlum & Terram.* Item: El DEUS *fortis Mundi.* Item: Elohe DEUS *Cœli* velohe *&* DEUS *Terræ.* Quod autem dicitur: *Quam*, vel *quæ* konanta *stabilivisti, firmâsti.* Item: *Dextera mea* tippecha *palmavit Cœlos.* Item: Noteh *Inclinans Cœlos*; illa omnia comprehenduntur sub verbo *Asah* Faciendi, sicut dicitur; *Asam* Fecit ea: at verbum *Jatzar* Formare, Fingere, nuspiam occurrit, quia videtur tantùm significare, *Facere formam & figuram, vel aliud aliquod accidens*; nam Forma & Figura (*externa* sc.) quoque sunt accidentia: unde dicitur, Jozer *Qui format lucem*, quia Lux est accidens. Et, Jozer *Qui format montes*, h.e. qui delineat eos. Item, Vajizer *Et formavit* DOMINUS DEUS,&c. De hac proinde Rerum universitate, quatenus Cœlum & Terram comprehendit, usurpavit primò verbum *Bara*, quod significat rem aliquam ex privatione existere facere: deinde verbum *Asah*, propter formas specificas, quæ Entibus datæ sunt, h.e. propter naturas ipsorum: tertiò verbum *Kanah*, propter dominium, quod DEUS in creaturas habet, sicut Dominus in servos suos. Hinc vocatur DEUS, *Dominus totius Terræ*; Dominus enim sine possessione esse nequit. Atque hoc verbum nonnihil videtur adstruere Antiquitatem materiæ alicujus, ideò præter illud adhibentur quoq; reliqua duo verba, *Bara* & *Asah*. Sed, Elohim *Deus Cœli & Terræ*, &, El DEUS *fortis Mundi*, docent de notione perfectionis DEI, & perfectionis Cœlorum, quòd ipse sit *Elohim*, h.e. *Judex*, & illi, *Judicati, Qui judicantur*: non autem de dominio DEI in Cœlos. Hoc enim innuitur verbo *Kanah*. Proinde significant hæc portionem DEI in existentia sua,

Marginalia: Genes.1.1. Ibid.2.4. Gen.14.19. Genes.21.33. Genes.24.3. Psal.8.4. Jesa.48.13. Psal.104.2. Jesa.48.5. Jesa.45.7. Amos 4.13. Genes.2.7. *De Creatione Mundi usurpãtur tria hæc verba:* 1. *Bara.* 2. *Asah.* 3. *Kanah.*

sua, & portionem illorum (*Cœlorum*), quòd videlicet Ipse sit DEUS, non illi, nimirum Cœli.

Atque hæc, cum iis, quæ partim jam dicta sunt, partim adhuc dicentur, pro ratione instituti nostri, & captu Lectoris, sufficiunt.

CAP. XXXI.
De caussa præcepti de observatione Sabbathi.

FORTE' jam nota tibi est caussa, propter quam DEUS Sabbathi legem observare, ac violationem ejus lapidatione puniri præceperit; quemadmodum & Prophetarum Princeps sancivit, ut qui illud transgressus fuerit, morte mulctetur. Atque illa Lex est tertia, quæ nobis Existentiam DEI probat, & Dualitatem ab ipso removet. Nam prohibitio illa, Ne colamus alium præter ipsum, utique non aliò tendit, quàm ad confirmandam Unitatem.

Nôsti etiam ex verbis meis, quòd Leges vel sententiæ remanere & conservari non possint, nisi cum illis conjuncta sint opera & exercitia, quibus in Vulgo conserventur, propagentur, & in æternum continuentur.

Hanc ob caussam præceptum nobis est in Lege, Diem hunc magnifacere, ut fundamentum hoc Religionis de Novitate Mundi conservaretur & omnibus notum esset, cùm homines omnes certo die quiescunt, cur hoc fiat, & interrogati de caussa, respondere possint; *Quia sex diebus fecit* DEUS, &c. *Cur dies Sabbathi celebretur?*

Verùm duæ occurrunt caussæ diversæ in hoc præcepto, propter duo videlicet caussata, h.e. propter duos diversos effectus. Nam cùm primò nobis Moses caussam celebrationis hujus explicat in decem Præceptorum promulgatione, sic ait; *Quia sex diebus fecit* DEUS, &c. Exod. 20. 10.
In repetitione verò illorum in Deuteronomio ita ait; *Ut recorderis, quòd servus fuisti in Aegypto*, &c. *idcircò præcepit tibi* DOMINUS DEUS *tuus*, &c. Deut. 5. 15.

Caussatum, cujus in primo loco fit mentio, est Gloria & Magnificentia Diei illius, sicut dicitur; *Idcircò benedixit* DOMINUS *diei Sabbathi, & sanctificavit illum.* Hoc caussatum sequitur caussam illam, *Quia sex diebus* &c. Verùm quòd nobis (*Israëlitis*) præceptum de Sabbatho dedit, & observationem ejus præcepit, caussatum alterum est, quod sequitur caussam illam, *Quòd servi fuerimus in Aegypto*, quo tempore non secundùm voluntatem nostram, neque quando nobis pla- *Caussa generalis, cur Deus Sabbathū præceperit? Caussa specialis, cur Israëlitis præceperit?*

cebat, serviebamus, neque quiescere vel Sabbathum agere poteramus: (h.e. *quæ nec servire, nec quiescere secundùm voluntatem nostram poteramus.*) Ideóque speciatim quoque nobis præcepit in Lege Cessationem & Requiem, ad duas istas rationes conjungendas; Fidem nempe de Novitate Mundi, quæ in principio statim cogitationis & levi facilíque consideratione nos erudit de Existentia DEI, deinde Memoriam beneficiorum DEI in nos collatorum, dum nobis requiem largitus est à molestia intolerabilium illorum Ægypti onerum, etsi hoc Beneficium comprehenderet tùm Sententiam illam veram speculativam, tùm Ordinationem rei corporalis, vel ad corpus pertinentis.

CAP. XXXII.

In quo tres recensentur sententiæ de Prophetia.

SENTENTIARUM & opinionum, quas de Prophetia habent Homines, eadem est ratio, quæ opinionum ipsorum de Antiquitate & Novitate Mundi. Volo dicere; Quemadmodum illorum, qui Existentiam DEI credunt & affirmant, tres sunt de Antiquitate & Novitate Mundi sententiæ, sicuti ostendimus; sic tres quoque sunt sententiæ de Prophetia. Non enim curo hîc sententiam Epicuri: nam cùm non crediderit esse DEUM, multò minùs credidit esse Prophetiam. Eorum tantùm sententias commemorare propositum mihi est, qui DEUM & Prophetiam esse pro confesso habent.

Prima sententia de Prophetia, quæ est Vulgi.

Prima sententia est Vulgi & imperitæ multitudinis, (qui Prophetiam esse credunt), & quorundam ex Viris Legis nostræ, (qui illam quoque credunt), hæc videlicet; Quòd DEUS Opt. Max. aliquem ex Hominibus, qui ipsi placuerit, eligat, eumque mittat, nullâ habitâ ratione, nulloque respectu, an sit sapiens & eruditus, an verò indoctus & imperitus, senex, an juvenis! Tantùm hoc requirunt, ut sit vir probus, bonus, honestus. Huc-usq; enim nemo adhuc fuit, qui dicere voluerit, DEUM Majestatem suam Divinam habitare facere in Viro malo; sed tùm demùm, si in melius ipsum priùs converterit.

Secunda sententia Philosophorum.

Secunda sententia, est sententia Philosophorum, qui dicunt; Prophetiam esse Perfectionem quandam in Natura Hominis. Hanc autem perfectionem, dicunt, neminem adipisci, nisi studio, industriâ & diligentiâ, quæ id, quod in potẽtia speciei inest, in actum educat; nisi

nisi impediatur vel ab impedimento aliquo interno, proveniente à temperamento Hominis, vel à caussa aliqua externa, pro more cujuslibet perfectionis speciei alicui competentis. Nam perfectio illa non est in unoquoque Individuo illius speciei in summo suo gradu, sed in aliquibus tantùm, & hoc quidem necessariò. Et si perfectio illa ita comparata sit, ut ad illius adeptionem necessariò requiratur Eductor, talem quoque sine dubio habebit. Secundùm hanc itaq; sententiam non potest prophetare stultus & indoctus; neque contingere potest, ut Homo vesperi cubitum se conferat non-Propheta, ac manè Propheta surgat, quemadmodum Homo, qui inopinatò aliquid invenit. Verùm hoc pacto juxta illos se res habet: Quòd Homo necessariò prophetet, si fuerit Vir excellens, in intellectualibus & moribus suis perfectus, si facultatem suam imaginatricem ad perfectionem aliquam possibilem direxerit, ac denique se-ipsum eo modo, quem à nobis audies, præparaverit: idque hanc ob caussam, quòd hæc perfectio nostræ insit Naturæ. Proinde juxta hanc opinionem fieri non potest, si quis idoneus sit ad Prophetiam, &, prout decet, se ad illam præparaverit, ut actu ipso non prophetet; quemadmodum fieri non potest, ut, qui bonæ est complexionis, & bonos ac salubres cibos comedit, ex illis cibis non bonum sanguinem generet, vel tale quid.

Tertia sententia, est sententia Legis nostræ. Fundamentum enim Legis nostræ planè cum sententia Philosophorum convenit, unicâ tantùm re exceptâ; hac videlicet, quòd credimus, fieri posse, ut quis sit idoneus ad Prophetiam, & se ad illam decenter præparet, & tamen non prophetet, propter voluntatem & beneplacitum Divinum. Meo itaque judicio res hîc se habet sicut in Miraculis, & illorum rationem sequitur. Ratio enim naturalis postulat, ut, qui à natura sua idoneus est ad Prophetiam, & cum ætate quoque diligenter informatur & eruditur, prophetare deberet: qui autem id non potest facere, similis est ei, qui nequit movere manum suam, sicut Jeroboam; aut qui non potest videre, sicut Castra Regis Syriæ in Historia Elisæi. Fundamentum namque hujus rei, & præcipuum, quod nos quoque requirimus, est Dispositio vel Dexteritas naturalis, & Perfectio tàm in moribus & qualitatibus externis, quàm in Rationalibus & intellectualibus. Hoc quippe est, quod Rabbini nostri innuere volunt, quando ajunt; *Non habitat Prophetia nisi super homine sapiente, potente, & divite*; quemadmodum in Commentariis nostris Talmudicis, & in magno nostro opere *Jad* exposuimus; ubi simul

Tertia sentētia, Legis sc.

indicavimus, quàm diligenter se Filii Prophetarum in dispositione illa exercuerint. Veruntamen quòd illi, qui se ita exercuerunt & præparârunt, sæpè impediti & prohibiti fuerint, ne prophetare possent, videre est in Baruch Filio Neriæ, qui sequutus quidem fuit Prophetam Jeremiam, qui diligenter eum exercuit & instituit, adeò ut speraret quoq; se propheturum, sed tamen prohibitus fuit, sicut colligere est ex eo, quod ipse ait; *Laboravi in gemitu meo, & requiem non inveni:* & ex eo, quod ei dictum est per Jeremiam Prophetam; *Sic dixit DOMINUS, ita dices ad eum: Tu quæris tibi grandia, ne quæras:* quod vel ita exponi posset, Prophetiam pro captu Baruchi nimis fuisse magnam & arduam, (h.e. *vel ideò dicere possemus, Baruchum non prophetare potuisse, quòd se anteà non satis exercuerit in studiis & scientiis, vel quòd dispositionem naturalem temperamenti perfectam non habuerit*): vel secundùm illud; *Etiam Prophetæ ejus non invenerunt Visionem à DOMINO*, quia sc. fuerunt in captivitate, (h.e. *vel dicere possemus, Baruchum propter caussam externam, ut tristitiam, mœrorem, vel aliam aliquam, impeditum fuisse, ne prophetaret*), sicut alibi explicabimus: verùm plurima tàm Librorum sacrorum, quàm Sapientum nostrorum dicta extant, quæ hoc nobis fundamentum monstrant; quòd DEUS ad prophetandum excitet eum, quem ipse vult, & quando vult; si modò perfectus fuerit & excellat. Fatuos enim, & hujus Terræ filios quod attinet, non magìs, nostro judicio, prophetare possunt, quàm asinus aut rana. Hoc proinde fundamentum nostrum est, Quòd nemo sine studio & perfectione prophetare posit, & quòd possibilitas ab illis dependeat.

Cur Baruch nō potuerit prophetare?

Jerem. 45.3.

Ibid. v.5.

Thren. 2.9.

part. 2. c. 36.

Jerem. 1.5.

Ne itaque te decipiat illud; *Priusquàm formarem te in utero, novi te; & antequàm exires de vulva, sanctificavi te.* Nam hoc in omni Propheta, sicuti dicemus, requiritur, ut dispositionem habeat naturalem, inde à conceptione & nativitate sua.

Hebræi vocant Pueros etiā eos, qui provecta sūt ætatu.

Gen. 41.12.

Jos. 33.11.

Quod illud attinet; *Quia puer ego sum*, nôsti Hebræorum consuetudinem. Ita enim appellant Josephum justum *Puerum*, cùm jam triginta esset annorum. Sic Josua, in historia de Vitulo, appellatur *Puer*, cùm propè sexaginta annos natus esset, *Et minister ejus Josua filius Nun puer.* Nam Moses eo tempore octoginta & unius annorum erat, & ætas ejus tota centum & viginti annorum: Josua autem post mortem ejus vixit quadraginta annos, & ætas ipsius fuit centum & decem annorum. Unde liquet, Josuam tùm temporis ad minimum fuisse quinquaginta septem annorum; & tamen vocat eum *Puerum*.

Non est etiam quòd te seducant, quæ in Promissionibus illis legun-

guntur: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem; Filii vestri & Filiæ vestræ prophetabunt.* Hoc enim ibidem explicat, & qualisnam prophetia futura sit, indicat, dum ait; *Senes vestri somnia somniabunt, Juvenes vestri Visiones videbunt.* Nam *Prophetæ* vocantur tàm illi, qui per divinationes & auguria aliquid indicant & prędicunt, quàm qui legitimo modo id faciunt. Idcircò appellantur *Prophetæ Baalis*, & *Prophetæ* haaſcherah h.e. *lucorum*, quoque Prophetæ. Hinc ait DEUS; *Cùm surrexerit in medio tui Propheta, aut somnians somnium.* Sanè in Statione montis Sinai, quamvis omnes Ignem magnum videbant, & voces tremendas ac horrendas miraculosè audiebant, tamen non pervenit ad gradum Prophetiæ, nisi qui dignus & idoneus fuerat. De gradibus autem distinctis *(Prophetiæ)* inquit DEUS; *Ascende ad DOMINUM Tu, & Aharon, Nadabh & Abihu*; ubi Moses in supremo gradu collocatur, sicut dicitur, *Et appropinquabit Moses solus ad DOMINUM*, &c.; post vel infra ipsum collocatur Aharon; infra Aharonem, Nadabh & Abihu; infra hos, septuaginta Senes; infra istos, reliqui Homines secundùm perfectiones suas. Hoc est, quod Sapientes nostri quoque indigitare voluerunt, dicendo; *Moses est paries per se, Aharon paries per se.* Sed quia mentio hîc à nobis facta est *Stationis in monte Sinai*, exponemus in sequenti capite, quæ ex locis Scripturæ & verbis Sapientum nostrorum, de illius forma & ratione hauriri & explicari possunt.

Joël.2.28. *Etiam falsi Prophetæ vocantur* Prophetæ. Deut.13.1. Exod.24.1. Ibid.v.2.

CAP. XXXIII.

De Statione montis SINAI.

VIDETUR mihi ex iis, quæ de hac Statione in monte Sinai reperiuntur, colligi posse, non omnia, quę ad Mosen pervenerunt, ad totum populum Israëlis pervenisse; sed sermonem à Mose solo perceptum esse. Hinc concepta est enarratio decem Præceptorum in numero singulari abstracto. Moses autem piæ memoriæ descendit ad radices montis, & indicavit Populo, quod audivit. Sic enim dicitur in Lege; *Ego stabam inter DOMINUM, & inter vos.* Item: *Moses loquebatur, & DOMINUS respondebat ei in voce.* Ita scribunt disertè in *Mechilta*, quòd singula verba, prout audivit, ipsis retulerit. Quod verò etiam scriptum est in Lege, *Ut audiat Populus, dum loquar tecum, &c.* id docet nos, quòd sermo habitus fuerit solùm ad Mosen, & quòd illi *(Israëlitæ)* vocem quidem illam robustam audiverint, sed non distinctionem verborum. De auditu enim Vocis illius

Moses solus audivit sermonem Dei in monte Sinai. *Cur decem Præcepta in numero singulari concepta sint?* Deut.5.5. Exod.19.19. Exod.19.9. *Populus vocem vel sonum tantùm audivit.*

Deut.5.23. lius dicitur; *Quando audivissetis vocem.* Item: *Sonum verborum vos audiebatis.* Non dicitur; *Verba vos auditis.* Atque ita quicquid de auditu
Ibid.4.12.
Verborum quoque dicitur, de Vocis sive Soni auditu est intelligendum. Moses verò verba distinctè audivit, & illa ipsis enarravit, prout tùm ex Legis, tùm ex Sapientum nostrorum verbis liquet.

Reperimus tamen apud illos multis in locis in Medraschoth & Talmude, quòd dicant: *Verba hæc,* Ego sum DOMINUS Deus tuus: *Item*; Non habebis Deos alienos, &c. *audiverunt ex ore DEI omnipotentis*: quo dicto indicare voluerunt, quòd ista verba (*h.e. Præceptum primum & secundum*) eodem modo ad Israëlitas pervenerint, & ab ipsis percepta fuerint, quo percepta fuerunt à Mose Doctore nostro piæ memoriæ; & quòd Moses ea non detulerit ad ipsos, idque hanc ob caussam, quia duo ista Relligionis capita, Existentia videlicet DEI, & Unitas ejusdem, intellectu humano apprehendi queunt; & quia, quicquid per demonstrationem scitur, illius in Propheta & quovis alio, qui id novit, eadem est ratio, neque ulla hic est prærogativa; quia denique duo ista dicta fundamenta & capita non ex parte Propheticæ solùm sciuntur & cognoscuntur, sicut dicitur in Lege, *Tibi ostensum est, ut scires, quòd DOMINUS est DEUS, & non est ultrà præter eum:* reliqua verò Præcepta non sint intelligibilia, sed sint ejusmodi, quæ per singularem revelationem & cabbalam addiscere oportet. Quomodocunque se hoc habeat, ex eo, quod colligi potest ex iis, quæ tùm in Scriptura, tùm in verbis Sapientum nostrorum inveniuntur de hoc negotio, est & hoc, quòd totus populus Israëliticus in illa Statione non nisi unam vocem unâ vice audiverint, hoc videlicet dictũ, quod Moses & totus Israël apprehendit, *Ego sum, &c.* Et, *Non habebis Deos alios:* & quòd Moses illud posteà ipsos, cùm loquebatur, litteris distinctis & audibilibus audire fecerit. Scribunt hoc expresſè Rabbini nostri, & confirmant ex eo, quod dicitur; *Unâ* (sc. vice) *loquutus est DEUS duo, hoc audivimus.* Sic apertè ajunt in Medrasch; *Vides, quòd non audiverint aliud dictum* (præceptum) *à DEO Opt. Max.* Ita scriptum est in Lege; *Verba hæc loquutus est DOMINUS voce magnâ, & non addidit,* &c. Primum, quod post hanc auditionem Vocis commemoratur, est Timor & Pavor ille magnus, quo propter negotium istud consternati fuerunt; illa item ipsorum verba, quæ adducit: ut, *Et dixistis, En ostendit nobis DOMINUS DEUS noster,* &c. *Nunc igitur quare moriemur?* &c. *Accede tu,* &c. Venit itaque secundò præstantissimus ille inter omnes natos (*ad DEUM* sc.), & ordine reliqua quoque verba (h.e. *præcepta*) accepit, ac ad pedem montis descen-

Marginalia: Exod.20.2.3. — *Præceptum primum & secundum eodem modo percepta fuerunt à Populo sicut à Mose, & cur?* — Deut.4.35. — Psal.62.12. — Deut.5.22. — Ibid.v.24.25.27.

scendit, illaque populo recitavit in Visione illa magna, ubi viderunt Ignem, & audiverunt Voces, quæ fuerunt voces & fulgura cum tonitruis, & vox magnæ buccinæ. Quotiescunque enim dicitur, quòd audiverint *Voces* in numero plurali, ut, *Omnis populus videbāt voces, &c.* Exod.20.18. de Voce buccinæ, tonitrui, & similibus est intelligendum. Nam Vocem DOMINI creatam, quâ sermo ipsius perceptus fuit, non nisi unicâ vice audiverunt, sicut Lex ait, & Sapientes nostri in loco antè citato docent. Vox autem illa, fuit ea, ad cujus auditum exivit anima ipsorum, (h.e. *defectionem animi passi sunt*), & quâ duo priora præcepta apprehenderunt. Hic tamen scias, non omnes æqualiter & in eodem gradu vocem illam apprehendisse cum Mose Doctore nostro p.m. Atque de hoc secreto ostendam tibi hîc, quòd per Traditionem in Gente nostra antiquitùs jam traditum & Sapientibus notum fuerit. Onkelos enim ubique, ubi legitur, *Et loquutus est* DOMINUS *ad Mosen, dicendo*; transtulit, *Et loquutus est* DOMINUS *cum Mose, dicendo*; Item, quando dicitur, *Et loquutus est* DEUS *omnia ista verba*; eodem modo, *Et loquutus est* DEUS *omnia verba ista.* Verùm Israëlitarum ad Mosen verba, *Et non loquatur nobiscum* DEUS, ita transfert, *Et non sermo fiat nobiscum*, vel, *ad nos à* DOMINO. Ex quo vides, illum eodem modo distinxisse, sicut & nos. Nôsti autem, Onkelum res istas arduas & sublimes, quas explicuit, accepisse à R.Eleasare & R.Jehosua, qui fuerunt sapientissimi inter Israëlitas.

Exod.20.19.

Onkelos accepit suas expositiones à R.Eleasare & R.Jehosua.

Tu ergo ista probè observa & retine, quia ultra hanc mensuram nemo potest intrare in gravissimum hoc negotium Stationis in monte Sinai. Est enim ex arcanis Legis, ejusque veritas & modus nobis sunt occulta. Nam simile quid neque unquam fuit, neque futurum est.

CAP. XXXIV.

Quòd in dicto Mosis, Ecce, ego mitto Angelum meum, &c. *per* ANGELUM *intelligatur* PROPHETA.

QUOD in Lege scriptum est; *Ecce, ego mitto Angelum meum ante te, &c.* illius sensus elegantissimè nobis declaratur in Repetitione Legis (h.e. *in Deuteronomio*), ubi DEUS in narratione Stationis illius in monte Sinai ita ad Mosen ait; *Prophetā suscitabo illis de medio fratrum suorum, sicut tu, &c.* Cujus rei probatio inde petita est, Exod.23.20. Deut.18.18.

quòd de illo Angelo dicatur, *Cave à facie ejus, & obtempera voci ejus, &c.* Istud enim præceptum sine dubio spectat ad promiscuam hominum multitudinem & communem plebem. His autem non apparent Angeli, neque vel mandata, vel admonitiones ipsis dant, ut moneri necesse habeant, ne contra eos rebellent. Quocirca sensus illius loci est; Se Prophetam ipsis excitaturum, cui Angelus sit appariturus, loquuturus & mandata daturus: ac proinde hortatur nos, ne Angelo illi rebelles fiamus, cujus verba & jussa Propheta ille ad nos sit perlaturus; sicut in Deuteronomio explicatur, quando dicitur, *Illum audietis.* Item, *Et erit, qui non auscultabit verbis meis, quæ loquetur in Nomine meo, &c.* Item, (quod clarissimum est). *Quia Nomen meum in medio ejus.*

Deut. 18. 15.
Ibid. v. 19.
Exod. 23. 21.

Hæc omnia hûc tendunt, ac perinde se habent, ac si dixisset; Sciatis, quòd eximia ista Visio, quam vidistis in monte Sinai, non perpetuò sit apud vos duratura, & quòd illius similis nunquam in æternum futura sit; quòd etiam non in sempiternum Ignis aut Nubes supra Tabernaculum sint futura, sicuti nunc sunt: verùm Angelus ille, quem ad Prophetam vestrum missurus sum, is sub potestatem vestram Urbes ac Civitates rediget, pacem & quietem in Terra vobis efficiet, quæ denique vobis vel facienda, vel intermittenda erunt, ostendet. Atq; ita hoc dicto fundamentum illud, quod tàm frequenter urgere soleo, confirmatur; Quòd omnibus Prophetis, excepto Mose, Prophetia per ministerium Angeli contingat.

CAP. XXXV.

Quòd Prophetia & Miracula Mosis differant à Prophetia & Miraculis reliquorum Prophetarum.

QUATUOR illas differentias, quibus Prophetia Mosis differt à Prophetia reliquorum Prophetarum, toti Mundo jam exposui, revelavi, & demonstravi, tùm in *Commentario meo in Mischnam*, tùm in *Deuteronomio nostro*, sive *Syntagmate Doctrinæ Talmudicæ*, (in libro Jad), unde non necesse est, ut illa hic repetantur, præsertim etiam cùm non sint de Argumento hujus Libri. Sciendum enim tibi, quòd ea, quæ de Prophetia tracto in hoc Libro, spectent solùm ad explicandam rationem & formam Prophetiæ reliquorum Prophetarum, qui vel ante, vel post Mosen fuerunt; de Prophetia verò Mosis ne verbulum quidem vel directè, vel obliquè sum dicturus in istis

istis capitibus. Nam, meo judicio, vox PROPHETÆ analogicè vel ambiguè dicitur de Mose & de aliis. Et sic eadem ratio est Miraculorum ipsius & Miraculorum aliorum Prophetarum; Miracula enim ipsius non sunt de genere Miraculorum reliquorum Prophetarum. Quòd Prophetia ejus sit diversa, & distincta à Prophetia omnium, qui antecesserunt ipsum, id apparet ex eo, quod dicitur; *Et apparui Abrahamo*, &c. *Sed Nomen meum* יהוה *non notum feci eis.* Nam hinc apparet, Apprehensionem ipsius non fuisse eandem quæ fuit Patriarcharum, sed excellentiorem, ac proinde multò magis præstantiorem quoque Apprehensione aliorum, qui præcesserunt. Quòd Prophetia ipsius fuerit nobilior quàm Prophetia illorum, qui sequuti sunt ipsum, id ex eo colligitur, quòd dicitur, *Et non surget amplius Propheta in Israële sicut Moses, quem cogniturus sit DOMINUS de facie ad faciem.* Hinc enim manifestè colligitur, quòd Apprehensio ejus fuerit distincta ab Apprehensione omnium eorum, qui sequuturi erant ipsum in Israële, qui sunt *Regnum sacerdotale, & Gens sancta, inter quos est DOMINUS:* & per consequens etiam multò excellentior apprehensione Prophetarum sive Vatum Gentilium. Quòd verò etiam magna differentia sit inter Miracula ipsius & Miracula aliorum Prophetarum, inde patet, quòd Miracula reliquorum Prophetarum, quæ vel ipsi fecerunt, vel ipsis facta fuerunt, tantùm singularibus quibusdam Hominibus nota, ac coram paucis perpetrata fuerint, ut Signa Eliæ & Elisæi. An non enim vides, quòd Rex Israëlis illa admiratus fuerit, & à Gechasi petierit, ut illa sibi indicaret, sicut ait; *Narra mihi obsecro omnia magnalia, quæ fecit Elisa:* cui respondit Gechasi; *Domine mi Rex, hæc est mulier, & hic est filius ejus, quem vivere fecit Elisa.* Eadem est ratio Miraculorum Prophetarum reliquorum, Mose excepto. Propterea indicat quoque Lex de ipso, quòd in sæculum non surrecturus sit Propheta, qui tàm liberè in oculis amicorum & inimicorum, assentientium & dissentientium, Miracula sit patraturus, sicut ipse fecit, prout dicitur; *Et non surget amplius Propheta in Israële sicut Moses, in omnibus signis & portentis, ad quæ facienda in terra Aegypti, Pharaoni, & servis, & universæ Terræ ejus, miserat eum DOMINUS. Et in omni manu forti, & in omni terrore magno, quæ omnia fecit Moses in oculis totius Israëlis.* Quibus verbis duo comprehenduntur; *primò*, quòd nullus Propheta sit surrecturus, qui apprehensurus sit eo modo & eâ mensurâ, quâ Moses, & qui faciat secundùm opera ejus: *deinde*, quòd Signa sive Miracula ipsius facta fuerint *Pharaoni & omnibus servis ipsius, & universæ Terræ ejus*, qui erant ab ipso dissidentes, &

Prophetia Mosis est distincta à Prophetia aliorũ Prophetarũ ante ipsum. Exod. 6. 3.

Est etiam nobilior, quàm Prophetia Prophetarum, qui sequuti sunt ipsum. Deut. 34. 10.

Exod. 19. 6.

Differentia miraculorum Mosis & reliquorũ Prophetarum.

2. Reg. 8. 4.

Deut. 34. 10. 11. 12.

adversarii ejus,*& in oculis totius Israëlis*,qui fuerunt amici & fautores ejus,sicut dicitur; *In oculis totius Israëlis.* Hoc autem de nullo alio ante ipsum,neq; etiam post eum reperitur,aut reperietur,quemadmodum sufficienter hoc anteà jam à nobis demonstratum est. Neque te debet hic seducere illud,quod in Historia Josuæ,Solem ad horas illas,vel

Jos.10.12. ad horas aliquot in cursu suo sistentis,legitur; *Et dixit in oculis Israëlis:* non enim dicitur, *In oculis totius Israëlis*, sicuti de Mose. Sic coram paucis contigit, quod Elias fecit in monte Carmelis. Quòd dixi *ad*

Ibid.v.13. *horas illas*,(paullò antè in facto Josuæ), ideò feci,quia per *Kejom thamim* Sicut diem integrum,mihi videtur intelligi Dies maximus & longissimus, (*Thamim* enim idem est quod *Schalem* Perfectus), & idem esse ac si dixisset,quòd dies ille apud ipsos in Gibeone fuerit sicut dies magnus & longus in æstate.

Posteaquàm ergo nunc didicisti distinguere in intellectu tuo Prophetiam & Miracula Mosis,(quia juxta excellentiam Apprehensionis ejus comparata quoque est excellentia Operum illorum), & credis,quòd istum gradum secundùm veritatem nequeamus apprehendere: audies nunc,quæ in sequentibus capitibus dicturus sum de Prophetia & gradibus Prophetarum omnibus post istum gradum (*Mosis*). Et hoc est,quod in præsenti capite volebamus.

CAP. XXXVI.

De Natura PROPHETIAE.

Quid sit Prophetia. VERITAS & quidditas Prophetiæ nihil aliud est,quàm Influentia,à DEO Opt.Max., mediante Intellectu agente, super facultatem rationalem primò,deinde super facultatem imaginatricem influens.

Est summa hominis perfectio. Atque hic est supremus gradus Hominis,& summa perfectio,quæ speciei illius potest competere; extrema item perfectio facultatis Imaginatricis.

Non potest in singulis Individuis reperiri. Ea autem ut in singulis Individuis reperiatur, est impossibile; neque etiam ad eam per scientiarum Theoreticarum perfectionem, aut qualitatum sive morum bonitatem & præstantiam,licèt illa in

Requiritur ad eam facultatis Imaginatricis perfectio. summo gradu alicui insint,perveniri potest,nisi simul conjuncta sit summa facultatis Imaginatricis,inde ab ipsa hora nativitatis,perfectio. Istarum verò,ut nôsti,facultatum corporalium,inter quas Imaginativa quoque numeratur,perfectio non sequitur nisi ex optimo temperamento, optimâ proportione & mensurâ, optimo denique humore membri,quod facultatis illius subjectũ est,(h.e.*Cerebri*),& si

defe-

defectus aliquis hîc repeciatur, per regimen & diætam suppleri nequit. Nam si membri alicujus temperamentum malum sit in vel ab ipsa nativitate, tùm summum, quod regimine effici potest, hoc est, ut ad sanitatem & integritatem aliqualem, non verò ad excellentissimam dispositionem reducatur. Quòd si verò morbus fuerit in proportione, vel in locatione, vel in substantia, h. e. in materia, ex qua generatum est, tùm nullum superest consilium & remedium. Sed ipsemet jam pridem nôsti hæc omnia, neque quicquam prodest, ut illis diù immoremur.

Imaginatio fortior est, cùm sensus quiescunt.

Nôsti quoq; Operationes hujus facultatis Imaginatricis, Memoriam videlicet vel Recordationem rerũ sensibus perceptarum, earum Compositionem & firmam Impressionem; quòd item maximam & nobilissimam suam operationem conficiat, quando sensus quiescũt & à suis functionibus sunt otiosi. Tùm enim in illam influit quædam Influentia pro ratione dispositionis subjecti. Et illa *(Influentia)* caussa est Somniorum verorum & Prophetiæ, quę à se invicem differunt in multitudine & paucitate, non verò specie, (h.e. *quæ numero, non specie inter se differunt*). Unde est tritum illud Sapientum nostrorum dictum; *Somnium est unum de sexaginta* (generibus sc., vel partibus) *in Prophetia*. Inter duo verò specie differentia nulla est proportio; nam non convenit, ut dicatur, Perfectio Hominis est talis vel talis, E.G. dupla, ad perfectionem Equi. Idem hoc inculcârunt in *Bereschith rabbah*, quando dicunt, *Deciduum Prophetiæ est Somnium*; quæ est appositissima similitudo. Nam quemadmodum *Deciduum, vel Deciduus fructus*, fructus est per se & individuum ejus, nisi quòd ante perfectionem & maturitatem suam deciderit; ita quoque facultas Imaginatrix eadem est tempore Somni, quæ tempore Prophetiæ, nisi quòd imperfecta adhuc, & complementum suum non adepta sit. Verùm quid diù relictis Legis nostræ testimoniis, ex Rabbinorum sententiis, ista tibi declaro? Quando Deus ait; *Si fuerit Propheta inter vos, ego DOMINUS* bammareh *in Visione me notum facio ipsi*, Bachalom *in Somnio loquor cum ipso*, perspicuè nobis naturam & quidditatem Prophetiæ indicat, docendo, quòd sit Perfectio, quæ venit vel per Chalom *Somnium*, vel per Mareh *Visionem*. Mareh *(Visio)* Nomen est verbale, deductum à verbo Raah *(Vidit)*, & significat, quòd ad facultatem Imaginatricem tanta perveniat Actionis perfectio, ut Homini res ita appareat ac videatur, ac si exteriùs sibi exhiberetur, eamque sensibus externis perciperet. In istis autem duabus partibus, *Somnio* inquam & *Visione*, continentur omnes Pro-

Somniũ & Prophetia non differunt specie.

Somniũ est veluti fructus deciduus & immaturus respectu Prophetiæ.

Num. 12. 6.

מראה Mareh *Visio quid sit?*

phetiæ gradus, ſicuti explicabitur. Et notum eſt, in iis rebus, quas Homo, dum vigilat & ſenſibus ſuis utitur, tractat, verſat, aut deſiderat, laborare facultatem hanc quando Homo dormit, cùm Intellectus effundit ſuper ipſum *(Influentiam)* ſecundùm diſpoſitionem ſuam. Exemplis hæc declarare, vel prolixis verbis amplificare, ſuperfluum eſt; quia res eſt lippis & tonſoribus nota, & ſimilis iis rebus, quæ ſenſibus apprehenduntur, quas nullus ſanâ mente præditus in dubium vocare poteſt.

Quomodo comparatus eſſe debeat, qui prophetare vult.

His ita præmiſsis, dico; Si fuerit Homo, cujus cerebri ſubſtantia ſit in decenti perfectione reſpectu materiæ, temperamenti, proportionis & locationis, & non prohibeant vel impediant eum alia ab alterius alicujus membri temperamento: ſi poſteà diligenter ſtudeat & litteris incumbat, ut, quod potentiâ ei ineſt, in actum poſsit exire, & habeat intellectum humanum perfectum & conſummatum, mores honeſtos & puros, avidusque ſit ſciendi ſecreta & cauſſas Naturæ: ſi cogitationes ejus omnes ſemper tendant ad res laudabiles & honeſtas, ſi curæ ejus verſentur circa DEI cognitionem & operum ejus conſiderationem, eorumque, quæ de illis credere oportet: ſi animus & cor ejus valedixerint omnibus brutalibus voluptatibus, cibi, potus, Veneris, & ante omnia ſenſui Tactûs, (de quo optimè Ariſtoteles in Ethicis ſcribit, *quòd nobis ſit turpitudini & opprobrio:* nam reverà res turpis eſt & dedecus; cùm nobis competat tantùm quà Animalia ſumus, ſicut reliquæ beſtiæ, & quia nihil humani habet, quod proprium ſit Hominis: reliquæ enim voluptates ſenſuales, ut Odor, Auditus, Viſus, licèt & illæ ſint corporales, accidit tamen interdum, ut illæ Hominem oblectent, quatenus Homo eſt, ſicut oſtendit Ariſtoteles. Verùm digreſsi ſumus ab argumento & propoſito noſtro ad alia, quæ tamen monere neceſſarium fuit propter multos Viros ſapientes & eruditos, quorum cogitationes ſæpè circa voluptates & delectationes iſtius ſenſûs nimiùm quoque ſunt occupatæ, & nihilominùs mirantur, qui fiat, quòd non prophetent, ſi prophetia ſit à diſpoſitione naturali): ſi animus & cogitationes ejus ſint liberæ ab omnibus vanis deſideriis & affectibus, ut ambitione, libidine dominandi, Victoriæ, popularis auræ, gloriæ, honoris & potentiæ amore: ſi denique Homines omnes ſecundùm ſuas differentias intueatur, ſecundùm quas ſunt, vel ut jumenta (h.e. *animalia manſueta)*, vel ut feræ beſtiæ, quarum cogitatio ſi animum Hominis perfecti ſubit, non aliâ ratione id fit, quàm quomodo vel illas poſsit effugere, ne damnum ab illis patiatur, vel utilitatem aliquam

Senſus Tactûs turpiſſimus eſt.

lib.3.c.10.

quam ab illis capere, à quibus utilitas sperari potest, siquidem ad suos usus illis opus habeat: si, inquam, Vir quidam ita comparatus fuerit, nullum dubium est, si facultas ejus Imaginatrix (quæ in summo gradu perfecta est, & Influentiam ab Intellectu secundùm perfectionem suam speculativam accipit) laboraverit & in operatione fuerit, illum non nisi res Divinas & admirandas apprehensurum, nihil præter DEUM & ejus Angelos visurum, nullius denique rei scientiam habiturum & curaturum, nisi earum, quæ veræ sunt, & quæ ad communem hominum spectant utilitatem.

Has autem tres perfectiones, quas hîc complexi sumus, quod attinet; Perfectionem videlicet facultatis Rationalis in studendo: Perfectionem facultatis Imaginatricis in nativitate: & Perfectionem Morum seu Qualitatum, in puritate cogitationum ab omnibus oblectationibus corporalibus, & immunitate affectuum ab omni superbia & stulta ac pestilenti Gloriæ cupiditate; has, inquam, quod attinet, notum est, magnam earum inter perfectos esse differentiam & præcellentiam. Et secundùm illam differentiam distincti quoq; sunt Prophetarum gradus.

Nôsti etiam, unamquamque Facultatem corporalem certo tempore defatigari, debilitari & corrumpi; & alio tempore florere ac vigere. Jam verò facultas ista Imaginativa sine dubio est corporalis. Ideoque invenies, illam in aliquibus Prophetis tempore luctûs, iræ, & similium accidentium, cessavisse. Hinc inquiunt, ut nôsti, Rabbini nostri; *Prophetia non habitat neq. inter tristitiam, neq. inter pigritiam.* Ita Patriarchæ Jacobo toto luctûs sui tẽpore nulla Prophetia oblata fuit; quia facultas ejus Imaginativa tum occupata fuerat circa amissionem Josephi. Sic Mosi Doctori nostro p.m. nulla obtigit Prophetia sicut priùs, post murmurationem exploratorum, donec mortua fuit tota illa generatio deserti Virorum bellicosorum; propterea quòd lassus fuerit portandi & tolerandi illos ob crebras ipsorum murmurationes, etiamsi in ejus Prophetia nullum locum habuerit facultas Imaginatrix, sed Influentia tantùm Intellectûs absque illius medio & subsidio; quemadmodum sæpiùs jam monuimus, illum non prophetâsse sicut reliqui Prophetæ, id quod alibi fusiùs explicabitur; non enim pertinet ad scopum præsentis capitis. Sic etiam invenies, fuisse Prophetas nonnullos, qui ad tempus aliquod prophetârunt, à quibus posteà propter superveniens accidens quoddam Prophetia recessit & interiit. Atque hæc essentialis & proxima caussa est, cur Prophetia cesset tempore Persequutionis & Exilii; *Pigritia* inquam &

Facultas imaginatrix aliquando debilitatur, & cessat.

Tempore tristitia & luctûs cessat Prophetia

Cur tẽpore persequutionũ & exilii cesset Prophetia?

& *Tristitia*, vel *Dolor*, qui invadit Hominem propter varias res; inprimis verò, cùm servus & mancipium esse cogitur Gentium prophanarum, impiarum, adulterarum, inter quas sententiæ veræ & orthodoxæ sunt sepultæ, & omnes brutales ac bestiales cupiditates regnant & dominantur, atque ita sui juris esse nequit. Hoc malum

Amos 8.12. comminatus est nobis DEUS apud Prophetam, quando dixit; *Discurrent ad quærendum Verbum DOMINI, sed non invenient.* Item, *Rex ejus*

Thren.2.9. *& Principes ejus sunt inter Gentes; non est Lex, & Prophetæ ejus non inveniunt Visionem à DOMINO.* Atque hæc vera & genuina caussa est, propter quam etiam tempore Messiæ (* urinam citò reveletur!) Prophetia iterum est ad nos reversura, sicut DEUS promisit.

* *Loquitur more Judaico de Adventu Messiæ.*

CAP. XXXVII.

De Influentia, quæ à DEO Opt. Max. in intellectum Hominis influit, & de diversis ejus gradibus.

De Influentia Divina.

NECESSARIUM est, ut instruaris quoq; de natura Influentiæ illius Divinæ, quæ ad nos pertingit, quâ intelligimus, & quâ intellectus Hominis unius, intellectum alterius vincit & superat.

Variis gradibus effunditur.

Scito ergo, fieri posse, ut cuidam modicum admodùm contingat, & tantum solùm, quantum ei sufficit ad se-ipsum perfectum reddendum: fieri etiam posse, ut tanta mensura ad aliquem deveniat, quâ non solùm ipse perfectus fiat, sed & alios perfectos reddere queat, sicuti in omnibus Entibus rem comparatam esse videmus; quòd videlicet eorum quædam talem perfectionem accipiant, quâ alios possunt quoque regere & gubernare; alia verò non nisi talem, quâ sibiipsis regendis tantùm sufficiunt.

Unde Theorici oriantur.

Deinde scias; si Influentia ista Intellectualis influat in facultatem Rationalem solùm, nihilq; vel propter materiæ influentis paucitatem, vel propter facultatis Imaginatricis in nativitate imperfectionem, in facultatem Imaginatricem destillet, inde oriri *sectam Sapientum speculatorum* seu *Theoricorum*. Quando verò Influentia illa in utramque facultatem, Rationalem nempe & Imaginativam, easq; ab illarum creatione in summo gradu perfectas influit, exinde fit *secta Prophetarum*. Quando denique Influentia illa influit solùm in facultatem Imaginatricem; & in facultate Rationali, vel ex ipsa creatione, vel ex defectu institutionis & exercitationis, imperfectio aliqua

Unde Prophetæ.

Unde Politici, JCti, Divinatores, Somniatores, Incãtatores, Præstigiatores.

aliqua existit, exsurgit inde *secta Politicorum, Juriperitorum, Legislatorum, Divinatorum, Incantatorum, Somniatorum*, (de verbo, *Somnia vera habentium*), *& Praestigiatorum*, (de verbo, *qui res mirandas faciunt mirâ solertiâ & occultis artibus*), qui omnes licèt Sapientes non sint, tamen ad tertium hoc genus referuntur.

Hic verò monendus es, ex tertio genere esse quosdam, quibus Phantasiæ, Somnia & Ecstases (de verbo, *Abreptiones mentis, sc. tempore vigilationis*), quales in Prophetiæ Visione ferè esse solent, ita mirabiles obveniunt, ut planè sibi persuadeant, se Prophetas esse, summoperè mirentur, quòd tales phantasias & imaginationes habuerint, ac denique existiment, omnes scientias & facultates sibi absq; studio & labore infusas esse! Et hinc in magnas confusiones incidunt in multis rebus theoricis non parvi momenti, eaque, quæ vera sunt, cum apparentibus & imaginariis, adeoque, quod dici solet, Cœlum & Terram commiscent. Omnia autem ista proveniunt ex nimia facultatis Imaginatricis fortitudine, & facultatis Rationalis imbecillitate, propter quam nihil in ipsa in actum exire potest. Præterea sciendum, in unaquaque trium dictarum sectarum magnam conspici differentiam, & unius præ altera præeminentiam.

Insuper autem duæ priores in duas partes dividuntur, sicuti ostendimus. Influentia etenim, quæ ad illas pervenit, est vel in eo gradu & mensurâ, ut ad sui tantùm subjecti perfectionem sufficiat; vel in eo, ut ultra id, quod ad sui subjecti perfectionem requiritur, habeat quoque abundanter ad perficiendos alios. De priori genere sive sectâ sunt *Sapientes*, quibus super Virtutem rationalem vel tantum influit, ut ipsos reddat curiosos ad quidvis cognoscendum, intelligendum, & sciendum; sed non moveantur ad docendum alios, vel ad libros conscribendos; vel tantum, ut illa mensura necessariò illos permoveat ad alios quoque docendum, & libros conscribendos.

Simili ratione se res habet in secunda secta. Nam potest illis vel talis Prophetia obtingere, quæ Prophetam solùm perfectum reddat; vel talis, ut eâ moveatur ad Homines alios quoque vocandos, docendos, & perfectione suâ illuminandos. Ex quibus patet, si absque Influentia ista abundanti esset, nos nullas Artes vel Sciencias in libris descriptas habituros, nec laboraturos fuisse Prophetas, Hominibus persuadere, ut veritatem addiscerent. Nam non componit Vir sapiens libros pro se, ut se-ipsum doceat id, quod antea jam intelligit. Sed natura Intellectûs hæc est, ut perpetuò effundat aliquid in alium, quod à recipiente porrò derivetur in alium, donec tandem

perveniatur ad aliquem, qui non potest Influentiam illam ulteriùs promovere, sed quâ ipse tantùm perficitur; sicuti in aliquot libri hujus capitibus ostendimus. Natura autem hujus rei, sive mensuræ superabundantis Influentiæ hujus, quæ cogit quasi Hominem, etiamsi cum periculo vitæ id faciendum sit, ut alios instruat & informet, sive recipiatur ab ipso, sive non recipiatur; sicut invenire est Prophetas, qui Homines reprehenderunt, donec interfecti ab ipsis fuerunt: ista inquam Influentia Divina movet, incitat, impellit eos, neque ullam quietem ipsis concedit, licèt in extrema pericula conjiciantur. Hinc invenimus, quòd Jeremias, cùm contemptu & ignominiâ afficeretur à rebellibus & apostatis sui temporis, licèt Prophetias suas obsignare & claudere, neque ulteriùs ad veritatem illos vocare voluerit, illud tamen facere non potuerit, sicut ipse ait:

Jerem.20.8. *Fuit Verbum* DOMINI *mihi in opprobrium & subsannationem totâ die, & dixi; Non recordabor illius, neque loquar ultrà in Nomine ejus, & fuit in corde meo tanquam Ignis ardens & clausus in ossibus meis, & fatigatus sui ferendo, nec potui.* Sic ait Propheta alius:

Amos 3.8. DOMINUS DEUS *loquutus est, quis non prophetabit?*

CAP. XXXIIX.

De dono Fortitudinis sive Magnanimitatis, & Divinationis facultate in Prophetis, &c.

De fortitudine & magnanimitate.

NULLUS Homo est, qui non *Fortitudine* & *Robore* aliquo polleat. Nisi enim hoc esset, nunquam moveretur in cogitatione sua, ad id, quod nocere ei posset, repellendum. Atq; ista Facultas inter Facultates animales, meo judicio, eodem modo se habet, sicut Facultas expultrix inter Facultates naturales. Differt autem hæc *Fortitudo* secundùm magis & minus, sicut reliquæ Facultates. Invenies enim quosdam, qui Leonem fortitudine superant; & econtrà alios, qui præ mure fugam arripient: invenies, qui toti alicui exercitui se opponere ac resistere audent; & econtrà alios, qui à clamore mulieris reformidabunt & expavescent. Ejusmodi Fortitudo acquiritur, si præter dispositionem naturalem temperamenti in creatione, exercitio & usu inde à pueritia illam augeat, atque ita quod potentiâ ei inest, in actum educat; si verò exercitatio ista negligatur & omittatur, diminuitur & illa. Videre licet

Differt secũdum magis & minus.

Quomodo acquiratur.

cet hanc differentiam in pueris, quorum unus alterum fortitudine longè antecellit.

Pari ratione reperitur in omnibus Hominibus *Divinandi Conjectandiq; facultas*, quæ & ipsa secundùm magis & minus in eis variat, inprimis in iis rebus, quæ Homini magnoperè curæ sunt, & quas crebrò in cogitationibus suis volvit & revolvit: ita ut apud te-ipsum sæpe deprehendas, cùm cogitas, hunc vel illum ita vel ita dicturum aut facturum, quòd sic eveniat. Sic invenies quosdam, in quibus Imaginatio & Divinatio ita fortis & recta est, ut omnia, prout futura cogitârunt, eveniant, vel saltèm magna pars. Caussæ hujus rei, pro diversitate circumstantiarum, antecedentium sc., consequentium, & præsentium, sunt variæ. Has circumstantias sive principia Intellectus virtute facultatis Divinatricis pertransit, & ex iis sæpè brevissimo temporis spatio aliquid concludit & colligit, ut sine ullo tempore illud præstitisse videatur. Atque hac facultate quidam prædicunt futura, eaque gravissima. *De facultate divinandi & conjectandi.* *Caussa illius facultatis.*

Duas istas facultates, *Fortitudinis* sc. sive *Magnanimitatis* & *Divinationis*, in Prophetis fortissimas & vehementissimas esse necesse est. Quando autem ipsis accedit Influentia Intellectûs, supra modum roborantur; ita ut, quemadmodum nôsti, eò res pervenerit, ut quidam (*Virtute sc. Magnanimitatis & Fortitudinis*) nudo suo baculo potêti Regi prævaluerit, & totam Gentem intrepidè ex servitute ejus eripuerit; posteaquàm nempe dictum ei fuit, *Tecum ero.* Attamen diversi gradus hîc reperiuntur, & discrepant secundùm magis & minus: nullus tamen eâ (*Fortitudine sc. & Magnanimitate*) prorsus carere potest. Sic dictum fuit Jeremiæ: *Ne timeas à facie illorum*, &c. *Ecce dedi te hodiè in Urbem munitam*, &c. Sic dictum est ad Ezechielem: *Ne timeas ab eis, & à verbis ipsorum.* Et ita reperies, quòd in omnibus Prophetis ingens fuerit animi fortitudo & magnitudo. Per excellentiam autem & præstantiam facultatis Divinandi subitò atque momento futura prædixerunt, in qua tamen & ipsa facultate magna diversitas reperitur. *In Prophetis sũt fortissimæ hæ facultates.* Exod.3.12. Jer.1.17.18. Ezech.2.6.

Præterea scito, quòd veri Prophetæ tales sæpè habeant apprehensiones speculativas, quarum caussas nemo potest ingenio & speculatione nudâ assequi. Ita prædicunt futura quædam interdum, quæ Homo conjecturâ & divinatione solâ indicare nullo modo posset; quia illa Influentia, quæ in facultatem Imaginatricem influit, & eam ita perficit, ut per operationem ejus, quæ futura sunt, possit annunciare, & ita apprehendere, ac si sensibus illa percepisset, illorumq;

medio ad facultatem Imaginatricem pervenissent; illa inquam Influentia perficit etiam facultatem Rationalem, ut per operationem ejus res quasdam veram existentiam habentes ita sciat & apprehendat, ac si illas per principia speculativa apprehenderet. Atque hæc est ipsissima veritas, quam credere debet, quicunq; veritatis est amator & sectator; omnia enim ista de se invicem docent & testantur. Necessarium autem est, ut hoc magis sit in facultate Rationali & copiosius, (h.e. *ut Influentia illa sit excellentior in facultate Rationali, quàm in Imaginatrice*): quia Influentia Intellectûs agentis primò illam illuminat & in actum educit; & de facultate Rationali demùm pervenit ad facultatem Imaginatricem. Quomodo enim ab ipsa perfectione facultatis Imaginatricis provenire posset ista mensura, cùm sit ejusmodi apprehensio, quæ nequaquam à sensibus ad illam pervenit? Neque etiam provenire potest tale quid à facultate Rationali, cùm non sit scientia, quæ per certa principia, conclusiones, & rationes scitur & apprehenditur. Et hæc verissima est Prophetiæ ratio, & sententiarum illarum, quibus studium Propheticum appropriatur. Condicionaliter autem & de *Prophetis veris* tantùm loquutus sum, ut nempe excipiam eos, qui de tertia secta sunt, qui nulla Rationalia, neque Sapientiam habent, sed nudas tantùm Imaginationes & cogitationes. Nam ea, quæ tales Homines apprehendunt, nihil aliud sunt, quàm sententiæ, quas anteà jam habuerunt, quarum signa & vestigia in Imaginatione ipsorum impressa remanserunt, cum reliquis, quæ sunt in facultate illorum Imaginatrice: & quum cessârunt Imaginationes multæ, manserūt vestigia sententiarum illarū, quæ ipsis posteà res planè novę & adventitię esse videntur: ut verbi gratiâ, Si cum Homine aliquo essent mille Individua animalium in domo, & omnia exirent, quæ in domo fuerunt, unico tantùm ex illis excepto, cum quo Homo ille remanens, existimaret, quòd nunc demùm in ædes intraverit, cùm tamen res nequaquam ita esset, sed ex illis foret, quæ nunquam exiverunt. Atque hic locus est ex iis, qui seducunt & in exitium trahunt multos: quot enim quęso hoc modo perierunt, qui se Sapientes putabant? Sic reperiuntur multi, qui confirmant sententias suas per somnia, quæ somniant, & existimant, se illam rem, quæ in somnio ipsis apparet, nunquam scivisse vel audivisse vigilantes. Propterea non debet Homo attendere ad eum, cujus facultas Rationalis non est perfecta, & qui non pervenit ad finem perfectionis speculativæ. Nam qui hanc perfectionem assequutus est, is quoq; aliarum rerum scientiam mediante Influen-

Vide suprà.

Influentiâ Intellectûs Divini potest assequi, & in rei veritate Propheta est; sicut hoc à Mose declaratur, cùm inquit: *Et Propheta Cor sapientiæ:* vult enim dicere, quòd Propheta in veritate sit Cor sapientiæ. Atq; hoc quoq; est ex illis, quod scire te oportet. *Psal.90.12.*

CAP. XXXIX.

De præstantia, perfectione, facilitate, & perpetuitate Legis Mosis.

POSTEAQUAM quidditatem & veritatem Prophetiæ hactenus exposuimus, & declaravimus, quòd Prophetia Mosis Doctoris nostri ab omnium aliorum Prophetiis differat; dicemus nunc, quòd propter solam illam Apprehẽsionem ad Legem vocati simus: quia nempe vocationi illi, quâ Moses nos vocavit, similis neque antecessit inde ab Adamo primo ad ipsum usque, neque etiam post ipsum apud ullum Prophetam sequuta est. Sic, fundamentum Legis nostræ est, quòd in æternum non sit finem habitura vel abolenda: ac propterea etiam ex sententiâ nostrâ, alia Lex nec unquam fuit, nec erit, præter unicam hanc Legem Mosis Doctoris nostri p.m. Probatur hoc inde, quia neque in Prophetis, neq; in Cabbala invenimus, quòd Propheta aliquis aut Patriarcha ante Mosen, quales fuerunt, Schem, Eber, Noach, Mathusalem, & Enoch, ad cœtum & congregationem aliquam hominum dixerit; *DEUS misit me ad vos, & præcepit mihi, ut vobis sic vel sic dicam*; vel, *monet vos, ne ita faciatis*; aut, *præcipit vobis, ut sic faciatis:* de hac inquam re neque in Lege, neque in Cabbala ullum testimonium reperimus; sed obtigit ipsis Prophetia eo modo, quem exposuimus. Cui autem copiosè elargita fuit Influentia illa, veluti Abrahamo p.m., is congregavit Homines, & per modum doctrinæ, instructionis & informationis ad veritatem vocavit, quam apprehenderat. Ita docere solebat Abraham, & per demonstrationes speculativas ostẽdere, quòd Mundus habeat DEUM unum solùm, quòd Is creaverit omnia alia, quæ extra vel præter ipsum sunt, & quòd non sit serviendum figuris istiusmodi externis aut ulli creaturæ; & ad ista sermonibus blandis, suavibus & jucundis, beneficiis denique Homines allexit & attraxit. Nunquam verò dixit; *DEUS misit me ad vos, præcepit mihi*, aut, *hortatus est me.* Sic cùm mandatum à DEO accepisset, ut ipse, & filii, & servi ejus circumciderentur, circumcidit eos; nequaquam verò Homines ad hoc voca-

Lex Mosis æterna.

Ignoravit cœtus Judæus, Legem Mosis per Christum esse abolendam.

Ratio docendi Prophetarũ ante Mosen.

Quomodo & quid docuerit Abraham.

tione Propheticâ vocavit. Nónne enim vides, quid Lex de eo dicat; *Quia novi eum: propterea præcipiet filiis suis*, &c. Unde vides, quòd per præcepta solitus fuerit omnia sua peragere. Hoc pacto vocârunt Homines Isaac, Jacob, Levi, Kehat, Amram. Sic dicunt Sapientes nostri de Prophetis, qui antecesserunt ipsum; *Domus judicii Eberi, domus judicii Methusalemi, Schola Methusalemi, omnes fuerunt Prophetæ. & docebant Homines instar Concionatorum, Doctorum, Præceptorum; non verò, quòd dixerint, Et dixit* DOMINUS *ad me, Loquere ad N.* Sic comparatum fuit ante Mosen.

Genes.18.19.

Mosen verò quod attinet, nôsti, quid ad ipsum dictum sit, quid dixerit ipse, & quid totus Populus de ipso dixerit; *Hodiè vidimus, quòd* DEUS *loquatur cum Homine, & vivat.*

Deut.5.24.

Quomodo Prophetæ post Mosen docuerint.

Quod attinet Prophetas illos, qui fuerunt post Mosen, nôsti, quæ concionum ipsorum ratio fuerit, quòd videlicet corripuerint vel admonuerint Homines, eosque ad custodiendam Legem Mosis vocaverint, mala quævis comminando eam derelinquentibus, & bona omnia pollicendo juxta eam incedentibus.

Et sic credimus futurum esse in perpetuum, quemadmodum dicitur; *Non in Cœlis est, ut dicas*, &c. Item: *Nobis & filiis nostris in sæculum.* Neque aliter esse potest. Nam si res aliqua omnibus modis & gradibus in specie sua sit perfecta, impossibile est, ut in illa specie inveniatur alia, nisi à perfectione illa vel in excessu, vel in defectu peccâs, in exacta & æquali proportione temperamenti illius speciei. Omne enim temperamentum ab Æqualitate recedens, habebit vel aliquid superfluum, vel aliquid deficiens. Atque ita se res habet in Lege ista, sicuti Æqualitas ejus (h.e. *justa & exacta ejus temperatio*) nobis indicatur, cùm dicitur; *Statuta & judicia justa* zaddikim; nôsti enim, Zaddik *Justus* vel *Justum* sæpè idem valere quod *Aequale, Proportionatum.* Quod verò hoc ita sit, inde apparet, quia tales continent cultus, in quibus nulla est defatigatio, nullusque excessus, sicut in cultu eorum, qui in montibus & locis desertis degunt, qui à carne, vino, & aliis rebus ad fragile corpus nostrum sustentandum necessariis abstinent, qui cultûs Divini caussâ hinc inde vagantur, & molestas peregrinationes suscipiunt, vel denique simile quippiam facere coguntur. Nullus etiam est in illis defectus, qui incitare posset Homines ad contemtum, vel ad sese in vitiis & flagitiis immergendum, ut quibusvis sceleribus fenestram quasi aperiat, atque ita hominem in moribus, virtutibus & speculationibus suis imperfectum relinquat, sicut Leges aliarum Gentium prophanarum. Verùm, quando hoc in

Deut.30.12.
Ibid.29.29.

Perfectio Legis Mosis.

Deut.4.8.

Nullus est in Legibus Mosaicis excessus:

Nullus etiam defectus.

In Libro de caussis & rationibus præceptorum agemus, satis superq; æqualitas sive justa temperatio & sapientia ejus elucebit. Hanc ob caussam dicitur de ea, *Lex DOMINI est perfecta, convertens animam.* Psal.19.8. Si quis existimet, illam esse laboriosam, molestam, & tædiosam, is in magno errore versatur, & rem non benè intelligit. Facilitatem autem & levitatem ejus apud perfectos posteà sufficienter & verissimè sum demonstraturus. Propter hanc dicitur de ea, *Quid est, quod DOMINUS DEUS tuus petit à te?* &c. Deut.10.12. Item, *An loquutus sum Israeli?* Sed hæc non nisi præstantiorum respectu dicta sunt, quibus meliori de limo finxit præcordia Titan. Quod enim profanos, iniquos, & violentos Terræ filios attinet; illi nihil pejus, nihil pestilentius, nihil durius esse judicant, quàm judicem aliquem habere, qui vim & violentiam eorum inhibeat & coërceat. Ita luxuriosis & voluptatibus deditis res videtur intolerabilis, si prohibeantur secúdùm effrænem cordis sui libertatem scortationi indulgere, & si pœnæ de scortatoribus sumantur. Ita cuivis defectu aliquo laboranti, onus Ætnâ gravius esse videtur prohibitio vitii illius, ad quod, pro morum suorum pravitate inclinat & propendet. Quocirca de Levitate vel Gravitate Legis non est judicandum secundùm cujusvis hominis mali, temerarii, vitiisq; pessimis dediti affectus & concupiscentiam; verùm secundùm intellectum perfectissimi alicujus inter Homines, cujus similes, secundùm Legem, omnes reliqui esse deberent. Deniq;, hæc Lex sola est, quæ *Divina* vocatur; reliquæ verò Leges & Statuta provincialia, ut sunt Leges Græcorum, Consuetudines Zabæorum &c. mera sunt opera & inventa Hominum politicorum, non autem Prophetarum, sicut aliquoties jam ostendi.

Homines profani, qui vitiis dediti sunt, odio habent Leges.

CAP. XL.

Hominem esse animal politicum & civile, sed tamen magnam inter Individua reperiri differentiam; ideoq; Legibus opus habere, quibus regantur & in terminis retineantur. Agitur etiam de differentia Legum humanarum & Legis divinæ.

SUFFICIENTISSIMÈ demonstratum est hactenus, Hominem naturâ esse animal politicum & civile, & naturâ societatem

Homo est animal politicũ & sociale.

tem amare & quærere: non sicut reliqua animantia, quę tali societate non egent.

Varietas inter Homines in moribus, &c.

Propter magnam autem varietatem compositionis istius speciei (quia, ut nôsti, ultimum est compositum) maxima quoque inter Individua ejus est differentia, ita ut nequeant vel duo inveniri Homines, qui eisdem moribus sint prædici; sicuti nec duo formâ externâ convenientes & æquales reperiri possunt.

Caussa illius varietatis.

Caussa hujus diversitatis, est Temperamenti, Materiæ, & Accidentium, quæ Formam sequuntur, diversitas. Nam unaquæque Forma naturalis habet propria quędam Accidentia, quæ illam consequuntur, præter Accidentia illa, quæ Materiam comitantur. Talis autem & tanta in Individuis differentia in nullâ aliâ Animantium specie reperitur, sed uniuscujusque speciei Individua ferè conveniunt, Homine tantùm excepto. In hujus enim specie duo Individua tàm discrepantia sæpè inveniuntur, ac si penitus è duabus essent speciebus. Ita invenies quendam tantâ crudelitate præditum, ut minimum quoque filiolorum suorum præ excandescentiâ mactare non reformidet; alium econtrà tantâ clementiâ affectum, ut propter vermiculi vel pulicis interfectionem cor ipsius liquescat & commiseratione afficiatur. Idem hoc videre licet in multis Accidentibus.

Opus habent Rectore & Gubernatore.

Quia ergo Naturæ ejus hoc est insitum, ut inter ipsius Individua tanta sit varietas: & quia Natura ejus necessitate coactâ Societatem & Conjunctionem postulat; idcircò hæc Conjunctio & Societas sine Rectore & Gubernatore perfecta esse nequit, qui actiones ipsorum ad regulam æquet, defectus suppleat, excessus corrigat, omniaq; opera ad certam normam, certumq; modum exigat, ita ut varietas & differentia illa naturalis per harmoniam & convenientiam præscriptam sive impositam occultetur, societasque fiat ordinata.

Usus Legis.

Ideò dico, quòd, licèt Lex non sit naturalis, ingrediatur tamen rationem rei naturalis, & à Sapientia DEI ordinata sit ad illius speciei conservationem, cujus existentiâ DEUS delectatur, & cujus naturæ indidit, ut Individua ejus Facultatem gubernatricem haberent. Eorum autem quidam sunt, qui ipsimet per illam facultatem prophetant, ut Propheta aut Legislator, (h.e. *qui Leges tantùm & præcepta dant & præscribunt*); alii, qui facultatem habent cogendi Homines, ad facienda, exequenda, & in actum deducenda ea, quæ Propheta ille præcepit: ut Rex, qui accipit Legem illam. Sunt etiam, qui gloriantur de Prophetia, qui accipiunt Legem alicujus Prophetæ vel totam, vel ex parte tantùm, ut partem unam accipiant, alteram verò

verò relinquant, idque vel ideò, quia illa pars eis magis est facilis, aut quia in hanc opinionem trahere possunt Homines, ac si per Prophetiam illis obtigissent; neque in eis aliorum vestigia premerent, idque ex mera ambitione & arrogantia. Sunt enim quidam, quibus Perfectio aliqua tantoperè placet & arridet, quique adeò eam expetunt & affectant, ut omnibus persuadere libenter vellent, se illâ perfectione esse præditos; licèt probè sciant, se in rei veritate eam minimè habere. Ita vides multos arroganter gloriari de aliorum Poëmatis sive Carminibus, & videri velle, ac si ipsimet illa composuissent. Idem contingit sępè in libris & laboribus Virorum doctorum, & artibus ac scientiis multis, quando incidunt in manus æmuli alicujus & ignavi Thrasonis, ut ea, quæ alius invenit, à se inventa jactitet, atque ita alienis plumis se ornet. Eodem pacto evenire solet in ista perfectione Prophetiæ. Invenimus enim quosdam, qui gloriantur de Prophetia, & talia dicunt, de quibus nulla unquam fuit Prophetia, qualis fuit *Zedekias filius Kenaana*. Invenimus alios, qui de Prophetia gloriantur, & talia dicunt, quæ sine omni dubio DEUS loquutus est, h.e. quæ per Prophetiam quidem venerunt, sed ad alios, (qualis fuit *Chanania ben Azur*), & posteà dicunt, quòd ipsimet sint Prophetæ.

Ambitiosi & arrogantes gloriantur sæpè de iis, quæ non habet, vel quæ sunt aliorum.

Multi gloriantur de Prophetia, qui tamen eam non habent.

Sed hæc nota sunt ac manifesta; nihilominùs tamen clariùs adhuc ea tibi explicabo, ut planè non ampliùs dubitare queas, & differentiam habeas, quâ discernere possis inter Ordinationes Legum conditarum ab Hominibus, inter Ordinationes Legis Divinæ, & inter Ordinationes eorum, qui aliqua à Prophetis aliis accipiunt, & posteà gloriantur, ac si ipsimet ea dixissent. Quod ergo attinet Leges illas, quas publicârunt conditores & latores ipsarum ex propria cogitatione & arbitrio suo, de illis non necesse est magnam adferre probationem: *Quando enim confitentem habemus Reum, non habemus opus Testibus.* Proinde de illis solùm te informabo, quæ Propheticæ esse dicuntur. Earum autem quædam reverà sunt Propheticæ, h.e. *Divinæ*, quædam *Legales*, quædam *tales, de quibus Legislator ait quòd à se proficiscantur, cùm tamen illas desumpserit ab alio.* Quando incidis in Legem aliquam, in qua ipsius Legis & Authoris actiones ejus definientis tota intentio est, Eutaxia & commodum Reipublicæ, ut omnis iniquitas & injustitia ex ea tollatur; nullusque respectus ad res speculativas, nulla cura de perficienda facultate Rationali, nulla denique dogmatum Fidei vel Religionis consideratio, an sana sint ac valida, an verò ægra & infirma? sed cujus intentio

De Legibus humanorum Legislatorum.

De Legibus Propheticis, quæ sunt triplices.

Legales, vel Civiles.

tota versatur in rebus & negotiis mortalium disponendis,eorumq; prosperitate & salute procurandâ ac promovendâ,ex mente & consilio Authoris illius; cùm inquam Legem aliquam ita comparatam esse deprehendis,illam scias esse *Legalem* vel *Civilem*,& Authorem ejus ex secta tertia,eorum videlicet,in quibus facultas Imaginativa solùm dominatur. *Divina.* Quando verò vides Legem,cujus jura & ordinationes omnes sunt speculativæ,quæ agit tùm de rebus corporalibus,tùm de iis,quæ ad Fidem spectant,& cui propositum est ante omnia sententiis veris de DEO & de Angelis Homines imbuere,deinde sapientes, intelligentes & prudentes eosdem reddere, ut totius hujus Universitatis naturam & rationem veram teneant,illam ordinationem scias esse à DEO, Legemque illam *Divinam*. Re- *Supposititia.* stat ergo nunc,ut scias,quomodo probare debeas,an is,qui in publicum dat Legem aliquam sub suo nomine,reverà sit perfectus ille,cui ea in Prophetia revelata est,an verò inanis tantùm sit ostentatio & gloriatio,illamque furto ab alio surripuerit. *Pseudo-Prophetæ quomodo probari possint.* Modi hominem talem probandi sunt,Perfectionis ejus diligens exploratio,Actionum ejus observatio,& Morum ejus accurata inspectio. Certissima autem demonstratio hæc est, si dereliquerit & contemnat voluptates corporales,(hic enim Sapientum & Prophetarum primus gradus,primaque nota est),inprimis verò sensum illum,qui juxta Aristotelis pronunciatum nobis est opprobrio & dedecori,& si abominetur omnem libidinem & scortationem. *A' Deo quomodo manifestētur.* Ideò hoc signo DEUS ferè omnes eos prodidit & in lucem produxit,qui falsò de Prophetia gloriati sunt; ut nempe veritas eam amantibus pateat,& ab omni errore præserventur. An ignoras enim, quâ ratione *Zedekias Filius Maasija*,& *Achab Filius Kolija* de Prophetia gloriati fuerint, multos Homines ad se pertraxerint,verbaq; Prophetiæ ab aliis instinctûs Divini afflatu prolata sub suo titulo venditârint,& tamé in voluptatibus suis Venereis perrexerint,ita ut sociorum & discipulorum suorum quoque uxores stupraverint, donec à DEO, ut & alii ipsis similes , retecti, & à Rege Babyloniæ , meritissimâ pœnâ, igne combusti fuerint; sicut Jeremias ostendit, cùm ait: (Jerem.29.22.) *Et assumetur ab eis maledictio ab omni transmigratione Jehudah,quæ est in Babel,dicendo; Ponat te DOMINUS sicut Zedekiam & sicut Achab, quos combussit Rex Babel igni,&c.* Item: (Ibid.v.23.) *Et adulterium commiserunt cum uxoribus sociorum suorum, & loquuti sunt verbum in Nomine meo mendaciter,&c.*

CAP.

CAP. XLI.

Quid sit Visio Prophetica. *Quot modis in Prophetis dicatur,* Verbum Domini ad ipsos factum esse.

NON existimo necesse esse, ut tibi explicem, quid sit *Somnium*; verùm operæ pretium est, ut scias, quid sit Mareh *Visio*, de qua dicitur, Bemareh *In Visione me notum faciam illi*, quæ vocatur Mareh hannebhuah *Visio Prophetica*: Item, *Manus Dei*: Item, Machaseh. Est autem Terror quidam Panicus, qui occupat Prophetam inter vigilandum, sicuti ex Danjele patet, quando ait; *Et vidi Visionem magnam hanc, neque remansit in me ulla fortitudo, & vis mea mutata in me est in corruptionem, nec retinui fortitudinem ullam.* Item, *Et fui lethargo oppressus super faciem meam, & facies mea ad terram.* Sermo enim Angeli, quo ipsum allocutus est, & illius erectio, facta utique fuerunt in Visione Prophetiæ. In tali autem negotio sensus omnes à suis functionibus quiescunt, & venit Influentia illa super facultatem Rationalem, ac ab ista diffunditur in facultatem Imaginatricem, hocq; pacto opus suum perficit & absolvit. Quandoque autem incipit Prophetia in Visione Prophetica, & posteà multiplicatur terror & passio illa vehemens, quæ sequitur perfectionem operationum facultatis Imaginatricis, & tùm demùm venit Prophetia, sicuti contigit Abrahamo. In principio enim Prophetiæ illius dicitur; *Et fuit Verbum DOMINI ad Abrahamum in Visione.* Et in fine ejusdem; *Et sopor irruit in Abrahamum*, &c. Item; *Et dixit ad Abrahamum*, &c.

Num.12.6. — *Visio Prophetica quid sit?* — *Dan.10.8.* — *Gen.15.1.* — *Ibid.v.12.* — *Ibid.v.13.*

Præterea scito, quòd omnium eorum Prophetarum, qui Prophetiam sibi factam esse dicunt, quidam eam Angelo alicui, quidam verò DEO Opt. Max. adscribant & attribuant, licèt per Angeli ministerium quoque ipsis obtigerit, de quo Sapientes nostri nos erudierunt, quando ajunt: *Et dixit DOMINUS ad eam*; scilicet עַל יְדֵי הַמַּלְאָךְ h.e. *per manus Angeli.* *Gen.25.23.*

Insuper, de quocunque scriptum occurrit, quòd Angelus cum eo loquutus, aut quòd aliquid ipsi à DEO revelatum sit, id nullo alio modo, quàm in Somnio, aut Visione Propheticâ factum esse, noveris.

Habemus etiam apud Sapientes nostros Discursum de Sermone, qui ad Prophetas pervénit, secundùm id, quod Prophetæ ipsi scripserunt, (h.e. *de modis, quibus, sermonem Divinum ad se esse factum*, Pro-

Quatuor modis dicunt Propheta, Sermonem Dei ad se esse factum.

1. *pheta dicunt.*) Quatuor modis fieri illud ajunt. *Primus* modus eſt, cùm Propheta revelat, quòd ſermo ille factus fuerit ab Angelo in So-
2. mnio, aut in Viſione. *Secundò*, cùm mentionem tantùm facit verborum Angeli; ſed non explicat, quòd facta ſint in Somnio, vel in Viſione, eò quòd fundamento huic, quod notum eſt, innitatur; Nullam Prophetiam fieri, niſi uno aliquo duorum iſtorum modorum,
Num.12.6. quorum DEUS meminit, quando ait; *In Viſione me notum faciam ei,*
3. *in Somnio loquar ei.* *Tertiò*, cùm nullam prorſus Angeli mentionem facit, ſed DEO Opt.Max. ſermonem adſcribit, ac ſi ipſe eum protuliſſet, hac tamen cum adjectione, quòd factus ſit in Viſione, aut in
4. Somnio. *Quartò*, cùm Propheta abſolutè & ſimpliciter ait, quòd DEUS ſecum loquutus ſit, vel ei dixerit; *Fac hoc*: aut, *Dic hoc*: nullâ vel Angeli, vel Somnii, vel Viſionis mentione factâ; idque propter hoc quoque notum fundamentum & principium; quòd nulla Prophetia fiat, niſi in Somnio aut Viſione, & per manum Angeli.

Geneſ.31.11. Num.22.12. Ad *primum modum* pertinet, quod dicitur; *Et dixit ad me Angelus DOMINI in Somnio, Jacob.* Item: *Et dixit Angelus ad Bileamum.* (Nota, quòd hîc in textu Hebræo ſit vox *Elohim*, quam de Angelo author hîc intelligit.)

Geneſ.35.1. Ibid.v.10. Ibid.22.15. Ibid.7.1. *Secundi modi* ſunt iſta; *Et dixit DEUS ad Jacobum, ſurge, aſcende Bethelem.* Item; *Et dixit ei DEUS, Nomen tuum eſt Jacob.* Item; *Et clamavit Angelus DOMINI ad Abrahamum ſecundò è Cœlis.* Item; *Et dixit DEUS ad Noachum.*

Ibid.15.1. Ex *tertio modo* eſt id, quod dicitur; *Fuit Verbum DOMINI ad Abrahamum in Viſione.*

Ibid.12.1. Ibid.31.3. Joſ.3.7. Judic.7.2. Jeſa.8.1. Ezech.24.20.&c. 1.Reg.19.9. Hoſ.1.1. Ezech.37.1. Ex *quarto* denique *modo* ſunt; *Et dixit DOMINUS ad Abrahamum.* Item; *Et dixit DOMINUS ad Jacobum, revertere.* Item; *Et dixit DOMINUS ad Joſuam.* Item; *Et dixit DEUS ad Gedeonem.* Sic; *Et dixit DOMINUS ad me: Et fuit Verbum DOMINI ad me. Verbum DOMINI fuit,* &c. *Et ecce Verbum DOMINI ad ipſum fuit. Fuit Verbum DOMINI. Principium Verbi DOMINI ad Hoſeam. Fuit ſuper me Manus DOMINI*: & hujus generis alia.

Quicquid ergo ex quatuor iſtis modis occurrit, id *Prophetia* eſt; &, quicunque talia dicit, *Propheta.* Quando verò dicitur, *Et venit DEUS ad N. in Somnio noctis*; id *Prophetia* minimè nuncupari poteſt, neque vir talis, *Propheta.* Senſus etenim eſt, quòd admonitio, *ruſticaix* quædam, Viro ejusmodi à DEO facta fuerit; deinde, quòd in Somnio illa contigerit. Nam, quemadmodum DEUS cauſſatur, ut Homo moveatur ad alium vel defendendum & liberandum, vel perdendum & occiden-

cidendum: sic quoque caussa est DEUS ortûs illarum rerum, quas in Somniis nocturnis exoriri vult. Notum enim est, neque ullum dubium, quin Laban Syrus perfectissimè impius fuerit & idololatra: & Abimelech, licèt Vir bonus in Populo suo fuerit, tamen de ipso, de Terra & Regno ejus dicit Abraham; *Non est Timor DEI in loco isto:* nihilominus de utroque, Labane inquam, & Abimelecho, legimus; *Et venit DEUS ad Abimelech in Somnio noctis: Et venit DEUS ad Labanem Syrum in Somnio noctis.* Quocirca observa istam differentiam inter hæc duo; *Et venit DOMINUS:* Item; *Et dixit DOMINUS:* & inter, *In Somnio noctis:* &, *In Visionibus noctis.* De Jacobo dicitur: *Et dixit DEUS ad Israëlem in Visionibus noctis:* de Labane autem & Abimelecho; *Et venit DEUS,* &c. Hac de caussa exposuit Onkelos ista; *Et venit Verbum à DOMINO:* non autem dixit de duobus istis; *Et revelavit se DOMINUS.* Genes.20.11. Ibid.20.3. Ibid.31.24. Gen.31.24. Gen.20.3.

Tandem verò hoc loco & istud scias, quòd sæpè dicatur, *Et dixit DOMINUS ad N.*, cùm tamen hoc non fuerit ad illum N., neque ulla ei Visio contigerit; sed verbum illud ei dictum fuerit à Propheta: sicut scriptum est de Rebecca; *Et ivit ad interrogandum DOMINUM:* ubi apertè glossantur *(Rabbini sc. nostri) in Scholam sive Gymnasium Schemi & Heberi, & ipse* (Schem sc. vel Eber) *respondit ei.* Nihilominùs tamen dicitur; *Et dixit ei (Rebecca) DOMINUS.* Licèt autem alibi dicant, *Et dixit ei DOMINUS; nempe per manus Angeli:* tamen sine dubio per Angelum ibi intelligitur Heber, (Propheta enim non rarò vocatur Angelus, ut alibi explicavimus), vel Angelus ille, qui ad Heberum venit in ista Prophetia: vel dictum id erit ad significandum, quòd omnis sermo, qui DEO præcisè & absolutè attribuitur in reliquis Prophetis, excepto Mose, per Angelum factus esse intelligi debeat, sicut explicuimus. Gen.25.22. Ibid.v.23.

CAP. XLII.

Quando alicui Angelus reverà apparuisse vel loquutus esse dicitur, intelligi id debere de Visione Prophetiæ.

EXPOSUIMUS in capite præcedenti, quòd, ubicunque Visionis Angeli, vel Sermonis ejus mentio fit, id intelligendum sit in Visione Prophetiæ vel Somnio factum esse: nec quicquam referre, sive id expresè dicatur, sive non; quod animadvertere & observare te volo.

Nihil etiam refert, sive à principio scribat, quòd viderit Angelum, sive ex sermone ejus videatur & colligatur, quòd primò illum pro Homine habuerit, sed in fine, quòd Angelus sit, ipsi innotuerit. Nam posteaquàm ex fine intelligis, Angelum fuisse id quod vidit, & quod sermonem habuit, constat tibi simul, quòd ab initio negotii fuerit Visio Prophetiæ aut Somnium Propheticum. In Visione etenim Prophetiæ, vel in Somnio Prophetico videtur nonnunquam Propheta, ac si DEUS ipse secum loqueretur; nonnunquam, ac si Angelus loqueretur: nonnunquam accidit, ut audiat loquentem, sed non videat eum: nonnunquam etiam videtur ei, ac si Vir aliquis ipsum alloqueretur, posteà autem experitur, quòd Angelus fuerit; & in hac Prophetiæ specie commemoratur, primò, quòd viderit Virum hoc vel illud agentem aut dicentem; deinde, quòd cognoverit, illum Virum esse Angelum.

Ad hoc fundamentum respexit & inclinavit quidam ex præstantissimis & maximis nostris Sapientibus, videlicet *Magnus R. Chija*, in explicatione verborum illorum Legis; *Et apparuit ipsi DOMINUS in quercubus Mamre*, &c. (Genes. 18. 1.) Posteaquàm enim præmisit (*Moses*) summariter, quòd DEUS ipsi (*Abrahamo*) apparuerit, incipit quoque apparitionis illius formam exponere, quòd nempe primò tres Viros viderit, & deinde ad illos cucurrerit, eosque salutârit & alloquutus fuerit. Ubi author illius expositionis (*R. Chijah*) dicit, quòd verba ista Abrahami; *DOMINE, si nunc inveni gratiam in oculis tuis, ne quæso transeas à servo tuo*: (Ibid. v. 3.) quòd inquam ista verba ad unum, & quidē præcipuum inter illos, dixerit & direxerit; quod tibi, tanquam secretum magnum, considerandum relinquo. Idem dicit (*R. Chijah*) de eo, quod in historia Jacobi legimus; *Et luctatus est Vir cum ipso*, (Gen. 32. 24.) quòd sc. in Visione Prophetiæ factum fuerit, quia posteà explicatur, quòd Angelus fuerit; planè ut in historia Abrahami, ubi primò in genere dicitur, *Et apparuit ipsi*, &c. deinde specialiter explicatur, quomodo hoc factum fuerit. (*Lucta Jacobi accidit in Visione Prophetiæ.*) Ita enim de Jacobo quoque dicitur, *Et occurrerunt ipsi Angeli DEI*; (Ibid. v. 1.) deinde explicatur, quomodo acciderit, ut ei occurrerint, quòd nempe nuncios miserit ad fratrem suum Esavum, & sic & sic fecerit; & tandem, quòd relictus fuerit Jacob solus, &c. Istud autem de Angelis DEI, de quibus primò dicitur, *Et occurrerunt ipsi Angeli DEI*, ista item lucta, atque adeò totum negotium, in Visione Prophetiæ contigerunt. Ita dico, in negotio Bileami totum illud, quod in via ei contigisse dicitur, & quomodo asina loquuta fuerit, in Visione Prophetiæ factum esse; quia in fine historiæ explicatur, quòd (*Historia Bileami & asinæ contigit in Visione Prophetiæ.* Numer. 22.)

quòd Angelus DEI loquutus fuerit. Sic dico de eo, quod legitur in Visione Josuæ, *Levavit oculos suos, ac vidit, & ecce, Vir stabat contra eum*, quòd in Visione Prophetiæ contigerit, quia in fine negotii dicitur, quòd fuerit *Princeps exercitûs DOMINI*. Quod verò dicitur. *Et ascendit Angelus DOMINI de Gilgal*: Item, *Et fuit, cùm loqueretur Angelus DOMINI verba hac ad omnes filios Israël*: de eo Sapientes nostri dixerunt, quòd Angelus DOMINI, cujus ibi mentio fit, sit Phineas. Ajunt enim; *Hic est Phineas, nam eo tempore, quo Majestas Divina habitavit super eo, similis fuit Angelo DOMINI*. Explicavimus autem jam in præcedentibus, quòd ANGELUS Nomen sit æquivocum; &, quòd Propheta quoque *Angelus* vocetur: ut; *Et misit Angelum, & eduxit nos ex Aegypto*. Item; *Dixit ergo Haggai Angelus DOMINI in Legatione DOMINI*. Item; *At illi subsannabant Angelos DEI*. Præterea etiam, quod Danjel scribit; *Et vir ille Gabriel, quem videram in Visione, in principio, volantem volatu, tetigit me tempore sacrificii vespertini*: illud totum dico in Visione Prophetiæ factum fuisse. Non enim debemus existimare, cùm de Visione vel Auditione verborum Angeli legimus, quòd id aliter, quàm de Visione Prophetiæ, vel de Somnio Prophetico sit intelligendum, sicuti hoc fundamentum nobis positum est in illo dicto; *In Visione notum me faciam ei, in Somnio loquar cum ipso*. Ex his ergo, quæ hactenus dicta sunt, judicandum de reliquis, quæ non sum adducturus. Intelliges autem ex iis, quæ antehàc de Præparationis necessitate ad Prophetiam, & de Homonymia vocabuli ANGELUS, in medium protulimus, quòd nec Hagar Ægyptia, *Prophetissa*, neque Manoah & Uxor ejus, *Propheta* fuerint; sed quòd sermo ille, quem audiverunt & perceperunt, fuerit instar *Filia vocis*, (cujus frequentem mentionem faciunt Sapientes nostri), quæ est talis res, quæ contingere potest ei quoque, qui non est præparatus ad Prophetiam: verùm homonymia vocabuli ANGELUS hîc Hominibus imponit, cujus explicatio principiũ est, quod plurima in Lege dubia refellit & resolvit. Observa autem convenientiam verborum illorum de Hagare, *Et invenit eam Angelus DOMINI ad fontem aquarum*, cum iis, quæ de Josepho legimus, *Et invenit eum Vir, & ecce, oberrabat in agro*; quæ omnia Medraschoth concorditer de Angelo explicant.

Jos.5.13. v.14. Judic.2.1. v.4. *Propheta vocatur Angelus.* Num.20.16. Hag.1.13. 2.Paral.36.16. Dan.9.21. Num.12.6. *Filia vocis.* Gen.16.7. Gen.37.15.

CAP.

CAP. XLIII.

De rationibus & modis Parabolarum Propheticarum.

Per Parabolas prophetãt quandoq; Prophetæ.

IN Opere nostro *Jad* ostendimus, Prophetas quandoque per Parabolas prophetare solere. Vident enim sæpè aliquid per Parabolam, & deinde in eadem Visione Prophetica illius Parabolæ sensus eis explicatur. Nam quemadmodum cùm quis somniat, in somniis quibusdam somnianti videtur quasi vigilaret, somnium illud alteri enarraret, ejusque sensum & significationem ei exponeret, & tamen totum hoc merum somnium est, quod vocatur *Somnium in ipso somnio expositum*; quorundam verò somniorum sensus & significatio non percipitur, nisi posteaquàm quis expergefactus est: ita sunt quoque *primò* nonnullæ Parabolæ Propheticæ, quarum sensus in ipsa Visione explicatur, sicut ex Zachariæ exemplo liquet, qui posteaquàm Parabolas, quas vidit, recitasset, ait; *Reversus est autem Angelus, qui loquebatur mecum, & excitavit me tanquam Virum, qui excitatur a somno suo, dixitq; ad me, Quid vides? &c.* ac posteà Visionem ipsi exposuit. Idem etiam videtur ex Danjelis exemplo. Dicitur de eo, *Danjel somnium vidit, & Visiones capitis ejus super cubili ejus.* deinde Parabolas omnes exponit, gemitus item & suspiria sua, propter illarum interpretationis & expositionis ignorationem; quâ de caussâ se ad Angelum contulit, ac veritatem rei ex ipso quæsivit, qui etiam in eadem Visione Prophetica expositionem ipsi indicavit. Hoc sibi vult Propheta, cùm ait, *Accessi ad unum de adstantibus, & veritatem quæsivi ab eo super toto hoc, & dixit mihi, interpretationemq; somniorum indicavit mihi.* Totum autem illud negotium vocavit *Visionem*, quando inquit; *Somnium vidit*: quia Angelus ei somnium in somnio Prophetico exposuit. Hoc idem est, quod posteà quoque dicit: *Visio apparuit mihi ipsi Danjeli post eam, quæ apparuerat mihi in principio*; id quod ex hoc manifestum est, quia vocabulum *Chason* Visio, quâ Danjel utitur, derivatur à verbo *Chasah*, & *Mareh* à verbo *Raah*. Duo autem hæc verba unum idemque significant, nullaque est differentia, sive dicas *Bemareh*, sive *Bemachaseh* aut *Bechason*. Prætereà, non datur modus aliquis tertius præter illos, quos Lex in decantato illo loco recenset: *In Visione me notum faciam ei; In Somnio loquar cum eo*: sed sunt illorum distincti gradus, sicut declarabitur. Deinde, sunt quædam Parabolæ Propheticæ, quarum sensus non aperi-

Parabolæ quædam in ipsa Visione explicãtur.

Zach.4.1.

Dan.7.1.

Ibid.v.16.

Dan.8.1.

חזון & מראה *sunt synonyma.*

Num.12.6.

aperitur Prophetæ in Visione Prophetica; sed post expergefactionem demùm cognoscit, quis ipsorum sensus fuerit: sicut videre est in *Virgis illis* Zachariæ, quas accepit in Visione Prophetiæ.

Parabolæ quædam nō aperiuntur in Visione; sed postquàm Propheta expergefactus est.

Porro, quemadmodum Prophetæ vident quandoque res, quarum sensus est Parabolicus, ut sunt, *Lucerna* Zachariæ *Equi, Montes* & *Volumen* Ezechielis, *Muri* & *Perpendiculum* Amosi, *Bestia* Danjelis, *Olla bulliens* Jeremiæ, & *similes*, quarum mens & scopus est, statum & conditionem rei alicujus depingere & repræsentare; ita quoque vident nonnunquam res, quibus significatur id, quod nomen rei illius visæ, Etymologiæ suæ ratione, vel per homonymiam denotat, ac si facultatis Imaginatricis operatio esset ostendere rem homonymum nomen habentem, cujus una significatio rem aliam docet & significat. Hoc enim quoque est de speciebus Similitudinum & Parabolarum. Tale est illud in Jeremia, *Makkel schaked* Baculus amygdalinus. Non enim respicitur ibi ad amygdalas, sed ad homonymiam vocabuli *Schaked*, sicut dicit, *Quia* schoked *(vigilo) ego*; quod neque de Amygdalarum, neque de Baculi est significatione. Sic, quando Amos dicitur vidisse *Kelubh kajitz*, h.e. Canistrum æstivorum fructuum; respicitur ad perfectam & completam mensuram temporis, sicut dicitur *Bakertz* Venit finis. Hîc verò istud inprimis admiratione dignum est, quòd nonnunquam fit admonitio vel allusio in voce aliqua cujus litteræ sunt quoque litteræ alterius alicujus vocabuli, per transpositionem ordinis ipsorum, (h.e. *quòd aliquando in voce aliqua respiciatur ad vocem aliam, quam per transpositionem illius vocis litteræ cōstituunt*), etiamsi nulla sit inter illas originis & etymologiæ affinitas, vel rerum significatarum convenientia. Hujus rei exemplum invenies in Parabolis Zachariæ, quando accepisse dicitur *Baculos ad pascendum gregem*, in Visione Prophetiæ, quorum unum vocavit *Noam*, alterum *Chobelim*. Scopus enim hujus Parabolæ est, docere; Gentem illam ab initio fuisse *Benoam* in amœnitate DOMINI; DEUM illam duxisse, rexisse, gubernâsse; ipsam in cultu DEI lætatam esse; DEUM in ea complacuisse, eamque dilexisse, sicut ait; *DOMINUM † exaltâsti hodiè*, &c. *DOMINUS quoq; * exaltavit te hodiè, quòd sis ei in populū peculiarem.* Ductores autem & Rectores ejus illo tempore erant Moses, & Prophetæ, qui eum sequuti sunt. Posteà verò statu & conditione ejus se immutante, ita ut amorem DEI rejecerit, DEUM quoque rejecisse illam, ideoque nomen Rectorum & Gubernatorum ejus ponit *Chobelim* Corrumpentes, quales fuerunt Jeroboam & Manasses. Nomen hoc *Chobelim* derivatur à radice *Chabal*, quæ

Zach. 11. 7.

Parabolæ quædam sunt, in quibus respicitur ad nominis rei visæ significationem.

Jerem. 1. 11.

Amos 8. 2.

Parabolarum quarūdam sensus consistit in vocabul. aliquo per transpositionem litterarum.

Zach. 11. 7.

Deut. 26. 17. 18.

† vel *spondére fecisti.*

* *spondére fecit te.*

Cantic.2.15. significat *Corrumpere, Perdere*: ut in illo; *Mechabbelim* Corrumpentes vineas. Sed præter hoc vult quoque docere voce hac *Chobelim*, quòd Legem ipsi fastidiverint, & quòd DEUS vicissim illos fastidierit & aspernatus fuerit. Hic autem sensus non dependet à *Chobelim* sive à *Chabal*, sed à *Bachal*, per transpositionem trium harum litterarum,
Zach.11.8. *Beth, Cheth,* & *Lamed.* Hinc enim dicit in parabola; *Affligiturq́; anima mea propter eos, etiam anima ipsorum* bachalah *fastidivit me.* Nam ex *Chabal* per transpositionem litterarum fit *Bachal.* Atque hoc pacto non raró res magni momenti & secretæ proponuntur; ut, cùm in
Ezech.cap.1. Visione Ezechielis dicitur, *Nechoscheth kalal* Aes tersum, *Veregel egel* Et pes vituli, *Vechaschmal* Et pruna ignita. Et sic passim alibi ad multa talia facilis tibi nunc patebit aditus, si diligenter indagaveris ea, post meam hancce admonitionem.

CAP. XLIV.

De variis modis, quibus Prophetæ percipiunt Prophetias. De Vocis item vel Sermonis, quem audiunt, qualitate.

PROPHETIAM fieri vel per Somnium, vel per Visionem, ad nauseam usque jam inculcavi, unde in posterum nolo id repetere.

Propheta vel vident Parabolam: Nunc dico; cùm Propheta prophetat, fieri posse, ut videat Parabolam, sicuti aliquoties declaravimus; Vel, ut videat DEUM Opt.
Vel Deum secũ loquentem: Max., in Visione Prophetiæ loquentem secum, sicut Jesajas dicit; *Et audivi vocem dicentem, quem mittam, & quis ibit nobis?* Vel, ut audiat
Jesa.6.8. Angelum secum loquentem, eumq́ue videat, & hoc creberrimè;
Vel Angelum: ut, *Et dixit ad me, An non nôsti, quid hæc sint?* Item; *Dixit ad me Angelus,*
Ezech.17.12. *qui loquebatur mecum.* Item; *Et audivi unum Sanctum loquentem*, &c.
Zach.1.14.
Dan.8.13. Vel, ut videat Hominem aliquem loquentem secum, sicut Ezechiel
Vel Hominem: ait; *Et ecce Vir, cujus aspectus erat tanquam aspectus æris*, &c. *Et alloquutus*
Ezech.40.3.4. v.1 *est me Vir ille*, &c. posteaquàm sermonem illum ita inchoavit; *Fuit*
Vel audiũt tantùm verba, & nihil vident. *super me manus DOMINI.* Vel, ut Propheta nihil quicquam videat, sed verba tantùm audiat in Visione Prophetiæ. Sic ait Danjel: *Audivi etiam vocem hominis inter Ulaj.* Item Eliphas; *Silentium & vocem au-*
Dan.8.16.
Job.4.16. *divi.* Sic ait Ezechiel; *Et audivi vocem loquentem ad me*: illud enim,
Ezech.2.1. quod apprehendit in Visione Prophetiæ, non fuit id, quod loquebatur cum ipso; sed separat rem illam admirandam & extraordinariam,

riam, quam se apprehendisse asserit, & incipit à ratione & forma Prophetiæ, dum dicit; *Et audivi vocem loquentem ad me.*

Præmissâ ergo hac distinctione, quam Scripturæ Sacræ testimonia nobis suppeditant, dico ulteriùs; Quòd nonnunquam fiat, ut verbum illud, quod Propheta audit in Visione Prophetiæ, ei videatur fieri voce gravissimâ & robustissimâ; sicut quidam somniant, se audire tonitrua, vel terræ motum, aut fragorem magnum, (non rarò enim accidit hoc in somniis); nonnunquam verò, ut verbum illud audiat voce ordinariâ & familiari, ac si prope ipsum esset. Manifestum evadit tibi hoc ex historia Samuelis Prophetæ. Nam cùm DEUS tribus continuè vicibus ipsum vocaret, existimavit, Eli sacerdotem se appellare. Caussam deinde hujus rei Scriptura reddit hanc, quòd ignorârit adhuc tùm temporis, DEUM hoc modo cum Prophetis loqui solere, & quòd hoc mysterium ipsi nondum fuerit revelatum. Hoc enim est, quod dicitur; *Samuel nec-dum cognoscebat DOMINUM, & nondum revelatus fuerat ei sermo DOMINI:* nam perinde est, ac si diceret, illum nescivisse, neque cognovisse adhuc, quòd DEUS ita loqui soleret. Vel sensus (horum verborum sc., *Samuel autem nondum cognoscebat DOMINUM,*) est; Samuelem ante illud tempus nullam habuisse Prophetiam: nam de eo, qui prophetat, dicitur; *In Visione me...um faciam ei, in Somnio loquar cum eo.* Verùm ita expositio hûc redibit, & hæc erit; *Et Samuel non prophetavit ante illud tempus, & per consequens ignorabat, quòd talis esset forma Prophetiæ.*

Audiüt Prophetæ verba quandoque gravissimâ & terribili, quandoque familiari voce.

1.Sam.3.7.

CAP. XLV.
De undecim distinctis Prophetiæ Gradibus.

POSTEAQUAM igitur hactenus Veritatem Prophetiæ juxta id, quòd tàm ex ratione & speculatione, quàm ex Lege nostra de ea colligere possumus, declaravi, necessarium nunc est, ut *Gradus Prophetiæ* juxta duo illa fundamenta tibi recenseam.

De Gradibus Prophetiæ.

Non omnis autem, qui est in aliquo Graduum illorum Propheticorum, quos sic appello, ideò quoque *Propheta* est. Verùm primus & secundus sunt Gradus *ad Prophetiam,* unde ii, qui ad duos illos gradus pervenerunt, non numerantur inter Prophetas illos, de quibus egimus hactenus, licèt aliquando generaliter & latè *Prophetæ* nuncupentur; eò quòd propinqui admodùm sint Prophetis.

Prætereà, non debet te seducere in istis Gradibus, quòd in libris

Prophetarum invenis, Prophetæ alicui interdum obtigisse Prophetiam ex uno modo istorum graduum; & deinde, quòd eidem Prophetæ obtigerit Prophetia ex modo alio, & alio in gradu. Nam quod illos gradus attinet, fieri potest, ut una Prophetia Prophetæ offeratur in gradu hoc, & alio tempore Prophetia alia in gradu inferiori, quàm erat prior. Quemadmodum enim Propheta non prophetat continuè toto vitæ suæ tempore; sed aliquando Prophetiæ donum habet, aliquando verò Prophetia ab eo aufertur: sic prophetat aliquando in gradu supremo & excellentissimo, posteà in gradu inferiore; quin-imò fieri potest, ut semel tantùm per totam vitam perveniat ad summum illum gradum, & posteà ipsi denegetur: vel fieri potest, ut in gradu inferiore permaneat, donec Prophetia ejus cessat.

Prophetia ante mortem Prophetarum ab ipsis aufertur.

Necessariò enim aufertur Prophetia ab omnibus reliquis Prophetis (*excepto Mose*) ante mortem ipsorum; idque vel brevì, vel diù, sicuti patet exemplo Jeremiæ, de quo dicitur; *Ad finiendum: vel, Quo finiebatur Verbum DOMINI in ore Jeremiæ:* & Davidis, de quo legimus; *Et ista sunt verba Davidis postrema.* Idem enim judicium est de omnibus.

2.Chron.36.22.
2.Sam.23.1.

His itaque sic præmissis, incipiam nunc tibi gradus istos recensere & enumerare.

Primus gradus Prophetiæ.

Primus gradus Prophetiæ est, cùm quis auxilio Divino ita instructus est & pr ditus, ut eo moveatur & animetur, ad magnum & heroicum aliquod facinus perpetrandum, (ut, verbi gratiâ, ad Ecclesiam totam vel insignem aliquem Hominem à vi & tyrannide improborum liberandum; vel ad multis hominibus benefaciédum), illumq; motum in se sentit & animadvertit. Hoc donum vocatur *Spiritus DOMINI:* & de Homine virtute illâ prædito dicitur, quòd *in illum irruerit Spiritus DOMINI* vel, *Induerit eum Spiritus DOMINI:* aut, *Quiescat super ipsum Spiritus DOMINI:* aut, *Fuit cum ipso DOMINUS:* & similia alia. Et hic est Gradus *Judicum Israëlis* omnium, de quibus in genere dicitur; *Quùm autem suscitâsset DOMINUS eis Judices, erat DOMINUS cum Judice, & servabat eos.* Est hic gradus etiam præstantissimorum *Consiliariorum Israëlis* omnium, sicuti id speciatim in Regibus & Judicibus quibusdam declaratur: ut. *Et fuit super Jephtachum Spiritus DOMINI.* Sic de Samsone: *Et irruit in eum Spiritus DOMINI.* De Saule. *Et irruit Spiritus DEI in Saulem, cùm audiret verba.* Ita de *Amasa*, cùm incitâsset eum Spiritus Sanctus ad suppetias Davidi ferendas; *Et Spiritus induit Amasam,* &c. Hac virtute quoque prædītus fuit *Moses* inde ab eo tempore, quo virilem ætatem assequutus est.

Spiritus Domini quid?
1.Sam.10.6.
Judic.6.34.
Jesa.11.2.
Est Gradus Prophetiæ Judicum Israëlis.
Judic.2.18.
Judic.11.29.
Judic.14.19.
1.Sam.11.6.
1.Chron.12.18.

Ideoque

Ideoque illius vi impulsus fuit, ut Ægyptium interficeret, & duorum illorum litigantium alterum, injustam caussam habentem, reprimeret. Hæc virtus adeò fortis & robusta fuit in ipso, ut eo quoq; tempore, cùm timeret, & fugâ sibi consuleret, atque ut peregrinus & exul in terra Midjam habitaret, tamen iniquitatem aliquam committi videns, ab ea vindicanda & amovenda temperare sibi non potuerit, eamque ferre nequiverit, sicut dicitur; *Tùm surrexit Moses, & servavit eas.* Hæc virtus exseruit se in *Davide*, posteaquàm oleo unctionis unctus fuit, sicut Scriptura de ipso ait; *Et Spiritus* DOMINI *irruit in Davidem à die illa & deinceps.* Propterea prævalebat urso & leoni, & tandem etiam Philisthæo. Veruntamen horum nullum induxit virtus ista ad aliquid Loquendum vel Dicendum; sed excitat tantùm eos, qui illâ præditi sunt, ad insigne & nobile aliquod factum, & quidem non quodvis, verùm in specie ad oppressos, sive unum aliquem particulariter, sive totum aliquem cœtum & Ecclesiam, juvandos, vel faciendum aliquid, quod ad illorum liberationem conducit & prodest. Quemadmodum verò non omnis, qui somnium verum videt, Propheta est; ita non de omni, qui peculiari auxilio instructus est ad quamlibet promiscuè rem, ut acquisitionem divitiarum, aut ad aliud quid sibi solùm proprium & conducens, (h.e. *ad aliud aliquod privatum commodum*), dicitur, *quòd habeat Spiritum* DOMINI; aut, *quòd Spiritus* DOMINI *sit cum ipso*; &, *quòd fecerit id, quod fecit, per Spiritum Sanctum*: sed dicitur hoc tantùm de eo, qui magnum aliquod Bonum fecit, aut tale quid, unde id provénit, ut fuit Prosperitas Josephi in domo Ægyptii, quæ fuit prima caussa rerum magnarum, quæ posteà evenerunt, sicut notum est.

Mosis virtus heroica unde. Exod. 2.17. *Davidis.* 1.Sam.16.13. 1.Sam.17.34.

Secundus gradus est, cùm Homo in se sentit rem vel facultatem quampiam exoriri & super se quiescere, quæ eum impellit ad loquendum; ita ut loquatur vel de scientiis & artibus, vel Psalmos & Hymnos, vel utilia ac salutaria rectè vivendi præcepta, vel res politicas & civiles, vel denique Divinas; & quidem inter vigilandum, & in vigore sensuum ordinario. Et hic est, de quo dicitur, *quòd loquatur per Spiritum Sanctum.* Hac specie Spiritûs Sancti instinctus, Psalmos suos scripsit *David*; Proverbia, Ecclesiasten & Canticum Canticorum, *Salomon.* Hoc afflatu scripti sunt Danielis, Jobi, & Chronicorum Libri, & reliqua Hagiographa, unde etiam *Kethubbhim* h.e. *Hagiographa* appellantur, quia *Kethubbhim* h.e. scripta sunt per Spiritum Sanctum. De libello *Esther* palàm dicunt Sapientes nostri; *Libellus Esther per Spiritum Sanctum dictatus est.* De ejusmodi Spiritu

Secundus gradus Prophetiæ. *Hagiographa cur* כתובים Kethubbhim. *Libellus Esther per Spiritum S. scriptus.*

2.Sam.23.2. Sancto dixit David; *Spiritus DOMINI loquutus est per me, & sermo ejus per linguam meam:* vult enim dicere, Spiritum Sanctum impulisse eum ad verba illa loquenda. Ex hoc censu fuerunt *Septuaginta Se-*
Num.11.25. *niores*, de quibus dicitur; *Fuit autem requiescente in eis Spiritu, prophetârunt, & non addiderunt.* Tales fuerunt *Eldad & Medad.* Tales fuerunt *Sacerdotes illi omnes, qui interrogabantur per Urim & Thummim*, sicut Sapientes nostri dicunt; *Majestas Divina habitat super eum, & loquitur per Spiritum Sanctum.* Talis fuit *Jechezjel filius Zachariæ*, de quo in li-
2.Chron.20. 14.15. bro Chronicorum legimus; *Fuit super eum Spiritus DOMINI in medio cœtûs, & ait: Attendite omnis Jehudah, & habitatores Jerusalem, sic dixit DOMINUS vobis, &c.* Talis fuit *Zacharias filius Jehojadæ sacerdotis*, de
2.Chron.10. 14. quo ita scriptum legimus; *Spiritus autem DEI induit Zachariam filium Jehojadæ sacerdotis, & stetit desuper Populum, ac dixit eis, Sic dixit DEUS,*
2.Chron.15. 1.2. *&c.* Talis fuit *Asarias filius Iddo*, sicut dicitur; *Super Asariam autem filium Obed fuit Spiritus DEI, qui egressus ante Asa, dixit ei, &c.* Et tales fuerunt omnes ii, de quibus simile quid legitur. Scito etiam, *Bileamum* eo tempore, quo pius & bonus fuit, ex hoc genere fuisse. Hinc enim

Bileam qualis Propheta fuerit.

Num.23.5. dicitur de eo; *Posuit autem DOMINUS Verbum in ore Bileami:* nam perinde est ac si diceret, Illum per Spiritum DEI loquuturum. In
Num.24.4. hunc sensum ipsemet de se dicit; *Dixit audiens eloquia DEI.* Sed hoc inprimis notatu dignum hîc est, quòd *David, Salomon, & Danjel* ad istud genus referantur, non verò ad Jesajæ, Jeremiæ, Nathanis, Achijæ Schilonitæ, & aliorum similium. Nam quæcunque David, Salomon & Danjel dixerunt, à Spiritu Sancto acti dixerunt & loquuti sunt. Quod verò ait David; *Dixit DEUS Israëlis mihi, loquutus*

Cur David, Salomon & Danjel nõ inter Prophetas reliquos, sed inter Hagiographos numerentur?

2.Sam.23.3. *est Fortis Israëlis:* ejus sensus est, quòd DEUS ipsi per Nathanem, vel alium aliquem, bonum quippiam promiserit; sicut ibi: *Et dixit Do-*
1.Reg.11.11. *MINUS ad eam.* Item; *Dixit itaque DOMINUS ad Salomonem: propterea quòd fuit hoc apud te, nec custodivisti pactum meum*, &c. Hîc enim comminatur ei malum per Achijam Schilonitam, vel alium quempiam. Sic, quod dicitur de Salomone, *In Gibeon visus est DOMINUS*
1.Reg.3.5. *ipsi Salomoni, in somnio noctis, & dixit DEUS*, &c. id non fuit mera &
Gen.15.1. pura Prophetia, sicut illud, ubi dicitur; *Fuit Verbum DOMINI ad*
Ibid.46.22. *Abrahamum in Visione, dicendo:* aut sicut ibi; *Et dixit DEUS ad Israëlem in Visionibus noctis:* aut sicut Prophetia Jesajæ & Jeremiæ. Nam etsi cuilibet istorum quoque oblata fuerit Prophetia in Somnio Prophetiæ, tamen simul indicatum fuit illis, quòd sit Prophetia, & quòd Prophetia illis obvenerit. Sed in hoc negotio Salomonis, & quidem
1.Reg.3.15. in fine ejus, dicitur; *Quumq; evigilâsset, & en Somnium!* Sic in apparitione

tione secunda; *Apparuit* D O M I N U S *ipsi Salomoni secundò, sicut apparuit* Ibid.2.9.
ei in Gibeon: de qua manifestè liquet, quòd non nisi Somnium fuerit. Hic autem gradus inferior est eo, de quo dicitur; *In somnio loquar cum* Num.12.6.
ipso. Nam qui prophetant in Somnio, non vocant illud ampliùs Somnium, postquàm Prophetia pervenit ad eos in Somnio; sed simpliciter dicunt, quòd Prophetia fuerit. Ita postquàm Patriarcha Jacob expergefactus fuit ex Somnio Prophetiæ, non dixit, quòd fuerit Somnium, sed rotundè ait; *Certè* D O M I N U S *est in loco isto, &c.* Gen.28.16.
Item; D E U S *omnipotens apparuit mihi in Luz, in terra Canaan,* & defi- Ibid.48.3.
nitivè pronuntiat, quòd fuerit Prophetia. Sed de Salomone dicitur, *Cumq; evigilasset, & ecce Somnium!* Sic invenies, quòd Danjel, licèt 1.Reg.3.15.
in Somniis suis viderit Angelum, ejusque Verbum audiverit, Somnia tamen illa appellet, etiam postquàm per ea cognovit, quæ cognovit: ut, *Tùm Danjeli in Visione noctis secretum revelatum est.* Item, Dan.2.19.
Tùm scripsit Somnium. Item, *Videbam in Visione mea in nocte, &c.* Item, Ibid.7.1.
Et Visiones capitis mei tenuerunt me. Item, *Et obstupuit super Visione, & non* Ibid.v.2. Ibid.v.15.
erat qui intelligeret. Nullum autem iterum est dubium, quin iste gra- Ibid.8.27.
dus sit inferior eo, de quo dicitur; *In Somnio loquar cum eo.* Hinc una- Num.12.6.
nimi consensu retulit Gens nostra Librum Danjelis inter libros Hagiographos, non verò inter Prophetas. Ideò monui te, quòd licèt in ista Prophetiæ specie, quæ cōtigit Danjeli & Salomoni, Angelum viderint, tamen non invenerint & deprehenderint in sese, quòd Prophetia pura sit, sed Somnium tantùm, veritatem rerum aliquarum ipsis notam faciens. Proinde etiam pertinet ad eos, qui loquuntur per Spiritum Sanctum, ad secundam videlicet Prophetiæ speciem. Hinc in ordinandis Scripturis Sanctis nullam differentiam fecerunt inter Proverbia, Ecclesiasten, Danjelem, Psalmos, Ruth, & Estherem, quia omnes isti libri per Spiritum Sanctum scripti sunt; generaliter tamen etiam *Propheta* vocantur.

Danjelis Liber cur relatus sit inter Hagiographos?

Tertius gradus, qui est primus Prophetiæ veræ, est eorum, qui dicunt; *Et fuit Verbum* D O M I N I *ad me,* vel simile quid, quod hûc tendit. Consistit autem in hoc, cùm Propheta videt parabolam in Somnio, & cum omnibus illis conditionibus, quas præmisimus, quæ in vera Prophetia requiruntur: & cùm in illo ipso Somnio Prophetico sensus parabolæ illius ei declaratur, quid nempe per illam significetur. Tales sunt Parabolæ Zachariæ.

Tertius gradus Prophetiæ.

Quartus gradus est, cùm Propheta verbū aliquod clarè & distinctè audit in Somnio Prophetię, sed non videt Loquētem illud; quemadmodū accidit Samueli in principio Prophetię ejus, sicut exposuimus.

Quartus gradus.

Quintus

Quintus gradus. *Quintus gradus* est, quando Vir aliquis in Somnio loquitur cum Propheta, sicut in quibusdam Prophetiis Ezechielis dicitur; *Et loquutus est ad me Vir, Fili hominis.*
Ezech.40.4.

Sextus gradus. *Sextus gradus* est, quando Angelus cum ipso loquitur in Somnio, quod frequentissimum est: ut, cùm dicitur; *Et dixit ad me Angelus* DEI *in Somnio.*
Gen.31.1.

Septimus gradus. *Septimus gradus* est, cùm Propheta existimat, DEUM secum loqui in Somnio Prophetiæ: ut Jesajas, inquiens; *Vidi* DOMINUM. Item, *Et vidi* DOMINUM, *& dixit, Quem mittam? & quis ibit nobis?* Item, Michajahu, filius Jimla, *Vidi* DOMINUM.
Jesa.6.1. Ibid.v.8. 1.Reg.22.19.

Octavus gradus. *Octavus gradus* est, cùm offertur ipsi Visio in Visione Prophetica, & cùm Parabolas videt; sicut Abrahamo factum est in Visione segmentorum. Parabolæ enim illæ contigerunt interdiu in Visione, sicut notum est.
Gen.15.

Nonus gradus. *Nonus gradus* est, quando audit verba in Visione; sicut de Abrahamo legimus: *Et ecce Verbum* DOMINI *erat ad ipsum; Non hæreditabit te iste.*
Ibid.v.4.

Decimus gradus. *Decimus gradus* est, quando videt Virum secum loquentem in Visione Prophetiæ: sicut iterum Abraham in quercubus Mamre; & sicut Josua in Jericho.
Gen.18. Jos.5.13.

Undecimus gradus. *Undecimus gradus*, quando videt Angelum loquentem secum in Visione; ut Abraham in ligatione Isaaci. Atque hic gradus, meo judicio, supremus est inter gradus Prophetarum, de quibus nos docent Scripturæ Sacræ, post ea, quæ dicta sunt de perfectione Rationalitatis Viri, sicut requirit speculatio, & post conditiones illas, quæ fuerunt in Mose Doctore nostro p.m. Sed an fieri possit, ut Propheta aliquis alius præter Mosen in Visione Prophetiæ videat, ac si DEUS ei loqueretur? id absurdum est, meo judicio; neque eò pertingere mihi videtur facultas Imaginatrix. In reliquis etiam Prophetis *(excepto Mose)* nullibi id reperimus. Ideò clarè & perspicuè hac de re ait Lex; *In Visione me notum faciam ei, in Somnio loquar cum eo:* ubi Somnio attribuit Loquutionem vel Sermonem; Visioni verò conjunctionem Intellectûs & Influentiam ejus, dum ait; *In Visione* etvadda *notum me faciam*, vel, *notus fiam ei*; (est enim *Etvadda* Futurum Hithpahel à verbo *Jada* Scivit, Cognovit:) nequaquam autem dicit, quòd in Visione aliquid auditurus sit à DEO. Propterea, quando inveni, quòd Scripturæ dicant de Verbo aliquo, quòd Propheta illud à DEO audiverit, & quòd in Visione factum fuerit, dixi apud me: Vel dicendum est, quòd Verbum illud, quod audivit, in Somnio factum fuerit,
Gen.22. Num.12.6.

&

& nequaquam congruat, ut tale quid accidat in Visione, ita sc., ut Creator alicui ostendat, ac si ipse cum eo loqueretur; id quod convenit cum eo, quod ex sensu litterali Scripturæ discimus. Vel dici potest, quòd omnis Visio, in qua mentio fit Sermonis alicujus audiri, ab initio sit Visio, sed posteà tàm profunda fiat, ut in Somnium convertatur; quemadmodum explicuimus in dicto illo, *Et sopor irruit in Abrahamum:* ad quod Sapientes nostri dicunt; *Hic est sopor Prophetiæ.* Gen.15.12.
Proinde omnis sermo, qui auditur, quocunque etiam modo id fiat, in Somnio auditur, sicut ait Scriptura; *In Somnio loquar cum eo.* In Visione verò Prophetiæ nihil apprehenditur, nisi Similitudines & Apprehensiones Intellectuales, propter quas pertingunt *(Homines)* ad scientias & disciplinas, quantum quidem per speculationem fieri potest, sicut exposuimus. Et hoc est, quod Scriptura sibi vult, dum ait; *In Visione me notum faciam*; vel, *notus fiam ei.*

Juxta hanc ergo ultimam expositionem octo tantùm erunt Prophetiæ gradus, *(nam si falsum sit, in Visione audiri sermonem, concident tres ultimi gradus)*, & eorum supremus ac perfectissimus erit, cùm quis prophetat generaliter in Visione, etiamsi Vir tantùm cum eo loquatur, (h.e. *cùm generaliter in Visione Prophetia alicui offertur).*

Verùm objicies mihi fortè hoc loco, & dices: Inter gradus Prophetiæ numerâsti & hunc, quòd Propheta quandoq; audiat DEUM secum loquentem, ut Jesajas & Michæas. Istud verò quomodo quadrat, cùm fundamentum nostrum sit, omnes Prophetas audire sermonem mediante Angelo, præter unicum Mosen, de quo dicitur; *Ore ad os loquar cum eo?* Num.12.8.

Respondeo; omninò ita se rem habere, & quòd medium illud fuerit facultas Imaginatrix, quâ audiverunt, quòd DEUS loquatur cum ipsis in Somnio Prophetiæ. Moses verò audivit ex Propitiatorio inter duos Cherubinos, sine ministerio facultatis Imaginatricis. Verùm in Commentariis nostris Talmudicis jam exposuimus differentias Prophetiæ illius, & sensum dicti istius, *Ore ad os loquar cum eo, sicut loquitur Vir cum socio suo, &c.* Tu, si placet, inde pete. Non enim opus est, ut, quæ semel dicta sunt, repetantur.

CAP. XLVI.

Quòd Opera ea, quæ Prophetæ dicunt se fecisse, non fuerint facta reverà & externè, sed tantùm in Visione Prophetiæ.

EX unico Individuo & singulari sumitur probatio ad omnia illius speciei Individua, & cognoscitur, quòd eadem sit ratio reliquorum. Et intentio mea in hoc capite est, quòd ex ratione & formâ unius narrationis Propheticæ, demonstratio sit petenda de reliquis similibus narrationibus omnibus.

Scias ergo, quemadmodum in Somnio accidit, ut Homini videatur, ac si in hanc vel illã Regionem profectus esset, uxorem in ea duxisset, ac ad tempus aliquod ibi habitâsset, filium, quem N. appellârit, & qui talis aut talis fuerit, ex ea suscepisset; ita se quoque rem habere in illis parabolis Prophetarum, quas vident aut faciunt in Visione Prophetiæ. Quicquid enim docent Parabolæ illæ de actione aliquâ & rebus, quas Propheta facit, de mensura & spatio temporis inter unam & alteram actionem, de profectione ex uno loco in alium; illud omne non est nisi in Visione Prophetica, nequaquam verò sunt Actiones veræ & in sensus incurrentes, licèt quædam partes præcisè & absolutè commemorentur in Libris Prophetarum. Quia enim notum est, totum factum esse in Visione Prophetiæ, non opus fuit in commemoratione cujuslibet partis Parabolæ repetere, quòd sit in Visione Prophetiæ, sicut Propheta ait; *Et dixit* DOMINUS *ad me:* neque etiam necesse fuit explicare, quòd fuerit in Somnio. Vulgus autem Hominum existimat, quòd actiones, profectiones, quæstiones & responsiones istæ omnes in Apprehensione sensuum factæ fuerint, non verò in Visione Prophetiæ. Itaque proposui mihi rem hanc explicare, & talia adducere, de quibus nemo Hominum dubitare potest, illisque exempla quædam adjicere, ex quibus judicare queas de aliis, quæ non sum adducturus.

Actiones & opera Prophetarum omnia, quæ recensent, facta sunt in Visione Prophetiæ.

Ex illis, quæ manifesta & extra omnem dubitationis aleam posita sunt, sunt verba Ezechielis; *Ego sedebam in domo mea, & seniores Jehudah sedebant coram me,* &c. *Et elevavit me Spiritus inter Cœlum & Terram, & adduxit me Hierosolymam in Visionibus* DEI. Ita quòd dicit, *Et egressus sum in campum,* in Visione Prophetiæ accidit; sicuti de Abrahamo dicitur, *Et eduxit eum foràs, & dixit*; fuit autem hoc *in Visione.*

Ezech. 8. 1. Ezech. 3. 23. Gen. 15. 5. v. 1.

Sic

Sic quod ait Ezechiel, *Et collocavit me in medio campi*; utique factum est in Visionibus DEI. Prætereà commemorat Propheta in Visione illâ, quâ Hierosolymam translatus fuit, quippiam, his verbis; *Et ecce foramen unum erat in pariete. Et dixit ad me, Fili hominis, fode nunc in pariete: & fodi in pariete, & ecce ostium unum*, &c. quod sine dubio in Visione quoque factum est. Quemadmodum autem vidit in Visionibus, quòd jussus fuerit fodere in pariete, ut intrare & videre posset, quid intùs faciant, quòd foderit, (sicut dicitur, *in Visionibus DEI*,) per foramen ingressus fuerit, & viderit id, quod vidit; (omnia enim hęc in Visione Prophetiæ facta sunt): ita quoque id, quod dictum est ad eum; *Et tu sume tibi laterem*, &c. *Et tu dormi super latus tuum sinistrum*, &c. *Et tu cape tibi triticum & hordeum*: quod item alibi ei dictum legitur, *Novaculam hanc tonsoriam cape tibi, & transire fac super caput tuum, & super barbam tuam*; ita, inquam, ista omnia in Visione Prophetiæ facta sunt; ac vidit, vel visum fuit ipsi, se ista opera facere, quę ipsi præcipiebantur. Absit enim, ut DEUS Prophetas suos stultis vel ebriis similes reddat, eosque stultorum aut furiosorum actiones facere jubeat; præterquàm quòd præceptum illud ultimum Legi repugnâsset! Fuit autem Ezechiel Sacerdos magnus, & propterea ad duo illa præcepta negativa, de non radendo angulo capitis & angulo barbæ, obligatus. Proinde non nisi in Visione Prophetiæ factum fuit. Idem judicium est de eo, quod dicitur; *Quemadmodum ambulavit servus meus Jesajas nudus & discalceatus*: utique enim in Visionibus DEI & hoc factum est. Qui verò minùs firmo judicio sunt prædìti, illi hæc omnia ita intelligunt, ac si Propheta narraret, quid sibi injunctum fuerit, & quid reverà fecerit. Ita narrat Propheta, se jussum fuisse fodere in pariete, & dicit se fodisse, *Et fodi*, inquit, *in pariete*; cùm tamen esset in Babylonia! Sed declaravit, quòd istud acciderit *in Visionibus DEI*. Et sicut quod de Abrahamo legitur, *Fuit Verbum DOMINI ad Abrahamum in Visione, dicendo*: & in illa Visione dicitur, *Et eduxit illum foràs, & dixit; Suspice nunc Cœlum, & numera Stellas*: sicut, inquam, clarum & evidens est, quòd in Visione Prophetiæ factum fuerit, quòd viderit, ac si educeretur è loco, in quo fuit, ut videre posset Cœlum, & quòd posteà dictum fuerit ei, *Numera Stellas*: ita dico de eo, quod Jeremiæ injunctum & in mandatis datum fuit, *Ut abscondat cingulum in Euphrate, & quòd eum absconderit, deinde elapso longo tempore iterum quæsitum illud verit & corruptum ac putrefactum invenerit*: ita, inquam, ajo, hęc omnia in Visione Prophetiæ facta fuisse, neq; Jeremiam è Terra Israëlis in Babyloniam exivisse,

Ezech.37.1. Ezech.8.7.8.9. Ibid.v.3. Ezech.4.v.1. v.4. v.9. Ezech.5.1. Jesa.20.3. Genes.15.1. Jerem.13.4.5.6.

Hos. 1. 2. aut Euphratem vidisse. Ita quod dictũ fuit Hoseæ, *Vade, accipe tibi uxorem fornicationum, & filios fornicationũ*; totum item illud, quod de generatione sive partu Liberorum & illorũ appellationibus ibi dicitur, factum est in Visione Prophetiæ. Nam posteaquàm de istis explicatur, quòd sint Parabolæ, nullus remanet dubitandi vel dicendi locus, quòd existentiam veram habeant, sed sicut dicitur; *Eritq; vobis*
Jesa. 29. 11. *Visio omnium verborum Prophetarum, sicut verba Epistolæ obsignatæ*, &c.
Judic. 6. Ita videtur mihi, quòd factum Gedeonis cum Vellere in Visione contigerit, sed non in vera & mera Visione Prophetiæ; Gedeon enim non pervenit ad gradum Prophetarum, multò minùs ad gradum Miraculorum: & summa ejus perfectio fuit, quòd apprehendit sicuti Judices Israëlis. Unde Sapientes nostri eum constituerunt *inter Homines leviores*, vel *viliores*, sicut exposuimus. Totum proinde contigit in Somnio, quale fuit Somnium Labanis & Abimelechi.
Zach. 11. 12. 13. Ita, quod ait Zacharias, *Pascam oves illas occisionis*, &c. usque ad finem illius narrationis, ubi postulâsse dicitur mercedem, illam accepisse, & in domum DOMINI ad thesaurarios projecisse; omnia, inquam, ista vidit in Visione Prophetiæ. Nam & mandatum, quod accepit, & factum, quod fecisse dicitur, in Visione Prophetiæ, vel in Somnio Prophetiæ acciderunt. Atque hæc res extra omnem est controversiam, quam nemo ignorat, nisi fortè, qui nescit discernere inter possibilia & impossibilia, sed illa confundit. Ex iis autem, quæ adduxi, judicare potes de illis, quæ sicco pede præterivi. Omnia enim sunt ejusdem speciei & formæ, omnia sunt *Visio* tantùm *Prophetica*. Quæcunq; autem in ejusmodi Visione dicuntur; ut, Quempiam aliquid fecisse, audivisse, exivisse, introiisse, dixisse, compellatum esse, stetisse, sedisse, adscendisse, descendisse, ivisse, interrogâsse, interrogatum esse; illa omnia sunt intelligenda *in Visione Prophetiæ*. Et licèt prolixè nonnunquam res illæ recitentur, & circumstantiæ temporis, loci, personarum, indicentur; tamen postquàm intelligis, quòd opus illud sit Parabola, certò persuasus esto, quòd acciderit in Visione Prophetiæ.

CAP. XLVII.

De Hyperbolis & Metaphoris, quæ in Prophetis occurrunt.

HACTENUS sufficienter tibi demonstratum & declaratum est, magnam Prophetiarum Prophetarum partem factam esse in

in Parabolis: nunc itaque paucis quoque tibi exponendæ sunt *Metaphora, Hyperbola,* & *Excessus.*

Sunt enim quædam in Scriptis Prophetarum, quæ, si juxta sensum litteralem accipiantur, & non intelligatur, quòd *Hyperbole* aliqua in eis sit, aut si sumantur, ut verba sonant secundùm primam suam significationem, & non observetur, quòd sint *Metaphorica*, res gignent absurdissimas. Hinc est, quòd vulgo dicunt Sapientes nostri, *Loquitur Lex nonnunquam hyperbolicè.* Dicti autem illius probationem petiverunt ex eo, quod dicitur, *Civitates magnæ & munitæ in Cœlum:* id quod verissimum est. Ex numero autem loquutionum hyperbolicarum sunt quoque ista: *Aves Cœli deferent vocem. Cujus altitudo erat sicut altitudo cedrorum.* Atque istiusmodi res, quæ hyperbolicè & superlativè, nequaquam verò definitivè & propriè dictæ sunt, quàm-plurimæ reperiuntur apud Prophetas. Ad illas verò nequaquam referendum & trahendum, quod in Lege de Ogo scribitur; *Arso eres barsel*, h.e. *Sponda* vel *Lectus ejus lectus ferreus*, &c. *Eres* enim idem est quod *Mittah* Lectus; ut in illo, *Etiam* arsenu *Sponda nostra*, vel *Lectus noster virens.* Nullius quippe Hominis lectus æqualis est staturæ ejus. Nam Lectus non est sicut vestimentum, sed Lectus semper major est Viro, qui in eo dormit: & secundùm communem quidem consuetudinem solet Lectus tertiâ parte longior esse Viro, qui in eo dormit. Unde, si longitudo spondæ ejus fuit novem cubitorum, fuerit longitudo Viri, qui dormivit in ea, secundùm communem lectorum proportionem sex cubitorum plus-minùs. Præterea, quòd ibi dicitur, *Ad cubitum Viri*, ejus sensus est, *Ad cubitum alterius communis staturæ Viri*, non verò ad cubitum Ogi. Nam omnes reliqui Homines eandem ferè habent membrorum proportionem. Dicitur itaque, quòd statura Ogi duplo major fuerit, aut paullò minus staturâ reliquorum Hominum; id quod quidem rarissimum & monstrum veluti Hominis, nequaquam verò prorsus impossibile est.

De Hyperbolis Prophetarum. — Deut.1.28. — Eccles.10.20. — Amos 2.9. — *Historia Ogi nō est hyperbolica.* — Deut.3.11. — Cant.1.16.

Quod verò Lex scribit de mensura dierum, & de ætate primorum Mundi Hominum; de eo dico, quòd tantam ætatem non sint assequuti, nisi illi, quorum expressè fit mentio: reliquos autem Homines vixisse dies naturales, consuetos, & ordinarios. Raritas proinde & Novitas fuit tantùm in singularibus illis Individuis; idque vel propter accuratam alimenti vivendique rationem & diætam, vel per modum aliquem miraculosum. Aliter de ea re dici non potest.

De ætate primorū Mundi Hominum.

De Metaphoris Prophetarum. Porrò autem diligenter quoq; considerandæ sunt *Metaphoræ*, quæ occurrunt. Illarum quædam sunt tales manifestè & palàm, quæ neminem dubitare patiuntur; ut, cùm dicitur; *Montes & colles cantabunt* (Jesa.55.12.) *coram vobis laudem, & omnes arbores agri plaudent manu.* Est enim hic manifesta Metaphora. Ita quod dicitur; *Etiam abietes lætatæ sunt de* (Jesa.14.8.) *te, &c.* Jonathan Filius Uzielis transtulit; *Etiam Principes ejus lætantur de te, divites opum gaudent:* & posuit illud ex sensu Parabolæ, sicut, *Butyrum bovis & lac ovium.* (Deut.32.14.) Atq; istiusmodi Metaphoræ infinitæ propemodùm occurrunt in libris Prophetarum, & earum quædam ita sunt comparatæ, ut vulgus & idiotæ quoque eas animadvertere possint; quædam verò ita, ut existiment, nullam ibi subesse Metaphoram. (Deut.28.12.) Nam de dicto illo, *Aperiet DOMINUS tibi thesaurum suum optimum Cœlum*, nemo dubitat, quin sit metaphoricum, & DEUS nullum thesaurum habeat, in quo pluviam reservet. Ita quoque cùm dicitur, (Psal.78.23.) *Et januas Cœli aperuerat, & pluerat super eos Manna ad comedendum*, nemo credet, quòd in Cœlo portæ sint vel januæ, sed per similitudinem dictum hoc est, & est quoque Metaphoræ species. Sic necesse est, ut intelligatur, quod alibi dicitur, (Ezech.1.1.) *Aperti fuerunt Cœli.* Item illa, (Exod.32.32.33.) *Aut si non, dele me de libro tuo, quem scripsisti. Delebo illum de libro meo. Deleantur de libro viventium.* (Psal.69.29.) Et hæc enim omnia metaphoricè dicta sunt. Nam DEUS nullum habet librum, in quem scribit, vel è quo delet aliquem, sicuti vulgus existimat, quia non exercitati sunt in Metaphoris; sed omnia sunt ejusdem generis & farinæ. Tu propriâ & privatâ industriâ collige reliqua, quæ non produxi, eaque istis adjice, quæ in hoc capite exposui, & distingue diligenter singula, ut cognoscas, quídnam per Parabolam, quid per Metaphoram, quid per Hyperbolem, & quid denique juxta litteram & simplicem sensum dictum sit. Id si feceris, faciles erunt tibi Prophetiæ omnes; revelabuntur tibi secundùm ordinem intelligibilia vera credenda multa, quæ DEO Opt. Maximo placent & grata sunt, cui nil placet præter Veritatem, & cui nihil est exosum præter Falsitatem & Mendacium; tutus eris, ne confundantur cogitationes tuæ, ut credas dogmata falsa & à veritate aliena, eaq; tanquam Legem Divinam, vel Legi conformia habeas: Leges enim omnes, si rectè intelligantur, puram continent veritatem, sicut dicitur; (Psal.119.144.) *Justitia sunt testimonia tua in sæculum.* (Jesa.45.19.) Item; *Ego DOMINUS loquens justitiam.* Tandē per hanc notionem & discretionem liber eris ab omnibus imaginationibus falsis earum rerum, quas DEUS nunquam creavit, & ab omnibus turpibus & pravis sententiis, quæ vel in hæresin hominem pertrahunt,

hunt, vel imperfectionē aliquam de DEI natura, ut Corporeitatem, Attributa, & Passionem, fidei ejus insculpunt, vel denique sinistram opinionem & suspicionem de verbis Prophetarum, ac si falsa essent, generant, in quæ omnia delabuntur illi, qui ea, quæ hactenus à nobis dicta & Arcana Legis sunt, ignorant. Licèt autem non nisi generaliter de illis loquuti simus, facile tamen est particularia quoque cognoscere, post illa, quæ à nobis dicta sunt.

CAP. XLIIX.
De Actionibus quibusdam Naturalibus, Accidentariis, & Voluntariis, quas DEUS jussisse dicitur.

NULLUM dubium est, quin cum omni re innovata & creata ita comparatum sit, ut illa habeat caussam aliquam propinquam, quæ eam innovavit, & hæc caussa iterum aliam, sicque consequenter, usque ad primam omnium rerum caussam, Voluntatem nempe, & Beneplacitum DEI. Hanc ob caussam solent non rarò Prophetæ in suis scriptis caussas illas secundas & intermedias omittere, & opus aliquod immediatè DEO adscribere, ac dicere, quòd DEUS illud fecerit; id quod notissimum, & tùm à nobis alibi, tùm ab aliis Veritatis indagatoribus (prout communis est Legis nostræ Doctorum sententia) pertractatum est.

His ergo sic prælibatis, attende diligenter ad ea, quæ in hoc capite dicturus sum; quin-imò singularem & majorem diligentiam adhibe, quàm in reliquis capitibus omnibus. Hoc verò est, quod tibi sum expositurus. Quicquid innovatur ab omnibus indifferenter causſis propinquis sive secundis, ex quibus aliquid innovatur, sive sint Substantiales Naturales, vel Voluntariæ, vel Accidentales, (Voluntarias eas dico, quando vel Voluntas Hominis alicujus rei caussa est, vel etiam Voluntas aliorum Animantium), illud omne attribuitur DEO in Libris Prophetarū, & liberè dicunt de illis Operibus, quòd DEUS illa vel præceperit, vel dixerit, utunturque de illis, verbis *Amar* Dicendi, *Dibber* Loquendi, *Zivvah* Pręcipiendi, *Kara* Vocandi, *Schalach* Mittendi.

Ea, quæ innovantur à caussis secundis, attribuuntur Deo, tanquam caussæ primæ.

Atque hoc est, de quo te in hoc capite erudire volui; quòd nempe DEUS secundùm ea, quæ modò à nobis statuta sunt, excitet tàm Animalium irrationalium Voluntatem, quàm liberum Arbitrium Anima-

Animalis rationalis: & quòd Ipse sit, qui trahit vel regit tàm res naturales secundùm consuetudinem ipsarum, quàm accidentia, quæ sunt veluti additamenta rerum naturalium, & maximâ ex parte Naturæ, Voluntati, & libero Arbitrio communia. De his enim omnibus, quæ ex istis caussis sequuntur, dicitur, vel quòd DEUS illa sic facere jusserit, vel quòd dixerit, ut ita sint. Illorum autem singulorum exempla nunc tibi adducam, ut ex illis judicium quoque ferre possis de iis, quæ non sum adducturus.

Res naturales. De *eo, quod sequitur ordinariè ex rebus Naturalibus*, ut de liquefactione Nivis à calore Aëris, & de strepitu Aquarum Maris à procella Venti, dictum est; *Mittit Verbum suum, & liquefacit ea*, &c. Item; *Et stare facit Spiritum turbinis, & exaltat fluctus ejus.* De descensu pluviæ; *Nubibus quoq; mandabo, ne pluant super eam pluviam.* Psal.147.18. Psal.107.25. Jesa.5.6.

Res arbitrariæ. De eo, cujus caussa est *Voluntas & liberum Arbitrium Hominis*: ut, cùm unus Populus alteri bellum infert, vel alter alterum injuriâ & damno afficit, etiam usque ad calumniæ illationem. Ita dicitur de Tyrannide Nebucadnezaris & Exercitûs ipsius; *Ego præcepi præparatis à me, etiam vocavi fortes meos in ira mea.* Item; *Ad Gentem impiam mittam eum.* In negotio Simei filii Gerah dicitur; *Nam DOMINUS dixit ei, Maledic Davidi.* Quando Joseph liberatus fuit è carcere, dicitur; *Misit Rex, & solvit eum.* De Persarum & Medorum dominio in Chaldæos; *Et mittam in Babel ventilatores, & ventilabunt eam.* De Elia, cùm DEUS ei cibum & alimentum suum procuraret; *Ecce, præcepi mulieri viduæ, ut pascat te.* De Josepho iterum; *Nunc itaq; non vos misistis me hûc, sed DEUS!* Jesa.13.3. Jesa.10.6. 2.Sam.16.10. Psal.105.20. Jerem.51.2. 1.Reg.17.9. Gen.45.8.

De eo, cujus caussa est *Voluntas reliquorum Animalium irrationalium*, & ad quod propter necessitates vitæ suæ incitantur, dicitur; *Et dixit DOMINUS pisci illi, & evomuit Jonam in aridam:* eò quòd Dominus excitavit voluntatem illam in pisce; non verò, quòd DOMINUS ex illo pisce Prophetam, & Prophetiam aliquam super eo requiescere fecerit. Sic dicitur de Locusta, quæ venit tempore Joëlis filii Petuëlis; *Quia fortia & facientia Verbum ejus.* Ita de colluvie Animalium irruentium in Edom tempore vastationis ejus in diebus Sancheribi; *Et ipse projecit eis sortem, manusq; ejus divisit illis in linea.* Licèt enim hîc nullum adhibeatur verbum *Dicendi*, vel *Mittendi*, vel *Præcipiendi*, tamen per bonam consequentiam subintelligitur & includitur. Et ex eâ ratione de aliis similibus in hac materiâ phrasibus judicandum. Jon.2.11. Joël.2.11. Jesa.34.17.

Res accidentales. De *rebus Accidentalibus*, & quidem *de Accidente mero*, habemus exem-

exemplum in Rebecca; *Sit uxor filio heri tui, quemadmodum dixit* Gen.24.51.
DOMINUS. In historia Davidis & Jonathanis; *Quia misit te* 1.Sam.20.22.
DOMINUS. In historia Josephi; *Et misit me DOMINUS an-* Gen.45.5.
te vos.

Sic itaque declaratum tibi quoque est, quomodo de Caussis quibusvis secundis, sive illæ sint Substantiales, sive Accidentales, sive Voluntariæ, quomodo inquam de illis omnibus indifferenter dicantur quinque hæc verba, *Zivvah, Amar, Dibber, Schalach, Kara.* Quocirca diligenter id retine, & singulis locis pro ratione sensûs eo utere. Sic enim absurda & inconvenientia multa à te recedent, manifestabiturque tibi vera & genuina locorum illorum explicatio, qui à veritate alieni esse videntur.

Atque hæc sunt etiam ea, quæ de Prophetia, illius Parabolis, variis dicendi modis, reliquisque ad hanc materiam pertinentibus dicere debui, potui, volui. Nunc, juvante DEO, progrediemur ad alia.

FINIS PARTIS SECUNDAE.





RABBI MOSIS MAJEMONIDIS

MORE NEVOCHIM

PARS TERTIA.

PRAEFATIO.



ULTOTIES jam expoſuimus, principalem noſtrum in hoc Tractatu ſcopum eſſe, quantum fieri poteſt & licet, Opus Creationis (*Theologiam Naturalem*) & Opus Mercavah, h.e. Curruum, (*Ezechielis* ſc., i.e. *Theologiam Myſticam & Spiritualem*) explicare, prout in eum finem ad Librum hunc conſcribendum me accinxi.

Monui etiam, quòd Res iſtæ ſint ex *Arcanis Legis*. Nôſti autem, quòd graviter culpârint Rabbini noſtri eum, qui illa revelaret; & quòd econtrà illius, qui Secreta Legis, etiam ea, quæ Viris doctis & ſapientibus nota & manifeſta ſunt, occultat, ampliſsimam mercedem eſſe dixerint. Sic enim legitur in *Peſachim* ad illud Prophetæ
Jeſa.23.18. Jeſajæ, *Quia habitantibus coram DOMINO erit negotiatio ejus, ut comedant ad ſaturitatem*, Velimchaſſe attik. *Dixerunt* (Rabbini); Velim-
Dan.7.13. chaſſe *Et operienti verba, quæ revelavit* Attik *Antiquus dierum. Quæ nam autem ſunt illa? Arcana Legis.* Quid his verbis ſibi voluerint, facilè intelliges, ſiquidem intelligentiâ cor tuum ſit prӕditum.

Præterea oſtendimus, quàm profundum ſit Opus Mercavah, & quàm longè Vulgi captum ſuperet.

Inſuper declaravimus & hoc, quòd & ea, quæ per ſingularem DEI gratiam quis addidicit & intelligit, alios docere prohibitum ſit, niſi de facie ad faciem, & quidem illi tantùm, qui alibi à nobis recitatas qualitates habet, & nil aliud, quàm ſumma & generalia capita. Atque hæc eſt cauſſa, propter quam illius ſcientia & cognitio

penitùs è Gente nostra interciderit, ita ut neque modicum, neque multum ampliùs de ea reperiatur. Ita autem fieri tùm conveniebat, quia nunquam deerant, qui ea ex ore docentium exciperent. Nullus etiam unquam de ea conscriptus & compositus fuit Liber.

Quæ omnia cùm ita sint, quâ ratione audeo ego ea te docere, quæ mihi nota sunt & perspecta. Veruntamen desistere & cessare à consignandis & conscribendis iis, quæ ego cognita habeo, & illa unà mecum perire pati (quod necessariò sequeretur) nefas duxi magnum, & fraudi tibi aliisque de his rebus hæsitantibus fore existimavi; perinde ac si veritatem coram eo, qui eâ dignus, supprimere, aut hæreditatem justo & legitimo hæredi invidere vellem, quæ duo sunt vitia pessima & turpissima. Clarè autem & apertè illa explicare, jam diximus Lege esse vetitum, præterquàm quòd Intellectus nobis idem dictat, & quòd ego ipse non certam scientiam, sed opinionem tantùm illarum rerum, quas intelligo, habeam. Neque enim per singularem aliquam Prophetiam Divinam ea accepi, ut certò affirmare auderem, quòd ita & non aliter sese habeant; neque etiam à certo aliquo Doctore ea, quæ credo, tradita mihi sunt, sed suggesserunt mihi illa tùm Librorum Propheticorum & Sapientum nostrorum scripta, tùm Principia illa speculativa, quæ habebant. Fieri verò potest, ut quoque aliter sint aliamque intentionem habeant.

Singulari autem judicio, & auxilii Divini subsidio usus sum ad hoc, quod nunc tibi enarrabo. Ita enim expositurus tibi sum ea, quę Propheta Ezechiel p.m. in Visione sua scribit, ut, qui expositionem meam audiet, existimaturus sit, me nihil aliud dicere, præter id, quod Scriptura tradit, aut verba quasi ex una Lingua in aliam transferre, aut denique κατ' ἐπιπολὴν sensum rerum manifestarum manifestare. Quòd si verò ea consideràrit is, in cujus gratiam Liber hic est compositus, & perfectâ curâ ac diligentiâ singula ejus capita perlegerit, tàm ei nota & manifesta erunt omnia, quàm sunt mihi, ita ut ne gry quidem ei sit occultum remansurum. Atque hoc est summæ artis, congregare posse ea, ex quibus Homines omnes possunt utilitatem capere, &, prout decet, ea tegere & occultare, quæ occultanda sunt.

His itaque sic præmissis, appone cor tuum ad capita sequentia de nobili & præclara ista materia, quæ est veluti clavus, à quo omnia dependent, & columna, cui reliqua omnia innituntur.

CAP. I.

Quomodo intelligendum sit, quod dicitur de Similitudine sive Faciebus Animalium, *apud Ezechielem.*

De faciebus Animalium, apud Ezechielem. NEMO nescit, Homines quosdam reperiri, quorum facies referunt formam aliorum Animantium. Unus quippe est, qui faciem habet similem faciei Leonis; alius, cujus facies similis est faciei Bovis; & sic consequenter. Ab illis igitur Animantibus, ad quorum formam & physiognomiam inclinant, frequenter de-
Ezech.1. nominantur Homines. Ita quod dicitur apud Ezechielem, *Facies Bovis, Facies Leonis, Facies Aquilæ*, intelligendum est de faciebus Hominum, quæ conveniunt cum Forma istorum Animalium. Probationes hujus rei habes duas. Una est, quòd primò de Animantibus in
v.5. genere dicitur, *Et hic aspectus eorum, similitudo Hominis erat eis*: & quòd posteà in specie uniuscujusque Animantis forma describa-
Ezech.10. tur & denominetur; quòd nempe habuerint *faciem Hominis, faciem Bovis, faciem Leonis*, & *faciem Aquilæ*. Altera ratio sumpta est ex eo, quod in *secunda Mercavah*, quam adduxit, ad ea, quæ in *prima Mercavah* omisit, explicanda, dicitur. Sic namque ait Propheta in
v.14. *Mercavah* illa; *Et quatuor facies erant unicuique: facies una, erat facies Cherubini; facies secunda, facies Hominis; & tertia, facies Leonis; & quarta, facies Aquilæ.* Hic enim declarat, *faciem Cherubini* esse, quam antea *Faciem Bovis* dixerat. *Cherubh* autem est tenellus puerulus. Eadem est ratio reliquarum duarum Facierum. Quòd verò priùs dixit, Faciem *Schor*, non sine ratione ab ipso factum, sed respectu certæ ali-
part.1.cap.43. cujus etymologiæ & derivationis, sicuti alibi innuimus. Neque dici potest, fuisse aliarum figurarum apprehensionem (*in Mercavah se-*
v.20. *cunda*); in fine enim secundæ istius Narrationis ait: *Hoc est illud Animal, quod vidi in fluvio Chebar.* Sic ergo demonstratum est id, quod demonstrare volebamus.

CAP.

CAP. II.

In quo explicantur verba Mercavæ de Animalibus, Rotis, illorumque colligatione & motibus, & de iis, quæ erant supra Animalia.

MEMORAT Ezechiel, se vidisse *quatuor Animalia*, & unumquodque illorum *quatuor facies, quatuor alas*, & *duas manus* habuisse. Omnium autem quatuor Animalium figuram comprehendit sub *figura Hominis*; sicut ait, *Similitudo Hominis erat illis*. Sic de *Manibus* inquit, quòd fuerint *Manus Hominis*. Notum verò est, quòd Manus ejusmodi formam habeant, ut illis opera artificialia conficiantur. Deinde meminit *Pedum*, quòd Pedes illorum fuerint *recti*, h.e. quòd nullos habuerint articulos vel juncturas. Hic enim est sensus litteralis ejus, quod dicitur, *Pes rectus*. Sed illis verbis, *Et pedes eorum pes rectus*, etiam hoc voluit docere, quòd nunquam sedeant & quiescant superiora, (h.e. *corpora Cœlestia*).

De figura seu forma Animalium.

Ezech. 1.5.

v.8.

v.7.

Posteà recitat, quòd *Plantæ pedum* ipsorum, quæ sunt instrumenta itionis, non fuerint sicut plantæ pedum Hominis, (sicut Manus fuerunt similes manibus Hominis); sed rotundæ, sicut *Planta pedis vituli*. Ibid.

Post-hæc, quòd inter Animalia nulla fuerit distantia vel locus vacuus; sed unum alteri, h.e. inter se invicem arctissimè juncta fuisse, dum ait; *Juncta erant unum ad alterum*. v.9.

Insuper dicit; Licèt ita inter se invicem conjuncta fuerint, facies tamen & alas illorum desuper disjunctas fuisse, dicendo; *Facies autem & alæ ipsorum erant disjunctæ desuper*: ubi benè observa, quòd ait, *Desuper*; corpora enim erant conjuncta, sed facies & alæ illorum erant disjunctæ, sed *desuper*. v.11.

Præterea, quòd fuerint pura, sicut *Aspectus æris tersi & politi*. v.7.

Denique indicat, quòd fuerint splendentia, dum inquit; *Aspectus eorum veluti prunarum Ignis ardentium*. v.13.

Atque hæc sunt ea, quę in genere de illorum Animalium formis, *Faciebus* sc., *Alis, Manibus*, & *Pedibus*, commemorantur.

His peractis, progreditur ad describendum *Motus illorum*, & dicit de illis ea, quæ jam-jam audies.

De Motu Animalium. *Primò* ait; In motu illorum Animalium nullam fuisse vel Curvitatem, vel Obliquitatem, vel Tortuositatem, sed Motũ fuisse unum.
Ezech.1.v.12. Hoc enim sibi vult, dum inquit; *Non convertebantur, dum ambulabant.*

Ibid. *Deinde*; quòd unumquodque in adversum faciei suæ iverit: *Unumquodq; ex adverso vel in adversum faciei suæ ibant*, (h.e., ut Jun.& Tremell. vertunt, *in tractum faciei suæ objectum*). Expressè enim ait, quòd unumquodque Animal iverit in adversum faciei suæ. Verùm miror, in cujus'nam faciei, cùm unumquodque plures facies habuerit? Quicquid sit, significat, quòd omnia quatuor non iverint in latus unum. Si enim hoc esset, non attribuisset unicuique Motum peculiarem & proprium: neque dixisset, *Quúque in adversum faciei suæ ibant.*

Tertiò; quòd forma Motûs illorum fuerit *Cursus*, & quòd in circulum redierint, & revoluta fuerint, (h.e. *quòd mota fuerint motu velocissimo & celerrimo, eoq; circulari*): Et *Animalia* razo vaschobh *currere &*
v.14. *reverti*. *Razo* enim est Infinitivus à radice *Ruz* Currere; & *Schobh* est Infinitivus à radice *Schubh* Redire, Reverti. Non dicit, Haloch uba *Ibant & veniebant*; sed, quòd Motus illorum fuerit *Cursus* & *Revolutio in circulum*: & hoc similitudine eleganti illustrat, dum ait;
Ibid. *Secundùm aspectum* habbasak h.e. *fulguris*. *Basak* enim hoc loco idem est quod *Barak* Fulgur. Voluit proinde dicere; Motus illorum erat instar fulguris, cujus motum videmus esse motuum omnium velocissimum, ita ut videatur, ac si velocissimè ex loco uno curreret, & eâdem celeritate ac velocitate aliquoties se converteret, & in locum priorem, è quo movebatur, rediret. Jonathan F.Uzielis verba ista [*Currebant & redibant*] sic interpretatus est; *Circuibant & circumdabant Mundum, & revertebantur simul, erantq; veloces, ut aspectus fulguris.*

Quartò; quòd Motus Animalium ad latus illud, in quod singula motu suo cursorio & revolutorio (*ut ita dicam*) moventur, non sit spontaneus sive internus, sed exteriùs à re aliquâ externâ, Directione sc. Divinâ proveniens, & quòd Animal unumquodque in latus illud, in quod Directio Divina illud vult moveri, moveatur motu illo velocissimo & celerrimo, quem designat per *Currere* & *Redire*.
v.12. Hoc enim est, quod ait de Animalibus; *Quócunque erit* Ruach *Spiritus ut eant, ibunt. Non divertent, quando ambulabunt.* *Ruach* enim hoc loco non significat *Spiritum flantem* sive *Ventum*, sed *Intentionem* &
part.1.cap.40. *Voluntatem*, Divinam sc., sicuti exposuimus in homonymia vocis *Ruach*. Sensus proin est, quòd in latus illud, sive in plagam illam, in quam Intentio Divina vult, moveantur Animalia. Hoc pacto inter-

terpretatus est etiam Jonathan; *In locum, in quem beneplacitum* (vel *voluntas*) *erit, ut eant, ibunt, non divertent eundo.* Quia verò ex sensu litterali istorum verborum, *Quócunque erit Spiritus*, vel *voluerit Spiritus ut eant, ibunt*; videtur, quòd quandoque voliturus sit DEUS, ut Animal eat in latus unum, & quòd in illud latus sit iturum: quandoque verò in latus aliud oppositum, & quòd eò quoque iturum sit; idcircò explicat dubium istud, & inquit, Nequaquam ita se rem habere, sed quòd illud Futurum *Jihjeh* Erit, quod in Textu habetur, positum sit pro Præterito *Hajah* Fuit; id quod crebrò in Lingua Hebræa occurrit; &, quòd jam determinatus & definitus sit locus, in quem DEUS vult, ut unumquodque Animal ambulet; ac denique quòd Voluntas illa sit firma & immutabilis. Sic enim in declaratione hujus negotii ait in versu alio, *Quócunq; erit Spiritus ut eant, ibunt*; Ezech. I. v. 20. *illùc* (vult) *Spiritus ut eant.* Observa admirabilem hanc declarationem & expositionem!

Atque hæc sunt quoque ea, quæ refert de ratione Motûs Animalium, post explicatam ipsorum formam & figuram.

Deinceps aggreditur aliam Narrationem, & dicit, se vidisse Corpus quoddam sub Animalibus, non solùm cùm illis, verùm etiam cum Terra conjunctum, & quatuor quoque Corpora quatuorq; Facies habuisse. Figuram autem & formam certam vel Hominis, vel alterius alicujus Animantis, nullam ei assignat; sed inquit, quòd fuerint corpora magna, tremenda & terribilia, (Formam verò nullam, ut dixi, ipsis attribuit); & quòd *totum corpus eorum, plenum erat oculis.* Hæc autem *(Corpora)* sunt ea, quæ nominat *Ophannim*, h.e. *Rotas*, dum ait; *Et quùm vidissem Animalia, & ecce Rota una in Terra, juxta Animalia, cum quatuor faciebus suis.* De his verò explicat, quòd fuerint corpus unum, & ejus pars una juxta Animalia, altera verò in Terra, & quòd Rota illa *quatuor facies* habuerit; *Aspectus*, inquit, *Rotarum & opus earum tanquam aspectus ipsius lapidis Tharsis, & similitudo una erat quatuor illis:* ubi, dum pro eo, quod antè dixit, *Rota una*, nunc dicit, *Quatuor*; manifestè significat, quòd *quatuor Facies Rotæ* nihil aliud sint, quàm *quatuor Rotæ.*

(Marginal notes: *De Rotarum formis.* — v. 18. — v. 15. — v. 16.)

Deinde memorat, quòd una sit quatuor Rotarum forma, dicendo: *Et similitudo una erat quatuor illis.* Ibid.

Postea significat de istis Rotis, quòd sint inter se compositæ, dum ait: *Et aspectus eorum, & opera eorum, ac si Rota una esset in medio Rotæ* Ibid. *alterius*: id quod de Animalibus non fuit dictum. Voce enim *Betoch* In medio, non est usus in Animalium descriptione, sed simpliciter dixit,

Ezech.1.v.9. dixit, quòd inter se connexa fuerint & conjuncta, sicut ait; *Juncta erant unum ad alterum.* De Rotis autem dicit, quòd ita inter se conjunctæ sint, *ac si Rota esset in medio Rotæ.*

Quod verò de toto corpore Rotarum, cujus meminit, ait, quòd v.18. fuerit Male enajim *Plenum oculis*, id diversimodè exponi potest; vel, quòd *reverà plenum oculis* fuerit, vel, quòd *multos colores* habuerit, sicuti *En* h.e. Oculus, sumitur ibi, *Veeno keen* Et oculus ejus sicut Num.11.7. oculus Bdellii, h.e. Et color ejus sicut color Bdellii: vel, quòd plenum fuerit *Imaginibus* & *Similitudinibus*, ut nempe *Enajim* ibi significet *Imagines*: quemadmodum Antiquos loquutos esse invenimus, quando dixerunt; Keen *Secundùm oculum, quem furatus est:* Keen *Sicut oculus, quem rapuit*; voluerunt enim dicere, *Kidmuth* Secundùm similitudinem ejus, quod furatus est: *Kidmuth* Secundùm similitudinem ejus, quod rapuit: vel denique significabuntur *Res* & *Formæ* 2.Sam.16.12. *variæ*, ex sensu illius loci, ubi David ait; *Fortè videbit* DOMINUS beeni *oculum meum:* vult enim dicere, *Injani* Negotium, Caussam meam. Atque hæc sunt ea, quæ recenset de forma & fabrica *Rotarum*.

De Motu Rotarum. De *Motu Rotarum* ait, quòd neque obliquus, neque perversus sit, sed quòd motus illarum sint recti, & sine variationibus. Hoc sibi Ezech.1.v.17. vult, dum ait; *Dum in quatuor partes suas eunt ipsæ, ibunt, non divertent eundo.*

Deinde, quòd istæ quatuor Rotæ non à se-ipsis moveantur, sicut Animalia, neque ullum in se-ipsis motum habeant, sed tùm solùm, cùm alius illas movet; id quod sæpissimè repetit & inculcat. Motorem autem Rotarum facit *Animalia*, ita ut negotium Rotæ cum Animali E.G. se-se habeat, ac si quis Corpus silens mortuum (h.e. *Corpus inanimatum, Mineralia*, aut *Metalla*) manui aut pedi Animalis viventis alligaret; quócunque vel quotiescunque enim movebitur illud Animal, movebitur simul lignum vel lapis ille membro ipsius v.19. alligatus. Hinc ait; *Quùm irent Animantia, ibant Rotæ juxta illa; &* v.20. *cùm elevabant se Animalia à Terra, elevabant se Rotæ.* Item; *Et Rotæ ele-* Ibid. *vabantur è regione eorum.* Hujus rei caussam addit, dum ait; *Spiritus enim Animalis erat in Rotis:* id quod paullò pòst ad majorem rei declav.21. rationem & confirmationem repetit; *Quùm ambularent ipsa, ibant; & cùm stabant ipsa, stabant; & cùm elevabant se a Terra, elevabant se Rotæ è regione ipsorum, quia Spiritus Animalis erat in Rotis.* Ratio ergo motûs illarum talis fuerit; Quodcunque in latus Intentio Divina vult ut moveantur Animalia, in latus illud moveri Animalia à se-ipsis, & cum

cum motu Animalium moveri quoque Rotas in latus illud, quod sequitur colligationem ipsarum (cum *Animalibus* sc.); nequaquam verò, quòd Rotæ moveantur à sese in latus Animalium. Hunc ordinem ordinavit, dum ait; *Quócunque erat Spiritus ut irent, ibant; & illùc Spiritus Rotarum erat ut irent, & Rotæ elevabant se à regione eorum: Spiritus enim Animalis erat in Rotis.* Interpretationē Jonathanis F. Uzielis suprà tibi indicavi, *Quócunque erat beneplacitum, ut irent*, &c.

Absolutâ sic Narratione de Animalibus, eorumque formâ & motu; descriptis item Rotis, quæ erant sub Animalibus, cum eis colligatæ, & quæ cum motu illorum moventur, incipit tractare de Apprehensione tertiâ, quam apprehendit: & ita transit ad Narrationem aliam, ejus nempe, quod erat *supra Animalia*, & dicit; quòd *supra quatuor Animalia* sit *Expansum*, & *supra expansum similitudo Solii*, & *supra Solium similitudo tanquam aspectus Hominis*. v.22. v.26.

Atque hæc est summa eorum, quæ commemorat de Apprehensione, quam primò vidit in fluvio Chebar.

CAP. III.

De iis, quæ Ezechiel in Mercava secunda clariùs exposuit vel adjecit.

POSTEAQUAM commemoravit Ezechiel ea, quæ de forma Mercavæ in principio libri sui enarravit, repetita fuit ei eadem illa Apprehensio vice secundâ, cùm ferretur in Visione Prophetica Hierosolymam, in cujus descriptione quædam nobis exponit, quæ non exposuerat ab initio.

Ex illis est, quòd pro voce *Chajoth* [h.e. Animalia] usus est voce *Cherubim*: significans nobis, *Animalia* illa, quorum primò mentionem fecerat, esse quoque *Angelos*, h.e. *Cherubinos*. Sic enim ait: *Et cùm ambularent Cherubin, ambulabant rotæ juxta eos; quum verò elevarent Cherubin alas suas, ut attollerent sese à Terra, non divertebant rotæ etiam ab illis:* quibus verbis simul confirmat cohærentiam & connexionem duorum illorum motuum, quorum mentionem fecimus. Deinde; *Hoc est Animal, quod videram sub* DEO *Israëlis in flumine Chebar, & cognovi tandem, quòd Cherubini essent.* Repetit etiam easdem formas & eosdem motus, atque ita ostendit, quòd Animalia sint Cherubini, & Cherubini, Animalia. Ezech. 10. 16. v. 20.

Deinde, explicat quoque in hac secunda narratione rem aliam, quòd nempe *Ophannim*, h.e. Rotæ, sint *Galgallim*, h.e. Orbes, Globi,

Ezech.10.v.13. Sphæræ, dum ait; *Rotis ipsis acclamatum est* haggalgal, *Orbis, Sphæra, in auribus meis.*

v.11. Tertiò, exponit aliud quid de Rotis, inquiens; *Ad locum, ad quem convertebat se caput vel primus Cherub, post illum ibant, nec divertebant, cùm ambularent.* His enim verbis vult ostendere, Motum Rotarum violentum & coactum trahi utique in locum illum, ad quem convertit se caput vel primus Cherub, de quo docet, *quòd trahatur eò, quócunq; Spiritus est ut eat.*

v.12. Quartò, addit de Rotis & hoc; *quòd Rotæ plenæ erant oculis, per circuitum quatuor illarum Rotarum:* cujus in principio nullam fecerat mentionem.

Ibid. Quintò, dicit de Rotis in Apprehensione hac posteriore; *Et caro earum, & terga earum, & alæ earum.* In prima verò de Rotis narratione nullam nec *Carnis*, nec *Tergorum*, nec *Alarum* mentionem fecit, sed solùm dixit, quòd sint *Corpora*; in posteriore autem ait, quòd habeant *carnem, manus* & *alas*, sed tamen nullam certam formam illarum nominat.

Sextò, explicat in secunda hac Apprehensione, quòd unaquæq;

v.9. Rota Cherubino peculiari attribuatur, dicendo; *Rota una erat juxta Cherub unum, & Rota altera juxta Cherub alterum.*

Tandem exponit quoque hic, quòd quatuor Animalia sint Animal unum, propter arctissimam illorum inter se unionem & cohærentiam, dum ait; *Hoc est Animal, quod videram sub* DEO *Israël in flumine Chebar:* sicuti Rotas quoque vocat *Rotam unam in Terra*, (licèt, ut dictum, quatuor Rotæ fuerint): iterum propter illarum inter se cohærentiam, & quòd omnes quatuor unam similitudinem habeant.

v.20.

Ezech.1.v.15.

Atque hæc sunt ea, quæ adjecit ultra priora de figura Animalium & Rotarum in Apprehensione ista secunda.

CAP. IV.

De expositione Jonathanis F. Uzielis, *qui per Ophannim* Rotas, *intelligit* Cœlos.

MONENDUS hîc mihi quoque es de re quapiam, ad quam inclinavit Jonathan filius Uzielis.

Ezech.10.13. Videns ille aperta illa verba Prophetæ, *Rotis ipsis acclamatum* haggalgal *in auribus meis*, statim definitivè pronunciavit, *Rotas* ipsos esse

Cælos

Cælos, ac proinde perpetuò transtulit τὸ *Ophan* Rota, per *Galgalla* Sphæra, & *Ophannim* Rotæ, per *Galgallaja* Sphæræ. Hanc verò expositionem sine dubio confirmavit apud eum, quòd Ezechiel de Rotis ait, illas esse *sicuti aspectum Tharsis*. Hic enim color, sicuti notum est, Cœlo attribuitur. Cùm autem scriptum reperit, *Et vidi Animalia, & ecce Rota una in Terra*. quod sine dubio docet, Rotas esse in Terra, id durum valdè ipsi visum fuit juxta sententiam illam. Nihilominùs tamen expositionem suam sequutus est, juxta quam *Terra* sumitur pro *Expansione Cœlorum*, quæ est veluti Terra, respectu ejus, quod est supra Expansionem illam: sic enim verba hæc; *Et rota una in Terra*, interpretatur, *Sphæra una posita erat sub altitudine Cœli*. Observa itaque expositionem ejus. Quod verò ipsum ad hanc sententiam permovit, meo judicio, est, quia existimavit, *Galgal* esse primum & proprium nomen *Cœli*. Ezech.1.16. Ibid.v.15.

Mihi autem videtur, rem longè aliter se habere, & *Galgal* idem significare quod *Gilgel*, h.e. Volvere, Devolvere: ut, Vegilgalticha *Et devolvam te de petris*. Item, Vajagel *Et devolvit lapidem*. Et hac de caussa dictum est, Ukegalgal *Et sicut globus coram turbine*; eò quòd volvi & revolvi soleat. Hac de caussa quoque *Cranium Hominis* appellatur *Gylgoleth*, quia rotundum est. Et quia omnis Globus facilè volvitur, ideò omnis Res globosa vocatur *Galgal*. Atque ita Cœli quoque vocantur *Galgallim* à Rabbinis nostris, propter rotunditatem ipsorum, h.e. eò quòd globosi sint, cùm ajunt: *Est* Galgal *Sphæra, Globus, qui circumit Mundum*. Ita appellant quoque Cochleas ligneas tàm magnas quàm parvas, *Galgal*. Quocirca si res ita se habeat, tùm verba illa, *Rotis ipsis acclamatum est* Galgal *in auribus meis*, docebunt nos de forma illarum. Nam nullius certæ formæ vel figuræ mentionem fecit, neq; etiam dixit, quòd sint Cœli. Quod autem dicit, *Sicut aspectus Tharsis*, id nobis etiam explicat in secunda Narratione, dum ait: *Et aspectus Rotarum sicut oculus lapidis Tharsis*; ubi Jonathan interpretatur, *Sicut oculus lapidis pretiosi*: quâ ratione nôsti Onkelum exponere verba ista, *Sicut opus lapidis sapphirini*, per hæc, *Sicut opus lapidis pretiosi*. Unde unum & idem erit, sive dicas, *Sicut oculus lapidis Tharsis*, sive, *Sicut opus lapidis Sapphiri*: quod animadverte. Noli autem aspernari, quòd mentionem feci hîc expositionis Jonathanis F. Uzielis, & quòd ego aliter exponam. Multos enim invenies ex Sapientibus & Commentatoribus, qui tùm in Vocum, tùm in Rerum multarum Propheticarum interpretatione ab ipso dissentiunt, ut nemini mirum videri debeat, si idem accidat in profundis istis Mysteriis. Præ-

גלגל Galgal quid? Jerem.51.25. Gen.29.10. Jesa.17.13. Ezech.10.9. Exod.24.10.

tereà, nullam ego sententiam alteri præfero & præpono: tu expositionem ejus, quia eam adduxi, totam intellige, & simul quoq; expositionem meam. DEUS autem novit, quænam ex ambabus magis sit vera & congrua.

CAP. V.

Quòd in opere Mercava Ezechiel tres distinctas Apprehensiones apprehenderit, & qualisnam inter illas sit diversitas.

Ezech.1.1. EX iis, de quibus in hac materia monendus es, est quoq; hoc, quòd dixerit, *Visiones DEI*, in numero plurali; non autem, *Visio*, in numero singulari: quia nempe plures & speciebus differentes fuerunt Apprehensiones, tres videlicet, *Apprehensio Rotarum*, *Apprehensio Animalium*, & *Apprehensio Hominis*, qui erat supra Animalia, de quarum unaquaque ait; *Et vidi.* Nam de Apprehensione Animalium ait; *Et vidi, & ecce Ventus turbinis*, &c. De Apprehensione Rotarum; *Et vidi Animalia, & ecce Rota una in Terra*, &c. De eâ re, quæ gradu & ordine fuit supra Animalia, ait; *Et vidi tanquam aspectum Chaschmal*, &c. *A` visione lumborum ejus*, &c. Neque sæpiùs quàm tribus istis vicibus vocem hanc, *Et vidi*, adhibuit in enarratione *Mercavæ.* Cujus rei rationem Sapientes Mischnæ indicârunt & suppeditârunt. Dicunt enim; Licitum esse docere duas Apprehensiones priores, Apprehensionem sc. Rotarum & Animalium; tertiam autem Apprehensionem, quæ est τῶ Chaschmal, & ejus, quod cohæret cum eo, non licitum esse docere, nisi secundùm summa tantùm & generalia ejus capita. Verùm *Rabbenu Jehudah hakkadosch* existimat, omnes tres Apprehensiones vocari *Opus Mercavah*, ac de nullâ licitum esse docere, nisi summa & principalia capita. Verba ipsorum hac de re sunt ista; *Quousq; se extendit Opus Mercavah? Rabbi dicit; Usq; ad* Et vidi *postremum. Rabbi Isaac dicit; Usq; ad* Chaschmal. *A`* Vaereh *Et vidi, usque ad* Chaschmal *absolutè licitum est omnia tradere: sed hinc & ulteriùs non licet tradere, nisi summa & principalia capita. Alii dicunt, A`* Vaere *usq; ad* Chaschmal *tradimus tantùm principalia capita. Hinc & ulteriùs, si fuerit sapiens & intelligẽs ex mente sua; sin minùs, nequaquam.* En tibi ex ipsorum Rabbinorum verbis demonstrationem, quòd diversæ vel distinctæ sint Apprehẽsiones: quòd de illis testimoniũ perhibeant tria illa *Vaere* Et vidi; quòd habeãt gradus; quòd deniq; Apprehẽsio ultima (de qua dicitur, *Sicut oculus vel color Chaschmal*, h.e.

Triplex fuit Apprehensio Ezechielis.

cap.1.v.4.

v.15.

v.27.

h.e. formę Hominis divisæ, de quo dictum est, *Ab aspectu lumborum ejus & infrà; & ab aspectu lumborum ejus & suprà)*, sit extrema & suprema illarũ Apprehensionum. De hac autẽ controversia est inter Sapientes; An permissum sit leviter & per nutum aut indicia quasi eam docere, h.e. tradere summa & generalia capita, an verò ne hoc quidem concessum sit, nisi eum, qui prudens est & intelligens ex mente sua? Ita controvertitur quoque inter eos de prioribus duabus Apprehensionibus, Rotarum videlicet, & Animalium, ut vides; An apertè & clarè liceat illarum sensum docere, an verò non nisi per indicia & ænigmata summa & generalia capita tradere sit permissum? Porrò autem admonendus quoque es de ordine & dispositione trium istarum Apprehensionum; quòd nempe primo loco ponat Apprehensionem Animalium, quia dignitatis & caussalitatis ratione sunt prima, sicut ait; *Spiritus Animalis erat in Rotis*: & alias ob caussas. Secundo loco Apprehensionem Rotarum; & post eam Apprehensionem tertiam, quæ est gradus ratione superior Animalibus, sicut exposuimus; quia duæ Apprehensiones priores præcedunt ordine doctrinę Apprehensionem tertiam, & de ea docent.

De ordine trium Apprehensionũ.

Ezech.1.20.

CAP. VI.

Visionem Ezechielis eandem fuisse cum Visione Jesajæ.

SCITO, Lector, præclaram istam Revelationem, quam Ezechiel docere nos incepit, per enarrationem *Mercavæ*, ad quam docendam instinctu singulari Prophetico impulsus fuit, rem esse eandem cum ea, quam in genere nos docuit Propheta Jesajas; non enim necesse habebat ipse, ut speciatim eam deduceret ac explicaret. Hoc est quod dicit; *Et vidi DOMINUM sedentem super Solium excelsum & elevatum, & fimbriæ ejus replebant Templum. Seraphim stabant super illud*, &c.

Apprehensio Ezechielis & Jesajæ eadem.

Jesa.6.1.2.

Idem hoc docuerunt & monuerũt nos Sapientes nostri, qui ajunt, quòd Apprehensio, quam apprehendit Ezechiel, sit illa ipsa Apprehensio, quam apprehendit Jesajas: & illustrârunt hoc Similitudine, desumptâ à duobus Viris, Regem equitantem videntibus, quorum unus est ex Urbe, alter ex Pago. Qui ex Urbe est, quia novit, urbanos scire modum equitandi Regis, non narrabit, quomodo equitaverit, sed dicit solùm, Vidi Regem. Alter verò, quia rem vult narrare paganis suis, qui modum equitandi Regium ignorant, speciatim & secundùm circumstantias ipsis apparatum totum equitatûs expo-

Similitudine illustrat differentiam inter Visionem Jesajæ & Ezechielis.

nit; qualis fuerit, quomodo equitaverit, quæ fuerit forma comitatûs càm peditum quàm equitum, omniumque servorum ejus, qui faciunt verbum & præcepta ipsius: in qua ipsorum *ὑφεσία* continentur utilitates multæ. Hoc autem sibi volunt, quando in *Chagigah* scribunt; *Quicquid vidit Ezechiel, vidit quoq; Jesajas: Jesajas similis est Homini urbano, qui vidit Regem; Ezechiel Homini pagano, qui vidit Regem.*

Per ista verba commodè jam exponi & ostendi potest id, quod initio hujus capitis dixi; quòd nempe illi, qui Jesajæ sæculo vixerunt, non opus habuerint, ut specialia illa eis explicentur, sed sufficerit ipsis, quòd dixit, *Et vidi DOMINUM*, &c. Viri autem captivitatis opus habuerunt specialibus illis. Fieri tamen quoque potest, ut, qui illud dixit, *(quod ex Talmud citatum modò est)*, arbitratus fuerit, Jesajam magìs fuisse perfectum, quàm Ezechielem; &, Apprehensionem illam, quę Ezechielem terruit, terribilisq; in oculis ejus fuit, Jesajæ notam & familiarem fuisse, ita ut non necesse habuerit, tanquam rem novam illam narrare; eò quòd nota inter perfectos fuerit.

CAP. VII.

Explicantur varia in Opere Mercavah.

EX iis, quæ necessaria & digna indagatione sunt in Opere *Mercavah*, supersunt adhuc alia: ut,

Primò; Cur Mercavam connexerit per Annum, Mensem, Diem & Locum? Hujus enim rei ratio investiganda, neque sine ratione id factum esse existimandum est.

Secundò considerandum quoque id, *(quod est quasi* maphteach h.e. *clavis ad reliqua omnia)* quod ait; Niphtechu *Aperti sunt Cœli*, &c. Frequens enim est apud Prophetas *Aperiendi*, & *Apertionis portarum* Metaphora: ut, *Aperite portas, ut ingrediatur*, &c. *Et januas Cœli aperuerat. Elevate vos portæ sæculi. Aperite mihi portas justitiæ, ut ingrediar per illas, celebrabo Jah*: & similia alia multa.

Ezech. 1. 1. · Jesa. 26. 2. · Psal. 78. 23. · Psal. 24. 7. · Psal. 118. 19.

Tertiò attendendum: quòd, licèt tota hęc Narratio sine dubio contigerit in Visione Prophetiæ, sicut dicit; *Et fuit super eum ibi manus DOMINI*; magnâ tamen sermonis variatione, secundùm partium Narrationis diversitatem, utatur. Cùm enim mentionem facit Animalium, ait, *Similitudo quatuor Animalium*; non autem simpliciter, *Quatuor Animalia*. Sic, *Et similitudo super capita uniuscujusq; Animalis erat Firmamenti*. Sic, *Tanquam aspectus lapidis Sapphiri similitudo Throni*. De his omnibus dicit *Demuth* Similitudo. Verùm de Rotis non inquit,

Ezech. 1. 3. · v. 5. · v. 22. · v. 26.

quit, *Similitudo Rotæ*, vel, *Similitudo Rotarum*; sed præcisè & absolutè de eis loquitur tanquam de re existente, sicut in se sunt. Neque te seducere debet id, quod dicitur; *Similitudo una erat quatuor illis*: hoc Ezech.1.16.
enim non est istius generis, neque ejus sensus, de quo loquuti sumus. Confirmat & declarat rem istam Propheta in Apprehensione posteriore, dum absolutè meminit Firmamenti, & speciatim illud depingens & describens, ita ait; *Et vidi, & ecce, in illo Expanso, quod erat supra* Ezech.10.1.
caput Cherubinorum, sicut lapis Sapphir, veluti Visio similitudinis Solii apparebat supra eos. Dicit enim hìc, *Expansum* vel *Firmamentum* absolutè, non verò *Similitudo Firmamenti*, sicuti factum est, quando conjunxit illud (*Firmamentum*) cum capitibus similitudinis Animalium. Sed Ezech.1.22.
de *Solio*, inquit, *Similitudo solii apparebat supra ea*; ad docendum, quòd v.26.
Apprehensio Firmamenti antecesserit, & posteà demùm similitudo Solii supra illud ei apparuerit. Id quod te observare & animadvertere jubeo.

Quartò observatione dignum est, quòd in Apprehensione primâ Propheta narrat, Animalia simul habuisse Alas & Manus Hominis; in Apprehensione verò secundâ (in qua declarat, quòd *Animalia* sint *Cherubini*) apprehendit primò tantùm Alas illorum, & deindè demùm innovatæ vel ortæ fuerunt ipsis Manus Hominis in Apprehensione ejus, sicut ait; *Et apparuit Cherubinis* tabhnith *structura manûs Hominis sub alis eorum.* In quibus verbis animadverte, quòd *Tabhnith* Structura, idem sit quod *Demuth* Similitudo; & quòd illas (*Manus Hominis*) collocet sub alis eorum. Considera etiam, quomodo in sermone de Rotis dicat, *Leymmatam* è regione ipsorum; licèt v.20.
formam earum non definiat. Dicit etiam: *Velut aspectus arcûs, qui fit* v.28.
in nube in die pluviæ; sic aspectus splendoris circum-circa. Hæc erat Visio similitudinis Gloriæ D O M I N I, &c. Materia & veritas arcûs hìc descripti nota est. Est autem hoc mirabile valdè in similitudine & comparatione, & sine dubio factum in virtute Prophetica.

Quintò notandũ est, quòd partitus est similitudinẽ Hominis, qui erat super Solium; quòd videlicet superior ejus pars fuerit sicut *color Chaschmal*, inferior autem sicut *Visio Ignis*. Vocem hanc *Chaschmal* quidam exponunt, quòd composita sit ex duabus vocibus, *Chasch* & *Mal*, quæ significant *Festinationem* vel *Accelerationem*, (de qua docet *Chasch*, quod significat *Festinare*) & *Abscissionem* vel *Circumcisionẽ*, *Amputationem*, (de qua docet *Mal*, quod significat *Præcidere*, *Circumcidere*), idq; ad denotandam conjunctionem duarum diversarum rerum, sub notione duorum laterum, superioris & inferioris. Sed monuerunt nos

Chaschmal quid?

nos quoque de alia etymologia, & dixerunt, derivatum esse ex *Locutione* & ex *Silentio*, sicut ajunt; *Quandoq;* Chaschoth *silent, quandoq;* memalleloth *loquuntur*; ita ut *Chasch (in Chaschmal)* significet *Silentium*, (juxta illud, Hechescheri *Tacui à sæculo*), ad docendum de duabus rebus in sermone sine voce. Neq; ullum dubium est, illos, dum dicunt, *Quandoq; tacent, quandoq; loquuntur*, hoc intelligere de re creatâ. Vide enim, quomodo nobis explicârint, quòd illa Similitudo divisa Hominis, qui erat super Solium, non sit Parabola de DEO Opt. Max., qui omnis compositionis est expers, sed de re aliquâ creatâ, sicut Propheta inquit; *Hæc est Visio similitudinis Gloriæ DOMINI. Gloria* enim *DOMINI*, non est *DOMINUS ipse*, sicuti aliquoties jam docuimus. Atqui ea omnia, quæ per Parabolas proposuit, nihil sunt aliud præterquàm Gloria Domini; *Mercavah* nempe, h.e. est Currus, non verò *Harochebh*, Qui curru vehitur, vel ei insidens. Nam DEUM Opt. Max. nulli rei assimilant.

Jesa. 42. 14.

Ezech. 1. 28.

Sic itaq; dedi tibi in hoc quoque capite generalia quædam capita, quæ si perficias, non contemnendus inde ad te redibit fructus in hac materia; &, si consideres attentè universa, quæ huc-usque in omnibus hujus libri capitibus diximus, tùm totum hoc negotium, vel saltèm majorem ejus partem intelliges, paucis quibusdam exceptis particulis, & verborum duplicationibus, quorum ratio nobis est ignota, quæ tamen fortassis, si quis nervos ingenii sui probè intenderit, & ipsa revelari possunt, ita ut nihil omninò maneat absconditum & occultum.

Sed nunc post hoc caput noli ulteriùs à me expectare aut sperare vel unicum, seu directè & apertè, seu indirectè, de hoc argumento verbulum. Omnia enim jam dicta sunt, quæ dici potuerunt; etiam cum magna animi angustia. Nunc itaq; ad alia progredior, quæ in hoc libro explicare decrevi.

CAP. IIX.

Omnem corruptionem provenire à Materia, & ab eadem quoq; proficisci diversitatem, quæ reperitur inter Homines.

Alia.

Corruptio accidit ex parte Materiæ.

OMNIBUS Corporibus generabilibus & corruptibilibus accidit corruptio non aliunde quàm à Materia; ratione enim Formæ

Formæ & in notione Substantiæ ipsius Formæ nulla prorsus illa apprehendit corruptio, sed constanter extra omnem mutationis aleam sunt posita. Nónne enim vides, quòd omnes Formæ specificæ sint perpetuæ & constantes? Corruptio autem accidit Formæ per accidens, h.e. propter conjunctionem ejus cum Materia, cujus hęc est natura, ut semper Privationi subjecta sit, ac propterea nullam Formam retineat, sed perpetuò unam exuat & alteram induat. Admirabilis est hac de re sapientissimi Regis Salomonis sermo, dum *Materiam* assimilat *Mulieri adulteræ*. Nam nulla Materia Formæ omnis expers reperitur. Propterea similis est Mulieri conjugatæ *(adulteræ)*, quæ nunquam sine Viro est, neque unquam planè sola existit; sed, licèt Virum habeat, tamen alium indesinenter quærit, quem blanditiis suis seducat & omnibus modis ad se trahat, donec ab illa obtineat id, quod ab ipsa impetravit Maritus ejus. Eadem enim est ratio Materiæ: nam quævis Forma, quæ illi inest, disponit eam ad recipiendam aliam, & ipsa non intermittit, quin ad exuendam Formam sibi unitam, aliamque assumendam moveatur. Et eâdem ratione procedit, posteaquàm Forma alia advenravit.

Salomon comparat Materiam cum Muliere adultera.

Hinc ergo patet, omnem corruptionem, interitum, aut imperfectionem non nisi propter Materiam contingere; id quod in Homine, exempli caussâ, videre licet. Fœditas enim formæ ejus, membrorum à naturali consuetudine ac dispositione exorbitatio, facultatumque debilitas, defectus aut confusio, (sive ista omnia ei insint à momento nativitatis, sive posteà demùm orta sint), non aliunde, quàm ex corrupta Materia consequuntur. Sic reliqua Animantia omnia moriunrur & morbis affliguntur, non propter Formam, sed solùm propter Materiam. Sic peccata & vitia Hominum quoq; non ex Forma, sed ex Materia oriuntur; virtutes autem tantùm ex Forma. E. G. Quòd Homo apprehendit Creatorem suum, quòd intelligibilia omnia intelligit, quòd affectus suos regit, quòd novit, quid sibi sit eligendum, quid rejiciendum; istud omne habet beneficio Formæ; quòd verò edit, bibit, Venerem exercet, irascitur, aliisq; affectibus & vitiis deditus est & indulget, id Materiæ illius imputandum.

Vitia oriuntur ex materia; virtutes ex forma.

Quandoquidem igitur palàm est, ita se rem habere, ut per decretum Sapientiæ Divinæ Materia nulla sine Forma reperiri possit, neque etiam vice versâ, Forma (ex istis Formis) sine Materia; & per consequens, quòd unica quoque inter se sint nobilissima ista Forma humana (quam in imagine & similitudine DEI consistere docui-

mus) & Materia ista crassa ac pulverea, quæ omnis imperfectionis & corruptionis caussa est; ideò data est ei, Formæ nimirum humanæ, potestas & imperium in Materiam, ita ut illam cogere, affectus ejus cohibere, &, quantum fieri potest, ad rectitudinem æquabilitatemque convertere queat.

Gradus vel Differentia inter Homines. Atque hinc distinguuntur *Gradus Hominum.* Sunt enim quidam Homines, quorum omne studium perpetuò tendit ad eligendum id, quod honestum laudeq; dignum est, & quærendam, pro nobilitate Formæ suæ, perennem sui conservationem, quiq; nihil aliud cogitant, quàm quomodo intelligibilia omnia apprehendere, veram ac solidam omnium rerum cognitionem consequi, Intellectuiq; Divino (qui in illos influit, & Formam illis largitur) tenacissimè conjungi queant; ac quotiescunque accidit, ut à necessitatibus & concupiscentiis Materiæ ad turpitudinem & fœditates ejus incitentur, graviter dolent, quòd eò præcipitati, erubescunt, quòd ita læsi ac vulnerati sint, & denique omnibus viribus contendunt, ut vitium illud diminuant, &, quantum fieri potest, ab eo sibi caveant. Quemadmodum si Rex contra subditorum suorum quempiam iratus esset, ac contumeliæ & ignominiæ causså mandaret ei, ut fimum ex uno loco in alium everreret; subditus ille omnem operam daturus esset, ut, quantum fieri possit, illo tempore se absconderet, & fortè nō nisi parum in locum aliquem propinquum verriturus esset, ne manus ac vestimenta sua conspurcaret, & ab aliis conspiceretur: ita sanè ageret Homò honestus & liberalis; Servus autem voluptatem capit ex isto negotio, ac monstrat, nullum onus ipsi nimis grave magnumque esse, quin-imò totum corpus in stercus immergit, faciem ac manus suas inquinat, hancque actionem palàm & sine rubore, hilari vultu animoque perficit. Eadem ratio est Naturæ Hominum. Nam sunt quoque nonnulli, ut diximus, in quibus omnia, quæ proveniunt à parte Materiæ, necessariò sunt turpia, inhonesta, & imperfecta, inprimis verò sensus Tactûs, (qui opprobrio nobis est, sicuti dixit Aristoteles), propter quem desideramus edere, bibere, Venerem exercere. Nam Vir prudens & intelligens istis, quantum potest, debet detrahere, sibi ab illis cavere, postquàm ea commisit, dolore affici, nullum de illis sermonem instituere, aut, si habeat, non diù illi inhærere, neque tandem collegia quasi illis instituere, & ex professo illa tractare; sed istis cupiditatibus omnibus debet dominari, illas pro virili rescindere, neque, nisi cùm aliter facere nequit, opus aliquod illarum conficere, hancque unicum finem,

finem, qui omnium Hominum, quà Homines sunt, finis est, sibi propositum habere, *Apprehensionem Intelligibilium* [inter quæ nihil nobilius est ac præstantius *Apprehensione* D E I, *Angelorum*, & *reliquorum ejus* (D E I) *operum*], quantum quidem potest assequi. Tales enim Homines sunt cum D E O jugiter, & sunt illi, de quibus dictum est; *Dii estis, & filii Excelsi omnes vos:* hocque est quod requiritur ab Homine, & hic est Finis ejus. Verùm alii, qui separati sunt à D E O, ut est *Vulgus Hominum*, contrarium planè agunt, omnem de Intelligibilibus cogitationem & considerationem removent, sensum illum, quem turpitudinem nostram magnam esse modò diximus, sensum inquam tactûs, pro fine & scopo sibi proponunt, neque de alia re, quàm de Venere & Baccho cogitant; quemadmodum dicitur de impiis, quòd in deliciis Cereris, Bacchi, & Veneris sint submersi. *Et isti quoque*, inquit Propheta, *propter vinum erraverunt, & propter Schechar erraverunt.* Et paullò pòst; *Omnes mensæ repletæ sunt vomitu & sorde, ita ut non sit locus absq; sorde.* Sic inquit: *Mulieres dominatæ sunt ei.* Quod contrarium planè est ordini illi, quem D E U S in principio Creationis instituit, dicens; *Et ad Virum tuum appetitus tuus, & ipse dominabitur tibi.* Vehementiam autem concupiscentiæ illorum refert Jeremias, dum inquit; *Quisque ad Uxorem proximi sui binniunt*, &c. Item, *Universi sunt adulteri, cœtus prævaricatorum.* Hanc ob caussam replevit Salomon Proverbia sua dehortationibus à Scortatione & Compotationibus, quòd istis duobus cōmuniter immergantur Osores D E I, qui longinqui sunt ab illo, de quibus dicitur; *Quia non sunt Domini.* Item, *Ejice à facie mea, & egrediantur.*

Psal.82.6. Jesa.28.v.8. v.9. Jesa.3.12. Gen.3.16. Jerem.5.8. Ibid.9.2. Jerem.15.1.

Quod autem inquit Salomon; *Mulierem strenuam quis inveniet?* Prov.31.10. perspicua & clara est Parabola; quòd videlicet, cùm Homini contingit Materia bona & conveniens, quæ ei non prævalet, nec dispositionem ejus corrumpit ac destruit, pro singulari dono D E I sit agnoscendum & habendum. Summa rei est: Materia bona & conveniens facilè regi potest, sicut diximus; quòd si verò mala sit & inconveniens, non est impossibile assiduo studio & exercitatione eam domare & subjugare. In hunc usum inserviunt correctiones ac reprehensiones Salomonis & aliorum. Præcepta item & prohibitiones Legis non aliò tendunt, quàm ad concupiscentias materiæ omnes in ordinem redigendas. Et sanè, si quis in veritate Homo esse cupit, non verò Bestia sub forma & specie humana, omnem lapidem movere debet, ut necessitates materiæ circa cibum, potum, coitum, iram, aliosque affectus, qui ex concupiscentia & ira se-

Materia bona est donum Dei.

quuntur, diminuat, pudorem ex illis contrahat, eisque gradus & terminum certum in anima sua figat. In iis autem, quibus carere nequit, ut est cibus & potus, sufficiat ipsi, quantum conducit & ad ejus sustentationem, non verò ad voluptatem, est necessarium, raros de illis sermones habeat, non sæpè ejusmodi conventus frequentet.

Convivia non præcepta in Lege, vitant Sancti.

Nôsti enim, Rabbinos nostros abominari convivia non præcepta in Lege, & qui sanctiores esse volunt, illa vitare. Sic Phineas Filius Jair cum nullo unquam homine comedit! Rabbenu Hakkadosch illum rogabat aliquando, ut secum pranderet, sed nolebat.

Ebriositas quãtum vitium.

Vini seu potûs eadem ratio, idemque finis est qui cibi. Congregare verò se expressè ad inebriandum, magìs turpe & inhonestum apud te esse debet, quàm si in domo quadam convenirent Homines nudi interdiu opera Naturæ &c. facientes. Ratio hujus rei est, quia Alvi excretio res est coacta, quam Homo intermittere non potest; Inebriatio autem opus est Hominis mali in libera ejus voluntate positum.

Libido quantum peccatum.

Libidinis peccatum quod attinet, turpitudo ejus sensibus quoque nota est, non tantùm Intellectui, & corrumpit simul Corpus & Animum. Ideoque necesse est, ut is, qui Homo vult esse, procul ab animo suo illam removeat, nec de ea loquatur.

Verùm de coitu ipso non opus est, ut plura adjiciam ad illa, quæ de ea dixi in Commentario super *Avoth*, ex Lege nostra ab ejusmodi inquinatione purâ. Vetitum enim est, ullam ejus mentionem facere, vel de ea loqui, quâcunque id de caussa vel occasione fiat. Nôsti,

Cur Elisæus sanctus vocetur?

quòd dicant, Prophetam Elisæum piæ memoriæ *Sanctum* vocari ideò, quòd nunquam de actu hoc cogitârit, neque ullam seminis effluxionem expertus fuerit. Nôsti etiam, quòd de Jacobo dicant, semen ipsi nunquam effluxisse, antequàm gigneret Rubenem. Hæc omnia ad honestos mores & laudabiles virtutes excitandas, tradita sunt in Gente nostra. Nôsti insuper tritum & pervulgatum illud,

Cogitationes de peccato graviores sunt peccato ipso: & cur?

Cogitationes transgressionis graviores sunt transgressione ipsâ: cujus dicti admirandam habeo expositionem; quòd videlicet Homo, cùm peccat, peccet tantùm ex parte Accidentium Materiam consequentiũ,

Vide Matth. 5.

(sicut declaravi, quòd Homo nõ peccet nisi per sensualitatem suam): cogitatio autem proprietas est à forma ipsius dependens. Ideoque cùm Homo de peccato cogitat, peccat contra præstantissimam partem duarum illarum, è quibus constat. Non tàm graviter peccat is, qui servum sibi reddit Hominem stultum & imperitum, atque is, qui mancipium sibi facit Hominem liberalem & ingenuum: quia

Forma

Forma humana,ejusq; proprietates & potentiæ sunt adhibendæ ad res ei convenientes & dignas; ad res nempe non viles & sordidas, sed sublimes & excelsas.

Præterea non te fugit, quàm severè apud nos prohibita sit omnis Obscœnitas oris & sermonis; neque id sine caussa. Nam sermonis facultas est de proprietatibus Hominis, & excellentissimum DEI donum, ei concessum, ad ipsum à reliquis Animantibus distinguendum. Hinc dicitur; *Quis posuit os Homini?* Et apud Prophetam; *DOMINUS dedit mihi linguam eruditam.* Non decet autem donis illis, quæ DEUS nobis concessit ad perfectionem tùm Discendi, tùm Docendi, abuti ad summas imperfectiones & perfectissimas turpitudines, ut proferamus ore nostro talia, qualia Homines stolidi, profani & lascivi in cantilenis & familiaribus suis colloquiis effutire solét; talia nimirum, quæ illorum quidem personæ satis conveniunt, nequaquam verò iis, de quibus dictum est; *Vos eritis mihi Regnum sacerdotale, Gens electa,*&c Quicunque verò cogitatione vel sermone suo abutitur ad titillationem sensûs illius, quem sæpè jam probro nobis esse diximus; videlicet, vel cogitationes de comessationibus, comporationibus & voluptatibus, ultra *τὸ πρέπον* fovendo, aut cantilenas de illis cantillando, is jam injustè usurpavit Bonitatem, quam Creator ipsi largitus est, & eâ contra Benefactorem suû,ac ad Mandatorum ejus transgressionem est abusus, & est ex illis, de quibus apud Prophetam legimus: *Argentum, quod multiplicaveram ei, & aurum fecerunt Bahali.* Atque istarum rerum rationem inter alia exinde quoque possum petere,quòd *Lingua* nostra vocetur *Sancta.* Non enim arbitrari debes, aliquam hîc subesse hyperbolen vel fallaciam; verùm ipsissima est veritas. Nam in Lingua ista Sancta nullum extat proprium nec virilis, nec muliebris membri generationis vocabulum, prout nec actus generandi, neque seminis vel ejaculationis illius. Horum inquam nullum reperitur proprium ac primum in Lingua nostra vocabulum, sed exprimuntur vocabulis tropicis ac metaphoricis; idque hanc ob caussam, quòd talia non nominare, ac proinde nec nominibus propriis insignire, sed reticere potiùs expediat ac conveniat. Propterea quando necessitas efflagitat, ut mentio illorum fiat,cognominibus aliunde desumptis rectè exprimuntur; quemadmodum ipsæmet actiones, cùm exercentur, quantum fieri potest, occultari solent. Instrumentum enim Viri appellant *Gid* Nervum, propter convenientiam, quam cum Nervo habet. Sic legimus; *Ut gid nervus ferreus cervix tua.* Vocant illud etiã *Schiphchah,*

Obscœnitas in sermone quantum vitium.

Exod.4.11.

Jesa.50.4.

Exod.19.6.

Hos.2.8.

Lingua Hebræa, Sancta.

Verecũdia Lingua Sanctæ.

Sic ait Paulus ad Ephes.5.v.3. Πορνεία δὲ καὶ πᾶσα ἀκαθαρσία μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν καθὼς πρέπει ἁγίοις.

Jesa.48.4.

ab operatione ejus, q. d. *Effuſorium.* Membrum muliebre vocant *Kibbatah*, à *Kibbah*, quod ſignificat Ventriculum, Ingluviem: *Rechem* verò vocant membrum illud interiorum viſcerum, in quo generatur embryo: Ejaculationem ſeminis *Jeziah* à verbo *Jaza* Exire, Egredi: *Mictionem* vocant Aquam pedum: ſed *Semen genitale, concubitus Seminis*, & *ipſum Opus*, quod generationem producit, nullum habent nomen proprium, verùm circumſcrib. nt ea, & quidem non per alia, quàm per *Jiſchkabb, Jibhal* (יבעל), *Jikkach*, vel *Jegalle ervah* (h. e. *per verba* שָׁכַב *Cubare, Concumbere*, בָּעַל *In uxorem ducere*, לָקַח *Accipere*, גִּלָּה עֶרְוָה *Retexit nuditatem*). Quòd autem reperis *Jiſchgalennah* pro actu hoc uſurpatum, non debet te ſeducere, ſed rectè intelligendum eſt. Nequaquam enim ita ſe res habet. Nam שֵׁגָל *Schegal* ſignificat puellam nubilem: ut, *Adſtat* שֵׁגָל *ad dexteram tuam in auro Ophir*; proinde *Jiſchgalennah* nihil aliud ſign:ficat, quàm *Ducet, Accipiet puellam.* Verùm delapſi ſumus à ſcopo & argumento hujus capitis ad Moralia & Legalia, quæ licèt non omnia ad ſcopum pertinent, ad ea dicenda tamen ex ordine & ſerie materiæ noſtræ perducti ſumus.

שגל *Puella nubilis.*

Pſal. 45.10.

Verbũ שגל *quid ſignificet.*

CAP. IX.

Quòd Materia ſit inſtar Parietis *vel* Veli, *Apprehenſionem Creatoris impedientis.*

Materia impedit apprehenſionem abſtractorum.

MATERIA, eſt veluti maceria magna & velum impediens veram apprehenſionem Intelligentiæ abſtractę; licèt etiam eſſet ita pura & excellens ſicut materia Sphærarum, (quantò proinde magis Materia iſta noſtra obſcura & turbida?)

Hinc, quotieſcunque ſatagit mens noſtra apprehendere Nomen illud glorioſum, vel aliam aliquam ſententiam, deprehenditur murus & velum quaſi quoddam, inter ipſam & illa diſtinctionẽ faciens.

Et hoc innuitur paſſim in omnibus Prophetarum libris, quòd Velum aliquod ſit diſtinguens inter nos & DEUM: ut, cùm dicitur, *Abſconditus nobis eſſe in Nube*; *In obſcuritate*; *In denſa caligine*; aut, *In denſa Nube*; *vel ſimile quid:* eò quòd Materiæ reſpectu imperfecti nimis ſumus ad Illum apprehendendum. Hoc ſenſu dicitur; *Nubes & caligo in circuitu ejus:* docemur etenim, noſtrammet propriam caliginem nos impedire; nequaquam autem, quòd DEUS ſit corpus, nube, nebulâ, vel caligine cinctum, quæ nos impediant, quò minùs

Pſal. 97.2.

vide-

videri posʃit; quemadmodum ex ſenſu litterali verborum ipſius Parabolæ apparet. Atque hæc ipſa Parabola repetita eſt alibi quoque, ubi dicitur; *Ponet tenebras latibulum ſuum.* Pſal.18.12.

Sic, quando DEUS dicitur *revelari in denſa nube, tenebris, aut caligine*, ad hoc ipſum docendum dicitur. Exod.19. & 33. & 34. Nam quicquid apprehenditur in Viſione Propheriæ, id Parabola eſt ad rem aliquam ſignificandam. Licèt autem excellens illa Viſio maxima ſit omnium Viſionum Propheticarum, & omnem rationem ſuperet; non tamen ſine ratione fuit, quòd DEUS ſe in nube revelârit, verùm ad nos commonefaciendos, quòd Apprehenſio veritatis ejus nobis ſit imposſibilis, propter turbulentam & tenebricoſam illam, quæ nos, nequaquam verò DEUM, circumdat, materiam. DEUS enim non eſt corpus. Præterea, notum & in confeſſo eſt in Gente noſtra, quòd Dies illa, quâ ſteterunt in monte Sinai, fuerit nebuloſa & nonnihil pluvioſa; ſicut dicitur: *DOMINE, cùm egreſſus es è Seir, dum receſſiſti ex agro Edom,* Judic.5.4. *Terra concuſſa eſt, etiam Cœli ſtillaverunt, etiam Nubes ſtillaverunt Aquas.*

In hunc etiam deniq; ſenſum accipiendum eſt, quod dicitur, *Mons* Deut.4.11. *autem ille ardebat igni, uſque ad medium Cœli, Tenebræ, Nubes & caligo:* non quòd circa DEUM aliquæ ſint tenebræ. Nullæ enim ſunt penes ipſum tenebræ, ſed lux magna, fortis & perpetua, quæ per influentiam, ab ipſa promanantem, omnes tenebras illuminat; ſicut in Parabolis Prophetię dictũ eſt: *Terra ipſa ſplendet propter gloriam ejus.* Jerem.43.2.

CAP. X.

Privationes non niſi per accidens Efficientem cauſſam habere. Mala *quatenus* DEUS *facere dicatur.*

LOQUENTES iſti, ſicut alibi te docui, nullam agnoſcunt Privationem, niſi Privationem puram-putam. Privationes habituum non reputant pro Privationibus, ſed exiſtimant, Privationem & Habitum ad invicem ſe habere ſicut duo contraria. E.G. Cœcitas & Viſus, Vita & Mors, ex ipſorum ſententia, ad invicem ſeſe habent ſicut Calor & Frigus.

Loquentes *non agnoſcunt Privationes Habituum.*

Hinc pronunciant & concludunt, Privationem non egere Efficiente, ſed Effectum, ſive Opus: id quod ex parte, vel reſpectivè verum eſt. Verùm, licèt dicant, Privationem non opus habere Efficiente; tamen dicunt, quòd DEUS reddat cœcos, mutos, & rem mobilem

vel

vel motam quiescere faciat: propterea quòd istæ Privationes ipsis sunt res reverà existentes.

Quocirca necesse est, ut nostram tibi exponam, ex principiis & fundamentis Philosophiæ, sententiam.

Impedimentum auferens vocatur Motor.

Nôsti, illum, qui impedimentum aufert, aliquo modo esse Motorem: ut, si quis removeat columnam sub trabe aliqua, & trabs propter gravitatem suam naturalem corruat, dicimus, quòd is, qui columnam abstulit, trabis motum seu lapsum sit caussatus; sicuti hoc in *Libris Auscultationis* ab Aristotele quoque est traditum. Hoc respectu dicimus etiam de eo, qui aufert habitum aliquem, quòd privationem fecerit, licèt privatio illa non sit res existens. Nam quemadmodum de eo, qui noctu candelam extinguit, dicimus, quòd tenebras innovârit; ita dicimus de eo, qui visum corrupit, quòd cœcitatem fecerit: licèt Tenebræ & Cœcitas sint Privationes, nulloque Efficiente opus habeant.

Secundùm hanc expositionem declarationem & lucem accipit
Jesa.45.7. dictum illud Jesajæ: *Qui format lucem, & creat tenebras; qui facit pacem, & creat malum*; quia *Tenebræ* & *Malum* sunt Privationes. Observa enim, quòd non dicat, *Qui facit tenebras*, aut *Qui facit malum*, propterea quòd non sunt res existentes, ut *Faciendi* verbum, vel *Actio* de iis dici possit; verùm de utroque dicit, *Bore* Creans, quod verbum in
Genes.1.1. Lingua Hebraica etiam ad Privationem refertur, sicut dicitur; *In principio creavit* DEUS, &c.

Talis itaq; est ratio Privationis ad operationem Efficientis, sicuti prædiximus. Atque secundùm eum modum intellige id, quod dici-
Exod.4.11. tur; *Quis posuit os in Homine? vel quis ponit surdum, vel mutum, vel videntem, vel cœcum? an non ego* DOMINUS? &c. Licèt aliter quoque exponi possit; ita videlicet, ut dicat: *Quis est, qui creat Hominem loquentem, aut qui creat eum loquelâ privatum?* ac sensus sit, qui existere fecit materiam, quę illum habitum (vel quicunque demùm sit) non recipit. Nam qui existere facit materiam habitum aliquem recipere non valentem, de eo dicitur, quòd Privationem illam fecerit; quemadmodum de eo, qui aliquem à morte liberare potuisset, nec liberavit, dicitur, quòd illum occiderit.

Privatio per accidens dependet ab operatione Efficientis.

Sic itaq; manifestum tibi est, quòd Actio vel Operatio Efficientis nullâ ratione dependeat à Privatione, verùm per accidens Privationem fecisse dicatur; sed quòd res illa, quam per se Efficiens efficit, de necessitate sit res existens, qualiscunque demùm Efficiens fuerit, ac proinde ipsius actio dependeat à re existente.

Hac

Hac Propositione sic præmissâ, dicendum quoque tibi est de Malis; quòd sc.(prout per demonstrationem jam est ostensum) sint Mala non nisi respectivè & comparativè ad rem aliam: &,quòd omne Malum in Ente aliquo existente existens, sit vel privatio illius rei ipsius, vel privatio boni alicujus è bonis illius. Hinc dicunt absolutè & præcisè, *Mala omnia esse Privationes.* E.G. In Homine Mors est malum, & est Privatio illius. Sic, Morbus, Paupertas, Inscitia, sunt mala, & sunt Privationes habituum. *De Malis.* *Mala sunt privationes.*

Ac, si hanc Propositionem universalem probè consideraveris, & secùdùm particularia vel singularia ejus omnia examinaveris, invenies ne unicū quidem excipi, nisi fortè apud eum, qui nequit distinguere inter Privationem & Habitum, aut inter duo contraria, vel qui Naturas omnium rerum ignorat: ut E.G. qui ignorat, quòd Sanitas consistat in æquabili Temperamento; quòd sit in Prædicamento Relationis; quòd Privatio Proportionis illius in genere sit Morbus; quòd denique Mors sit Privatio Formæ in omnibus Animalibus, quemadmodum Corruptio & Interitus aliorum Entium est Privatio Formæ illorum.

Post has itaque conclusiones liquet in rei veritate, quòd de DEO Opt.Max. non possit absolutè dici, *quòd Malum per se faciat*, quòd Intentio ejus prima & principalis sit, *facere Malum.* Hoc inquam nullo modo dici potest: nam actiones ejus omnes sunt optimæ, quia Ipse nihil facit præter Existentiam; Existentia autem omnis bona est. Mala verò sunt Privationes, à quibus Actio non dependet, nisi eo modo, quo exposuimus, dum nempe facit, ut Materia hanc naturam, quæ in ipsa est, habeat, ut perpetuò ipsi Privatio sit conjuncta, sicuti jam notum est; atq; propterea caussa sit omnis corruptionis omnisque mali. Ideò illa, quibus DEUS istam materiam non largitus est, non corrumpuntur, neque malis afficiuntur. *De Deo non potest dici, quòd faciat Mala.*

His ergo ita sese habentibus, Actiones DEI omnes bonæ sunt, quia nil sunt nisi Existentia. Hinc dicitur in Libro illo, qui illuminat Tenebras hujus Mundi; *Et vidit DEUS omnia, quæ fecerat, & erant valdè bona:* ita ut etiam Existentia materiæ istius inferioris, quatenus sibi unitam habet privationem, mortem & mala quævis caussantem, bona sit ad conservationem Generationis, & Existentiæ sive Entium propagationem, dum uno abeunte vel intereunte aliud exsurgit. Ideoque Rabbi Meir verba ista, *Et ecce, erant bona valdè,* ita exposuit, ut dixerit; *Mortem etiam esse bonam*, eo nempe sensu, quem indigitavimus. *Actiones Dei omnes bonæ.* Gen.1.31.

Quare diligenter ista retine & ruminare, quæ tibi in hoc capite proposui. Sic enim clara fient tibi, quæcunq; Prophetæ & Sapientes nostri dixerunt, quòd omnia bona per se ab operatione DEI proveniant. Ita enim legimus in Bereschith magno; *Nulla res mala descendit à desuper* (h.e.ex Cœlo).

CAP. XI.

Dissensiones, Contentiones, & reliqua Mala inter Homines, oriri ex Privatione.

Dissensiones & contentiones inter Homines oriuntur ex Privatione.

MALA ista, quæ inter Homines inter se invicem incidunt, ex diversis nempe illorum studiis, voluntatibus, affectibus, sententiis & opinionibus; illa inquam mala omnia quoque Privationem consequuntur. Proveniunt enim cuncta ex Ignorantia, h.e. *ex Privatione Sapientiæ.* Quemadmodum cœcus, quia visu orbatus est, subinde impingit, & non solùm se-ipsum, sed alios quoque lædit, eò quòd neminem habeat, qui ei viam monstret; sic è qualibet secta inter Homines, illi, qui ei addicti sunt, suâ ignorantiâ non solùm sibi, sed & aliis, mala multa inferunt. Quòd si enim adesset Sapientia, quæ ad formam humanam sese habet sicut facultas videndi ad oculum, cessarent omnia illa detrimenta. Nam cùm cognoscitur veritas, perit odium, invidia, & contentio, quibus se invicem proscindunt. Ita promisit hoc DEUS apud Prophetam, ubi primò dicit; *Et habitabit lupus cum agno*, &c. Item; *Et oblectabit se infans*, &c. posteà caussam subjungit, inquiens, quòd caussa sublationis odiorum, litium, & contentionum futura sit *Cognitio DEI Creatoris*; quâ instructi illo tempore esse debeant, dum inquit: *Non nocebunt, neque perdent in universo monte Sanctitatis meæ, quia repleta est Terra cognitione DOMINI, sicut Aquæ Mare operientes.*

Ignorãtia multorum malorũ caussa.

Jesa.11.6.7.8.

CAP. XII.

Non esse in Mundo plura Mala quàm Bona. Tria Malorum esse genera.

Crediderunt multi plura esse Mala, quã Bona in Mundo.

SÆPISSIME solent in cordibus Hominum imperitorum istiusmodi cogitationes exsurgere, ac si longè plura essent in Mundo

Mundo Mala quàm Bona: ita ut in multis poëmatis & cantilenis Gentilium hæc & similia reperiantur; *Miraculi instar esse, quando in Tempore boni aliquid invenitur: Mala autem esse multa & perpetua.*

Atque hic error non solùm in Vulgo obtinuit, verùm etiam apud eos, qui Sapientes haberi volunt, & apud ipsum *Alrasi* in libro illo celebri, quem *Sepher Elohuth* h.e. *Theosophiam* nominavit, in quo multa ex deliriis & stoliditatibus suis congessit, è quibus & istud est, quòd plura existant Mala quàm Bona; eò quòd, si comparationem instituas inter recreationes & voluptates Hominis, quas tempore tranquillitatis percipit, cum doloribus, cruciatibus, perturbationibus, defectibus, curis, sollicitudinibus & afflictionibus, deprehendatur, vitam Hominis, illorum bonorũ respectu, esse Vindictam magnam, & Malum magnum. Atque hujus sententiæ confirmationem incipit recensione Malorum istorum omnium sigillatim demonstrare, hocq; pacto contradicere iis, quæ Viri veritatis amantes senserunt de magna DEI Benignitate & Beneficentiâ erga Creaturas suas, quòd ipse non solùm perfectè bonus sit in se, sed etiam nil nisi bonum ab ipso proveniat.

Caussa erroris fatui istius Hominis, & omnium ipsius sociorum, est, quòd Existentiam Hominis, non nisi in Individuo aliquo consideraut, & existimat unusquisq; stultorum illorum, et tam Rerum Naturam sui caussâ existere, & nihil præter ipsum esse, ac, cùm aliquid contra illius voluntatem accidit, totum Mundum malum esse concludit. *Caussa erroris illius.*

Quòd si autem Homo totam Rerum Universitatem consideraret, ac perpenderet, quàm exigua illius pars sit, manifesta ipsi fieret veritas, ac videret, quòd istud deliramentum de pluralitate Malorum in Mundo, quo amentiam suam isti Homines produnt, non possit applicare ad Angelos, Orbes cœlestes, Planetas, Stellas, Elementa, & quædam, quæ ex illis sunt composita, ut sunt Mineralia, Plantæ, neque etiam ad quasdam species Animantium. Verùm non longiùs progreditur ratiocinatio ipsorum, quàm ad quædam Individua inter Homines. Mirantur, si aliquis noxiis cibis vescatur, ita ut leprosus fiat, quomodo tantum malum in ipso oriatur & existat! Ita mirantur, eum, qui immodicâ Venere utitur, oculorum aciem amittere! & durum admodùm ipsis videtur, si cœcitate ejusmodi Homo percutiatur! ac similia.

Vera hujus rei consideratio est hæc; quòd universi Homines, qui existunt, & præter ipsos reliquæ Animalium species, nullam ha- *Homo est exigua admodum Mundi pars.*

beant proportionem ad totam hanc Mundi Universitatem, sicut Scriptura inquit; *Homo vanitati similis est.* Item; *Quantò magis Homo vermis, & filius Hominis vermiculus?* Item; *Etiam qui inhabitant domos luteas.* Item; *En Gentes sicut stilla situla!* Sic omnia ea, quæ in hunc sensum dicta extant in libris Prophetarum, permagnam habent utilitatem, ut exinde Homo discat se-ipsum cognoscere, & se non decipiat, existimando, totum Mundum propter ipsum solùm esse conditum: sed sciat, Mundum, ex nostra sententia, esse propter Voluntatem Creatoris, Hominemque exiguam illius partem constituere respectu Existentiæ superioris, Sphærarum sc. & Stellarum; respectu autem Angelorum nullam planè esse inter illos & ipsum proportionem. Attamen omnium Creaturarum in Mundo nostro hoc inferiori præstantissima est Homo, h.e. earum, quæ ex Elementis sunt compositæ.

Psal.144.4. Jobi 25.6. Jobi 4.19. Jesa.40.15.

Præterea, Existentia ejus est maximum donum ac beneficiũ DEI, respectu illius proprietatis & perfectionis, quam ei dedit: Mala autem, quæ singularibus ejus Individuis eveniunt, maximâ ex parte sunt ab ipsismet illis Individuis imperfectis. Et nos de imperfectione nostra conqueremur, ægréque feremus ea mala, quæ nosmet ipsi per liberam nostram voluntatem nobis inferimus, & ea DEO imputabimus? Absit hoc, ut ab ipso sint! A' nobis ipsis proveniunt, sicut dicitur; * *Corrumpit'ne eum* (DEUS sc.)? *Non. Filiorum ejus est vitium ipsorum,* &c. (h.e. Mala, quæ eveniunt Homini, non procedũt ex parte DEI, sed à filiis ejus, qui vitiosi sunt & imperfecti, ut *Schem tobh* explicat). In hunc sensum inquit Salomon; *Stultitia Hominis pervertit viam ejus.*

Mala, *quæ Homini eveniunt, proveniũt ab ipsomet Homine.*

Deut.32.5.

* *Ita videntur mihi ex mente Authoris verba Hebræa transferenda esse.*

Prov.19.3.

Ut clarior fiat res, sciendum, *omnia Mala, quæ Homini eveniunt, ad aliquam trium harum specierum referri posse.*

Tres sunt Malorum *species.*

Prima species Malorum est illorum, quæ accidunt Homini ex parte Naturæ Generationis & Corruptionis, h.e. quatenus constat ex Materia. Nam hanc ob caussam accidit, ut quidam Homines vel ab ipsa nativitate multis & magnis vitiis, vel mutilationibus membrorum sint obnoxii; vel posteà demùm à variis mutationibus, quæ fiunt in Elemẽtis, ab Aëre infecto, à rudibus ac duris tempestatibus, (quæ in Lingua nostra vocamus לנכי״ש), à ruinis vel inundationibus locorum (vel *ab hiatibus Terræ*, quales in Terræ-motibus solent accidere) obnoxii reddantur.

Prima species Malorum, quæ provenit ex Generatione & Corruptione.

Jam explicuimus alibi, Sapientiam Divinam requirere, ut nulla fiat Generatio, nisi per Corruptionem: & si absque illa corruptione indi-

individuali esset, non continuari posse Generationem specificam. Propterea hinc etiam patet Benignitas, Gratia & Beneficentia munifica DEI Opt. Max. erga Hominem. Qui vult habere carnem & ossa, & non recipere actionem, neque subjici iis, quæ Materiam solent apprehendere; is utique, se non animadvertente, conatur conjungere & congregare duo contraria; dum vult, ut id, quod recipit actionem, (h.e. *Materia*) non recipiat actionem, (h. e. *vult, ut Materia in creatione accipiat Formam, humanam sc., & ut posteà nullam ampliùs suscipiat*). Quòd si non reciperet actionem (*Materia prima*), non esset generabilis, & essent ea, quæ ab ipsa existunt, pura-puta Individua, non verò Individua speciei, (h.e. *tot essent Individua, quot species; non verò multa unius speciei Individua: unumquodq; singulare enim ex illa generatum Formam suam retinebit, neq; aliam recipiet*, &c.) Verissimum est, quod *Galenus* scripsit *in libro tertio de Usu partium*: *Noli*, inquit, *vanâ spe lactare animum tuum, ac si ex sanguine menstruo & concubitu seminis generari posset Animal immortale, doloris expers, perpetuò se movens, vel Solis instar splendens.* Quo dicto Galeni admonemur ex parte, Axiomatis sive Conclusionis cujusdam universalis, cujus hæc est summa; *Quicquid ex Materia aliqua (quacunq; illa demùm sit) generari potest, id in summa perfectione generari, quà quidem fieri potest, ex Materia illa specifica: sed Individua speciei subjecta esse imperfectioni, secundùm imperfectionem Materiæ ipsius Individui.* Ita summum ac perfectissimum, quod ex sanguine & semine generari potest, est species Hominis, quemadmodum ex Natura ejus cognosci potest: est enim Animal rationale, mortale; sed fieri nequit, quin ista species Malis quibusdam nonnunquam vexetur. Interim tamen invenies, quòd hujus speciei Mala, quæ Hominibus evenire solent, paucissima sint, & non nisi rarissima. *Mala hæc pauca sunt & rara.* Quàm-plurimas enim numerabis Civitates aut Provincias, quæ à mille annis nunquam vel à Terræ-motibus absorptæ, vel incendiis conflagratæ sunt. Ita mille nascuntur Homines sani, neque nisi per miraculum & extraordinariè, qui vitio aut defectu aliquo laborent. Quòd si Adversarius aliquis hic cavillari velit, ac negare, extraordinariè & raró ista accidere; negare tamen non poterit, paucissima esse istiusmodi exempla respectu aliorum, neque vel centesimam vel millesimam partem eorum, qui sano ac benè constituto corpore nascuntur.

Secunda species Malorum est eorum, quæ Homines ipsi sibi invicem, vim ac violentiam erga se invicem exercendo, inferunt. *Secunda species Malorum, quæ Homines sibi invicem inferunt.*

Hæc Mala frequentiora & crebriora sunt quàm Mala primi ge-

Hæc species frequentur. neris, cujus rei caussæ sunt multæ & notæ, ac illæ etiam à nobis, sed tamen non possumus illa evitare. Atque hoc pacto, quamcunque velis, sumas Provinciam, nullam tamen invenies, in qua Malum hoc universale sit, & in omnes ejus incolas diffusum, sed inter paucos tantùm; ut, cùm unus alterius vitæ vel opibus insidiatur. Involvuntur equidem multi istiusmodi Malis per bella & similes calamitates; sed quid hi sunt ad ingentem illam totius Orbis multitudinem?

Tertia Malorũ species, qua Homo sibi ipse infert. *Tertia species Malorum* est eorum, quæ Homo suis actionibus ipsemet sibi infert.

Hæc sunt frequentissima. Et hoc sæpissimè accidit, suntq; ista Mala longè plura quàm Mala secundæ speciei. De hujusmodi Malis conqueruntur omnes Homines, quia non nisi paucissimi fortè reperiuntur, qui non peccent contra se-ipsos. Ideoque meritò reprehenditur & culpatur is, cui inopinatus casus vel infortunium aliquod accidit, dicique potest ei,
Malach.1.9. quod Propheta ait; *De manibus vestris fuit hoc vobis.* Hanc ob caussam
Prov.6.32. dicitur quoque; *Corrumpit animam suam, qui fecerit illud.* Et de hoc
Prov.19.3. Malorum genere inquit Salomon: *Stultitia Hominis pervertit viam ejus.* Et alibi de hoc eodem genere Malorum, quæ Homo sibi ipse
Eccl.7.v.ult. infert, apertè ita loquitur; *Tantummodò vide, hoc inveni, quòd* DEUS *fecit Hominem rectum: ipsi autem quærunt* cheschbonoth *cogitationes, ratiocinationes multas. Cheschbonoth* enim sunt illa, quæ præcipitant
Job.5.6. Hominem in istiusmodi Mala. De his Malis inquit Job; *Etenim non egreditur de pulvere iniquitas, nec de Terra oritur molestia, labor:* & statim explicat, quòd Homo ipse illa efficiat & procreet, dicendo; *Nam Homo ad laborem natus est,* &c.

Unde hæc species Malorum oriatur. Hæc species Malorum consequitur ex omnibus pravis & vitiosis qualitatibus, h. e. vel ex nimio cibi, potûs & coitûs appetitu; vel ex nimio, superfluo aut inordinato etiam illorum usu; vel ex corrupta nutrimentorum qualitate. Hæc enim caussa sunt omnium tàm *corporis* quàm *animi* morborum & ægritudinum. Ac de *corporalibus* quidem res est nota & manifesta. *Animi* morbi ex malitia hujus ordinis duplici modo proveniunt. *Uno modo* per mutationem, quæ necessariò apprehendit animam propter mutationem corporis, quatenus est potentia corporalis, sicut vulgò dicitur; *quòd Mores animi sequantur temperamentum corporis. Altero modo,* dum Anima rebus non-necessariis assuescit, & naturale quasi illi redditur desiderium illarum rerum, quæ neque ad conservationem Individui, neque ad conservationem speciei sunt necessariæ. Et hic appetitus, hoc desiderium res

Animi morbi quomodo ex vitiosis & pravis qualitatibus oriantur.

est,

est,quæ nullum finem nullumque modum novit; verùm res omnes necessariæ certum numerum finemque habent,sed superflua nequaquam. Si enim vasa tua omnia sint argentea,nunquid statim cogitas, an non pulchriora essent ex auro? Alii conficient illa ex Sapphiris,alii ex Smaragdis,alii ex Rubinis,vel ex aliis,quæ excogitare possunt. Hîc jam non deerunt stulti & vesani Homines,qui se cruciabunt & affligent,qui ingemiscent, quòd illorum facultates non permittant similes superfluitates, sicut alii, sibi comparare. Multi harum rerum non-necessariarum acquirendarum gratiâ in extrema pericula in Mari,vel Regum Principúmve aulis se conjicient,& cùm infortunium aliquod in itinere suo experiuntur,contra DEUM, ejusq; decreta & judicia fremunt & murmurant,de Temporis injuria quiritantur,iniquè deniq; secum agi putant,quòd non ad magnas divitias possint pervenire,unde vel vina multa ad ebrietatem sibi comparare,vel concubinas multas alere,easq; omnis generis ornamentis ex serico,auro,argento,gemmisq; pretiosis,ad libidinem suam ultra vires accendendam & excitandam,voluptatis caussâ,exornare possint; quasi hoc saltèm fine in hoc Mundi Theatro collocati essent,ut vanis istis voluptatibus se oblectent! Immò huc-usq; processit error Hominum imperitorum,ut DEUM ipsum authorem hujus Universitatis accusârint,quòd talem eam fecerit,ut istiusmodi magna Mala (ex ipsorum nempe opinione) produceret, quòd non Homines in vitiis quibusvis submersos, ad complenda infinita malæ Animæ desideria adjuvet,sicuti exposuimus. Verùm melioris notæ & sapientiores Homines agnoverunt & intellexerunt summam hujus Universitatis Sapientiam. Hinc ait David; *Omnes viæ DOMINI sunt Sanctitas & Veritas custodientibus fœdus ejus & testimonia ejus:* quibus verbis docet,quòd illis, qui Naturam hujus Universitatis & præcepta Legis observant,finemque illorum intelligunt,Sanctitas & Veritas DEI in cunctis patefiat. Idcircò etiam finem illum,ad quem conditi sunt, ubiq; & in omnibus sibi proponunt,Apprehensionem nempe Creatoris; corporis autem necessaria quærunt secundùm necessitatem, ut,panem ad comedendum, vestimenta ad induendum,nullâ habitâ ratione ullius superfluitatis. Atque hoc exigui est negotii,facillimoq; labore impetratur,si quis contentus sit rebus necessariis. Quòd si difficultas aliqua hîc apparet,non est ea ulla,nisi propter res superfluas. Nam dum quærimus res non-necessarias,difficilis quoque redditur rerum necessariarum acquisitio; quò plura enim superflua & non-necessaria Homo appetit

Desiderium rerum non-necessariarum est sine modo.

Psal.25.10.

petit & concupiſcit, tantò res eſt magis ardua & difficilis: quia, dum atteruntur & conſumuntur vires in rebus non-neceſſariis, deficiunt poſteà in neceſſariis. Conſideremus iſta in hac Univerſitate ipſa.

Quæ neceſſaria ſunt, majori in copia exiſtunt, quàm non-neceſſaria.

Quò magìs quid viventibus eſt neceſſarium, tantò majore in copiâ exiſtit, & tantò minori pretio vel negotio acquiritur; quò autem quid eſt minùs neceſſarium, tantò eſt quoq; rarius & carius. E. G. Neceſſaria ſunt Homini, Aër, Aqua, Alimentum, ante omnia autẽ Aër; nam ſi Homo vel horulâ unâ illo careat, Mortis eſt certiſsimum mancipium: ſine Aquâ poteſt diem unum & plures ſubſiſtere, ideò Aër quoque & majori copiâ exiſtit & faciliùs acquiritur. Et quia major eſt neceſsitas Aquæ quàm Ciborum, (nam ſi Homo bibat, licèt nihil comedat, poteſt quatuor vel quinq; dies ſine ullo cibo vivere), ideoque ubivis locorum & majori in copiâ & viliori pretio Aquam quàm cibum invenies. Sic porrò ſe res habet cum varietate ciborum. Qui cibi ſunt magìs neceſſarii, ii abundantiùs & faciliùs etiam in quovis loco reperiuntur, quàm qui non ſunt neceſſarii. Quod verò attinet Muſcum, Ambram, Rubinum, aliosque lapides pretioſos, non exiſtimo quemquam ſanæ mentis judicaturum, illa Homini extra Medicinæ uſum magnoperè eſſe neceſſaria, ſed illorum & aliarum ſimilium rerum loco herbis & pulveribus quibusdam odoriferis uti poſſumus. Atque ita apparet Benignitas DEI erga Creaturas ſuas, inprimis erga tàm debile & infirmum Animal.

Æqualitas & proportio in Creaturis.

Æqualitas autem & æqua, quã obſervat inter illas, proportio hinc eſt manifeſta & illuſtris, quòd in Generatione & Corruptione naturali nullum ſit Individuum ex omnibus ſpeciebus Animaliũ, quod vel peculiari aliquâ facultate, vel pluribus membris, aliud ejusdem ſpeciei ſuperet; ſed facultates Naturales, Animales & Vitales omnes, membraque omnia, quæ in uno Individuo conſpiciuntur, eâdem ratione in aliis quoque reperiuntur. Quòd ſi in aliquo quædam occurrat imperfectio & defectus aliquis, illud per accidens tantùm ſit, & eſt novum quippiam, cujusmodi res nõ ſunt naturales, ſed rarò contingentes, ſicuti ſuprà oſtendimus. Nulla eſt differentia inter illa, quæ ſecundùm conſuetum Naturæ curſum producuntur, niſi quam cauſſatur diverſa præparatio aut diſpoſitio Materiarum, quæ neceſſariò eſt in natura Materiæ illius ſpeciei, non verò ex certa intentione. Quòd verò E. G. apud unum reperiuntur multa vaſcula balſami pretioſi, veſtimenta deaurata, &c. alius verò illis caret, in hac differentia nulla eſt iniquitas vel violentia. Qui enim ad

talem

talem abundantiam pervenit, nullam prærogativam ad substantiam suam acquisivit, sed vanitatem fallacem & ridiculam est adeptus; & qui opibus istiusmodi caret, is nequaquam re aliquâ necessariâ destitutus est. Scriptura inquit; *Non superfuit ei, qui plus, neq; defuit ei, qui minus collegit: singuli, quantum comedere poterant, collegerunt.* Hoc est commune & ordinarium omnibus ferè temporibus & omnibus in locis; neque respiciendum est ad exempla extraordinaria, sicuti exposuimus. Exod.16.18.

Et secundùm duas istas considerationes nota fit tibi tùm Benignitas DEI Opt. Max. erga Creaturas suas, quòd necessaria illis ordinariè exhibeat; tùm Æquitas ejus, quam inter Individua uniuscujusque speciei in ipsorum Creatione observat. *Benignitas & Æquitas Dei.*

Ex hac consideratione dicit Princeps Prophetarum; *Omnes viæ ejus sunt judicium.* Et David; *Omnes viæ DOMINI Misericordia & Veritas,* &c. Et clarissimè alibi; *Bonus est DOMINUS erga omnes, & misericordia ejus super omnia ejus opera.* Nam maximum Beneficium est, quòd nobis dedit Existentiam; Misericordiæ verò ejus opus, quòd facultatem rectricem in Animalibus creaverit, sicuti alibi declaravimus. Deut.32.4. Psal.25.10. Psal.145.9.

CAP. XIII.

De Fine hujus Rerum Universitatis.

VEHEMENTER perplexi sunt Viri quidam perfecti in indagatione Finis totius hujus Universi; quocirca explicabo tibi nunc, quâ ratione quæstio ista ex omni parte tollatur.

Dico ergo: Omnis agens, qui cum intentione agit, necessariò propositum sibi habet in illa re, quam efficit, finem aliquem, propter quem illam facit. Atque hoc ita manifestum est, ut nullâ demonstratione indigeat, secundùm speculationem Philosophicam.

Non minùs evidens est, Rem illam, quæ cum intentione facta est, posteaquàm non extitit, innovatam & productam esse.

Clarissimum insuper & extra omnem contradictionis aleam est & hoc; Id quod necessariæ est existentiæ, quod non-Ens nunquam nec fuit, neque erit, nullo opus habere Efficiente, (sicuti alibi à nobis jam est declaratum); ideoq; quia factum non est, cessat quæstio de Fine ipsius. Hinc non quæri potest, Quis sit finis Existentiæ Creatoris? quum non sit res creata.

Quocirca juxta has hypotheses liquet, Finem quæri in omnibus

Finis quæritur tantùm in rebus innovatis.

rebus innovatis, quæ factæ sunt cum intentione principii Intellectûs; h.e. necessariò quæri Caussam finalem illorum, quæ habent principium intellectuale: illius autem, quod non est innovatum, finem non inquiri, sicuti commemoravimus.

Hoc fundamento ita posito, scito, nullam neq; secundùm nostram de Novitate Mundi, neque secundùm Aristotelis de Antiquitate ejusdem, sententiam, viam esse investigandi Finem totius hujus Universi.

Secundùm Aristotelis sententiam de Antiquitate Mundi, non potest quæri de fine hujus Universi.

Nam secundùm sententiam illius de Antiquitate Mundi, non potest quæri Finis partium illius. Secundùm ipsum enim nequit dici; Quisnam est finis existentiæ Cœlorum? &, Quare hac mensurâ, hócve numero sunt conditi? neque, Quare materia est talis? neque, Quis est finis hujus speciei Animalium, aut Plantarum? Omnia namque secundùm ejus opinionem sunt per æternam necessitatem, quæ semper fuit & semper erit. Ac licèt scientia Naturalis investiget Finem cujusvis rei Naturalis; non agit tamẽ de Fine illo ultimo, de quo nos in præsenti capite loquimur. Nam certum & manifestum est, in scientia Naturali nullum Ens naturale sine fine aliquo esse posse; licèt caussa hæc finalis (quæ nobilissima est omnium quatuor caussarum) occulta sit in plerisq; speciebus. Hinc inquit passim Aristoteles; *Naturam nihil agere frustrà*, h.e. nullam Actionem naturalem sine fine esse posse. Ita ostendit idem Aristoteles, Plantas creatas esse propter Animalia. Ita docet de aliis quibusdam Entibus, quomodo unum alterius caussâ sit creatum, inprimis verò de membris sive partibus Animalium. Hujus rerum Naturalium finis Existẽtia permovit Philosophos, ut coacti fuerint aliud, præter Naturam, principium credere & agnoscere; illud nempe, quod Aristoteles vocat *Principium Intellectuale* aut *Divinum*, quod unum (Ens) propter aliud, vel alterius caussâ facit. Ac scias, ex maximis argumentis de Novitate Mundi, ei, qui confitetur veritatem, esse istud, quod habet demonstrationem in Entibus naturalibus, quòd unumquodque illorum habeat finem alium, & quòd unum sit propter alterum; argumentum scilicet petitum ab intentione Intendentis. Non enim possumus nobis imaginari intentionem, nisi cum innovatione Innovantis. Verùm revertor ad argumentum capitis

Phys. lib. 2. c. 7.

præsentis, *de Fine* videlicet, & dico; Ostendit Aristoteles, quòd in rebus Naturalibus Efficiens, Forma & Finis unum sint. Unum, dico, specie: Forma enim Rubenis E.G. est Efficiens Formæ Hanochi filii ejus; & res, quam effecit, est communicatio Formæ suæ speciei, Ma-

teriæ

teriæ ipsius Hanochi,(h.e.*quòd speciei suæ formam, materia Hanochi communicat)*: Finis autem Hanochi est, ut sit in ipso Forma humana. Ita ex ipsius opinione in omnibus Individuis illarum specierum, quæ generatione opus habent, tres istæ caussæ unius ejusdemq; sunt speciei. Et istud omne est *Finis* illorum *primus*.

Finem verò *ultimum (specierum Naturalium* sc.) quod attinet, omnes Physici aliquem necessariò illarum finem esse statuunt, sed cognitionem ejus admodùm esse difficilem, multò autem difficillimum *Finem ultimum totius hujus Universi*. Mihi videtur ex verbis Aristotelis, Finem ultimum istarum specierum, *(Naturalium sc. vel Elementarium)*, juxta ipsius sententiam, esse continuationem vel sempiternitatem Generationis & Corruptionis, sine quibus esse nequeunt, ut propagetur indesinenter generatio in ista materia, cujus Individua subsistere nequeunt, & ut generetur ex illa perfectissimum, quod exinde generari potest, (Intentio namque ultima est, ut perveniatur ad perfectionem). Manifestum autem est, perfectissimum, quod ex illa generari potest, esse Hominem, qui est compositorum omnium ultimum & perfectissimum, ita ut hoc respectu verum sit, quod dicitur: Omnia, quæ sunt sub sphæra Lunæ, esse propter ipsum; quia scilicet motus mutationis propter generationem fit, ut ad perfectissimum, quod esse potest, perveniatur. Proinde non potest quæri ex Aristotele, quis sit finis existentiæ Hominis, secundùm sententiam ejus de Antiquitate Mundi? Finis enim primus cujuslibet Individui innovati, ipsius opinione, est perfectio Formæ illius specificæ. Ideò, si in Individuo aliquo perfectæ sint operationes omnes ad formam illam requisitæ, tùm ultimam suam perfectionem est consequutum. Finis autem ultimus est sempiternitas vel sempiterna conservatio istius Formæ per continuationem generationis & corruptionis; ita ut nunquam desinat generatio, per quam producitur perfectissimum, quod esse potest.

Atque ita ostensum est, quòd juxta sententiam de Antiquitate Mundi cesset quæstio de Fine ultimo totius hujus Universi.

Verùm secundùm nostram de Novitate Mundi sententiam, sunt qui existimant, necessariò sequi quæstionem hanc de fine totius hujus Universi. Et sic arbitrantur, quòd finis totius Mundi sit species humana, (ut ea colat Creatorem), & omnia illius causâ facta sint, ita ut etiam Orbes cœlestes non moveantur, nisi propter ipsius utilitates & necessitates. Huic sententiæ patrocinantur quædam loca Prophetarum secundùm sensum litteralem accepta: ut, *Ad inhabitan-*

An secundùm sententiam de Novitate Mundi sequatur quæstio de fine Universi.

Jesa.45.18.

Jerem.33.25. *dum formavit eam.* Item, *Si non erit pactum meum cum die & nocte.* Item, Jesa.40.22. *Et expandit eos tanquam tabernaculum ad habitandum.* Nam si Orbes cœlestes sunt propter Hominem, quantò magis reliquæ Animantium & Plantarum species?

Hominem non esse finem totius hujus Universi.

Quòd si autem accuratè hæc sententia examinetur, (prout Sapientes decet facere), apparebit, quales sub ea lateant errores.

Quærendum est ex tali Viro, qui credit, quòd hujus finis, *Hominis* videlicet, caussâ omnia reliqua existant; An Creator potuisset illum facere sine eis, an verò non nisi post illa existere potuerit? Si dicat, immò DEUM potuisse creare eum sine Cœlo & reliquis, quærendum est, Quémnam ergo usum ista omnia habeant, cùm non sint finis, sed propter rem aliquam, quæ sine illis esse potuisset? Ac licèt omnia dicantur esse propter Hominem, Homo autem, ut colat Creatorem suum, sicut dictum, hæc tamen manet quæstio, Quis sit cultûs illius finis? cùm DEI perfectioni nihil accedat, quamvis eum omnes Creaturæ colerent, perfectissiméque apprehenderent, neque decedat, licèt nihil præter ipsum existeret? Si respondeatur, Hoc non fieri propter perfectionem ipsius, sed propter perfectionem nostram, quia hoc est summum nostrum Bonum, summaque nostra perfectio; consimiliter quæri potest, In quem finem in nobis existat ista perfectio? & necessariò tandem hic erit finis dandus, *Ita voluit* DEUS: vel, *Ita decrevit Sapientia illius*: id quod est verum. Hûc respexerunt Sapientes Israëlis in suis Precationibus, quando ajunt; *Tu separâsti Hominem ab initio, & recognovisti eum, ut staret coram Te; Nam quis dicet Tibi, quid facis? ac, si justus sit, quid dabit Tibi?* His enim verbis innuunt, nullum alium esse finem, quàm Voluntatem DEI Opt.Max. Proinde cùm res ita se habeat, & Novitatem Mundi credamus, necessariò nobis dicendum est, quòd potuerit DEUS hunc Mundum (h.e. caussas & caussata ejus) aliter facere; ac sequitur illi, qui credit finem omnium Creaturarum esse Hominem, absurdum maximum, quòd sc. omnia reliqua Entia præter Hominem, sine certo aliquo fine creata sint, cùm finis illorum, Homo nempe, sine illis omnibus esse posset.

Singula Entia propter se creata sunt, non propter aliud quid.

Quocirca vera & orthodoxa sententia, quæ cum principiis Legalibus & Theoreticis meo judicio convenit, est; Non credendum nobis esse, quòd Entia omnia sint propter Hominem, sed quòd singula sint sui-ipsius, non alterius alicujus, caussâ. Et sic tollitur quoque quæstio illa de fine specierum omnium & singulorum Entium, etiam secundùm sententiam nostram de Novitate Mundi. Nam dicimus, quòd

quòd cunctas Mundi partes per Voluntatem suam condiderit, & quòd quarundam intentio sit propter se-ipsas, quarundam propter aliquid aliud. Illud enim *Aliud* quoque nihil aliud denotat, quàm substantiam illius: sicut voluit, ut species Hominis sit Ens; sic voluisse, ut Cœli, Stellæ & Angeli essent Entia: in unoquoque autem Ente rationem fuisse habitam substantię ipsius Entis; cùm quid sine alia aliqua re præcedente existere non potuit; tùm Ipsum rem illam priùs creâsse, sicut Sensus vel Sensibilitas antecedit Intellectum. Atque hanc sentētiam traditam reperimus in libris Propheticis; *Omnia fecit* DOMINUS lemaanehu, quod exponi potest, *Propter ipsum*, & referri ad ipsum opus. Sin autem exponatur, *Propter se*, & referatur ad Efficientem, exponendum est, *Propter substantiam ejus (*DEI*)*, h.e. propter Voluntatem ejus, quæ nihil aliud quàm Substantia vel Essentia ejus est, sicut alibi in hoc libro declaratum. Ostendimus autem quoque, quòd Gloria DEI etiam vocetur *Essentia ejus*; ut in illo, *Ostende mihi quæso Gloriam tuam.* Et sic, quod hic dicitur, *Omnia fecit* DEUS *propter se-ipsum*, idem foret cum eo; *Omnem, qui vocatur Nomine meo, ad Gloriam meam creavi eum, formavi eum, feci eum:* vel, *Omne, quod vocatur in Nomine meo, id* &c. quibus verbis hoc vult dicere; Quicquid attribuitur Actioni vel Operationi meæ, id propter nihil aliud, quàm propter Voluntatem meam feci. Quod verò ait, *Formavi* vel *Finxi illud, Feci illud*, est illud ipsum, quod anteà exposui tibi, esse quædam Entia, quæ non nisi post alius alicujus rei existentiam existere possunt. Dicit ergo; *Ego formavi* rem illam priorem, quam necessariò præcedere oportuit, ut v. G. Materiam omnibus materiatis; posteà *feci* in re illa præcedente, vel post eam, id, quod facere volebam. Nihil enim ibi est præter Voluntatem ejus. Si inspexeris Librum, qui omnes in rectam viam dirigit, unde etiam *Thora*, h.e. Doctrinalis appellatur, manifestum evadet tibi id, circa quod hic versamur, inde ab initio operis Creationis usque ad finem ejus. De nulla etenim re exponit, quòd propter aliud aliquid facta sit; sed de unaquaque simpliciter pronuntiat, quòd DEUS eam existere fecerit, & quòd existentia ejus intentioni DEI responderit. Hoc namq; est, quod dicitur; *Et vidit* DEUS, *quòd bonum esset.* Nôsti enim id, quod Sapientes nostri dicunt; *Loquitur Lex secundùm Linguam filiorum Hominum.* Nos autem *Bonum* illud vocare solemus, quod cum Intentione nostra congruit, eique correspondet. Ita de omnibus in universum dicitur; *Et vidit* DEUS, *quicquid fecit, & ecce bonum erat valdè.* Q. D. Quicquid innovatum fuit, id Intentioni DEI

Prov.16.4. Exod.33.18. Jesa.43.7. Genes.1. Bonum *quid vocemus.* Genes.1.31.

congruenter innovatum fuit, neque ullo modo illam frustrabit vel abolebit; hoc enim sibi vult particula *Valdè.* Fieri namque potest, ut aliquid Bonum sit, & egregiè cum Intentione nostra ad tempus conveniat, sed posteà fallat, & Intentionem nostram frustret. Ipse autem indicat, quæcunque facta fuerunt, exactè Intentioni ejus respondisse, neque unquam ab illa recessura aut declinatura.

Ibid.v.17.18. Nec est quòd te hîc seducat id, quod de *Stellis* dicitur; *Ut lucerent super Terra, & dominarentur diei & nocti:* existimando, sensum esse, Luminaria ista creata esse, ut hoc faciant. Tantùm enim indicatur Natura illorum, quòd sc. talia illa voluerit creare; *Lucentia* nempe &

v.28. *Dominantia*, sicut de Homine dicit: *Et dominamini in pisces maris.* Horum etenim quoq; verborum non est hic sensus, quòd in hunc finem eum creaverit, sed similiter indicatur Natura ejus, quam ipsi DEUS Opt. Max. est largitus.

An Plantæ propter Hominem & reliqua Animantia creatæ sint?

Quod de *Plantis* dicitur, DEUM illas dedisse & commisisse Hominibus, reliquisque Animantibus; illud explicatum est ab Aristotele & aliis. Videtur autem sic, Plantas omninò propter Animalia existere; quandoquidem sine alimento esse nequeunt: quod de Stellis nequaquam dici potest; non enim sunt illæ propter nos, ita ut aliquid ad nos de Bonitate illarum redundet. Nam id, quod dicitur, *Ut lucerent & dominarentur,* loquitur tantùm (sicuti declaravimus) de utilitate, quæ ab illis influit in inferiora, quemadmodum Naturam influentiæ Boni ex una re in aliam alibi tibi exposui. Bonum illud, quod ex uno in aliud influit, perpetuò videtur in eo, in quod influit, ac si finis esset illius, qui Bonitatem suam hac ratione quasi effundit. Ita existimat nonnunquam Civis vel Subditus aliquis, finem Regis esse, ut custodiat domum ejus noctu à latronibus, id quod ex parte verum est; quia enim domus ejus custoditur, hocque commodum propter Regem ad illum redit, ideò videtur, ac si hic esset finis Regis, custodire domum Viri istius. Et hoc pacto explicanda nobis sunt omnia loca, quæ secundùm litteram videntur docere, Rem nobiliorem factam esse propter ignobiliorem, ac dicendum, hunc esse sensum, quòd res illa ex natura ejus sequatur; firmiterq; credendum, totam hanc rerum Universitatem à DEO intentam esse propter Voluntatem ejus, neque alia caussa, aliúsve finis quærendus: quemadmodum enim non debet quæri caussa finalis ejus Existentiæ, ita nec Voluntatis ejus finis est investigandus, propter quem cuncta ab Ipso sint, & quidem hoc pacto, innovata.

Sed

Sed existimabis fortè, Orbes cœlestes & Angelos propter nos creatos esse. *An Orbes cœlestes & Angeli propter Hominē sint creati?*

Verùm graphicè depictus est nobis gradus & conditio nostra, ubi dicitur; *Et Gentes sicut stilla situlæ!* Examina & explora substantiam suam & substantiam Sphærarum, Stellarum, & Intelligentiarum abstractarum, ac videbis ipsissimam esse veritatem. Cognosces, Hominem quidem esse perfectiorem & nobiliorem inter ea, quæ ex terrestri hac materia sunt composita; verùm si existentiam ejus contuleris cum existentia Sphærarum & Intelligẽtiarum separatarum, multò illis esse viliorem & ignobiliorem. Hinc dicitur; *Ecce, in servis suis non credit, (vel,* non posuit stabilitatem) *nec in Angelis suis posuit* Toholah, (quam vocem diversimodè reddunt Interpretes: quidam *Lucem, Splendorem*; alii *Laudem*; alii *Stultitiam)*; *quantò magis in iis, qui inhabitant domos luteas, quorũ est in Terra fundamentum*, &c. Novisse enim debes, per *Servos ejus* hîc nequaquam intelligi *Homines*; cujus rei probatio est, quod posteà ait, *Quantò minùs in iis, qui inhabitant domos luteas?* sed intelliguntur hîc per *Servos*, de quibus loquitur, *Angeli. Angeli* autem, quorum mentionem facit, dum ait, *Et in Angelis ejus*, sine dubio sunt *Orbes cœlestes*. Eliphas ipse ita exponit, dum in secunda sua Responsione verba hæc Jobi, sed aliis nonnihil verbis, repetit, inquiens: *Ecce, in Sanctis suis non posuit stabilitatem, & Cœli non sunt mundi in oculis ejus*; *quantò magìs abominabilis & contemptibilis Vir bibens sicut aquam iniquitatem?* Hinc enim liquet, *Sanctos ejus* esse *Servos*, de quibus Job loquutus fuerat, illosque nequaquam esse ex specie humana; & *Angelos*, de quibus loquebatur, esse *Cœlos*: Vocis autem *Toholah* sensum esse, *Non sunt mundi in oculis ejus*, quia nempe sunt materiati. Licèt enim materia illa sit purissima omnium materiarum & clarissima; tamen collata ad Intelligentias separatas, est obscura, turbida, crassa, impura. Quod verò ait de Angelis, *Ecce, in servis suis non posuit stabilitatem*, illius hic est sensus, *Non confirmavit ipsis existentiam*: quia enim secundùm nostram sententiam sunt facti, & secundùm sententiam eorum, qui credunt Æternitatem Mundi, sunt caussati vel effecti, ideò existentia ipsorum non est firma respectu DEI Opt. Max., qui prorsus necessariæ est existentiæ. Quod denique ait (Eliphas), *Quantò magìs abominabilis & contemptibilis Vir bibens sicut aquam iniquitatem*, illud est idem cum eo, quod Job dixit, *Quantò magìs in iis, qui inhabitant domos luteas?* Q. D. Etiam abominabilis & contemptibilis vel fœtidus est Homo, in quo iniquitas & perversitas est commixta & diffusa per omnes ejus partes, h.e. in quo est

Jesa.40.15.

Job.4.18.19.

Job.15.15.

est diffusio privationis. עוֹלָה Avlah *Iniquitas* est idē quod עַוְּוּת Ivvuth
Jesa.26.10. *Perversitas*: ut, *In Terra rectorum* יְעַוֵּל jeavvel *iniquè, perversè aget. Isch* Vir, idem est quod *Adam* Homo; sæpissimè enim tota species Homi-
Exod.21.12. nis vocatur *Isch* Vir: ut, *Qui percutit Virum & moritur.*

Sic itaque credendum est, Hominem, cùm noverit substantiam suam, neque in ea erraverit, singulorumq; Entium rationem & naturam intellexerit, quieturum, neque in cogitationibus suis confusum iri, finem quærendo illius rei, quæ nullum alium finem habet nisi Existentiam suam, quæ merè dependet à Voluntate, aut, si mavis, à Sapientia Divina.

CAP. XIV.
Orbes cœlestes non esse propter Hominem creatos.

EX iis, in quibus Homo ad veram sui cognitionem erudiri & informari debet, sunt & ea, quæ de mensura Orbium cœlestiū & Planetarum, eorumque tùm à nobis, tùm à se invicem distantiis, explicata sunt, quemadmodum demonstratæ sunt mensuræ distantiarum omniū,* respectu medii diametri Terræ, (cognita enim cùm sit mensura Terram ambiens, cognoscitur quoq; inde medietas diametri ejus, notęq; fiunt distantię vel longitudines omnes): ut; Ostensum est per demonstrationem, quòd longitudo inter centrum Terræ, & inter supremam altitudinem orbis Saturni, sit octo millium & septingentorum propè annorum iter, cuilibet anno 365 diebus assignatis, quoliberque die 40 confectis miliaribus, secundùm miliaria Legis, quorum unumquodq; mille constat cubitis artificialibus. Hîc quæso nunc perpende magnam & terribilem istam longitudinem, de qua Job ait; *Nónne DEUS in sublimitate Cœli? & vide caput Stellarum, quòd excelsa sunt.* Q. D. An non ex altitudine Cœli addiscis, quàm exiguam habeamus DEI Opt. Max. apprehensionem? Nam cùm secundùm incredibilem ferè hanc longitudinem distemus ab isto corpore, & illud ratione loci tantoperè à nobis sit dissitum, substantiaq; & magna pars operationum ejus à nobis absc͞odita; quantò magìs Apprehensio Factoris & Creatoris ejus, qui est Incorporeus (*est abscondita*)? Atque hîc, quod ad rem facit, sciendum, Longitudinem istam magnam, quæ per demonstrationem probata est, secundùm minimam quantitatem computatam esse. Impossibile enim est, ut inter centrum Terræ & polum sphæræ Stellarum fixa-

[Margin notes: * *vel*, comparatæ ad medietatem diametri Terræ. — *Miliaria Legis quanta.* — Job 22.12.]

fixarum minor quàm ista sit mensura: fieri autem potest, ut multis modis sit major; quia densitas Corporum sphæricorum, (nisi secundùm ejusmodi parvitatem, quæ nequit esse minor, sicuti patet ex epistola Longitudinum), ut & Corporum illorum, quæ sunt inter Sphæram unam & alteram, sicuti ratio postulat, non potest accuratè cognosci, prout *Thebith* meminit; quia nullæ in illis sunt Stellæ, unde id addisci posset. Sphæræ Stellarum fixarum densitas est ad minimum itineris quatuor annorum. Cognoscitur hoc ex mensura longitudinis Stellarum ejus; corpus enim uniuscujusque Stellæ illius æquat mensuram Globi terreni nonaginta vicibus, & possibile est, ut densitas corporis ejus adhuc sit major. Sphæræ nonæ, quæ reliquas omnes motu diurno circumagit, nulla planè scitur mensura; quia enim nulla in illa est Stella, ideò nullum est quoque medium sciendi ejus magnitudinem.

Considera itaque Entia ista corporalia, quanta sit illorum mensura, quantus item numerus? Si Terra tota nullam habeat mensuram ad orbem Stellarum, quam'nam quæso ad Creaturas istas omnes Homo proportionem habebit; & quomodo cogitari potest, quòd ista sint propter eum, illiusque instrumenta? Quòd si autem talis sit ratio vel proportio Corporum, quid fiet, si consideraveris existentiam Intelligentiarum separatarum?

Verùm, secundùm sententiam Philosophorum in hoc negotio, quærere possumus & dicere: Nullum est dubium, si dicamus, quòd finis istorum Corporum sphæricorum sit Gubernatio unius alicujus, vel plurium Individuorum in specie Humana, quin id falsum sit secundùm speculationem Philosophicā; verùm, si statuamus, quòd finis illorum sit Gubernatio totius speciei Humanæ, nulla erit absurditas, dicere, finem istorum potentium Corporum singularium esse Existentiam Individuorum, quæ secundùm sententiam illorum sunt infinita. Nullo exemplo meliùs res illustrari & declarari potest, quàm ab Artifice conficiente Instrumenta ponderis centum librarum ad conficiendam acum exiguam non nisi grani unius pondus habentem. Quòd si propter unam tantùm acum illa faciet, erit id nostro judicio corruptio, destructio consuetudinis, sed non absolutè erit destructio consuetudinis. Nam si instrumenta ista pretiosa fecerit ad faciēdam acum unā post aliam, & sic multa millia acuum, erit omninò confectio hæc Instrumentorum summa scientia & sapientia. Eodem modo finis Sphærarum potest esse conservatio & continuatio Generationis & Corruptionis: finis autem Generatio-

nis & Corruptionis Existentia speciei Humanæ, sicuti jam dictum est, & dicta ac loca quædam Scripturæ exstant, quæ sententiæ huic favent & patrocinantur.

Nobilius non potest esse instrumentum ignobilioris.

Verùm Philosophus hanc Objectionem ita solvit, ut dicat; Si nulla alia esset differentia inter Corpora sphærica, & inter Individua specierum, quæ generantur & corrumpuntur, quàm in Magnitudine & Parvitate, posset istud dici; sed cùm differentia inter illa sit in ipsa substantia, absurdissimum est dicere, Nobilius esse instrumentum illius, quod est vilius & ignobilius.

Sententia Hebræorum de magnitudine Sphærarum.

Summa rei est, quòd hæc Objectio juvat sententiam nostram de Novitate Mundi. Et hæc maximè in isto capite intentio mea fuit: quemadmodum & id, quod semper audivi ab Astronomiæ peritis, illos pro Hyperbolis habere ea, quæ Sapientes nostri de Longitudinibus scripserunt. Dicunt enim, densitatem uniuscujusque Sphæræ esse itineris 500 annorum, & inter singulas Sphæras esse spatium quingentorum annorum. Cùm autem Sphærarum sint septem, erit distantia longitudinis Sphæræ septimæ (h.e. gibbositatis ejus) à centro Terræ septem mille annorum. Hæc verò audiens, arbitratur esse Ironiam vel Hyperbolem in verbis illorum, neque tantæ quantitatis distantiam esse posse. Ex iis, quæ de Longitudinibus per demonstrationem ostendi possunt, est, quòd Longitudo inter centrum Terræ & inter * fundum Saturni, quæ est Sphæra septima, sit iter 7024 annorum propè. Quod verò attinet Longitudinem, cujus anteà meminimus, octo mille nempe & septingentorum annorum, intelligitur ea usque ad concavitatem profunditatis vel imæ partis Sphæræ octavæ, (h.e. *ad Expansionem infimam illius*). Atque sic, cùm dicunt, inter Sphæram unam & alteram tanta est distantia; intelligendum est id de densitate Corporis, quod est inter Sphæras, non quòd ibi detur Vacuum.

* M.S קרקעית *quod significat* Fundũ, Imum: *Impressũ habet* קנוב.

Verùm noli à me requirere, Ut congruant & cum rei veritate conveniant omnia, quæ de rebus Astronomicis scripserunt? quia Disciplinæ Mathematicæ temporibus illis fuerunt imperfectæ, neque de illis scripserunt per Traditionem à Prophetis, sed prout tùm temporis in istis rebus versati erant, vel à Sapientibus temporum illorum audiverunt. Ideò tamen non dico, quòd illa, quæ apud eos cum veritate consentientia deprehendo, non sint vera, aut quòd per accidens eis exciderint. Hominis enim ingenui & veritatis amãtis est, omnia dicta in meliorem partem interpretari, quæ cum existentia per demonstrationem probatã convenire exponi possunt.

CAP.

CAP. XV.
De Natura Impoßibilium.

IMPOSSIBILE Naturam habet firmam & constantem, eamque non ex operatione vel actione Efficientis, & immutabilem: unde DEO non adscribitur potentia & facultas illa faciendi.

Impossibilia nō attribuuntur Deo.

Contra hoc nemo unquam fuit Theoreticorum; neque etiam id cuiquam ignotum esse potest, nisi illi, qui non intelligit intelligibilia.

Controversia autem, quæ existit inter Magistros speculationis, respicit speciem quandam rerum, de quibus nonnulli dicunt, quòd sint ex numero *Impoßibilium*, quorum facultatem DEUS non habeat; alii verò, quòd sint ex numero *Poßibilium*, quæ DEUS pro suo Beneplacito & Voluntate facere queat: ut, V.G. *An poßint duo Contraria conjungi uno eodemq́, tempore & in eodem subjecto? An converti poßit Substantia in Accidens; & vicißim Accidens in Substantiam? An Substantia corporalis poßit esse sine Accidentibus?* Hæc omnia secundùm omnes Magistros speculationis sine contradictione sunt ex numero *Impoßibilium*, non minùs quàm ista; *Quòd DEUS poßit facere aliquem sui similem: Quòd poßit Substantiam suam convertere in Privationem: Quòd poßit se-ipsum facere corporeum, vel mutare*; ista enim omnia à DEO fieri nequeunt. Verùm, *Utrùm facere poßit, ut existat Accidens solum extra Substantiam?* id ab aliquibus, ut *à secta Muatzali*, habetur *Poßibile*, ab aliis verò *Impoßibile*; quamvis non sola speculatio illos, qui affirmant existentiam Accidentis extra Subjectum, ad hoc statuendum induxerit: sed observatio & reverentia quarundam rerum Legalium extorsit ipsis hoc effugium. Sic *Poßibile nostrâ sententiâ est*, ut fiat res corporalis non ex Materia: at *Impoßibile hoc est juxta sententiam Philosophorum*. Ita dicunt Philosophi; *Dari Quadratum, cujus diameter sit æqualis lateri*; vel, *Dari Angulum solidum, quem ambiant vel constituant quatuor Anguli simplices, recti, & similia*, esse Impossibilia: quidam verò Disciplinarum Mathematicarum expertes, qui tantummodò voces, non verò rationes istarum rerum intelligunt, existimant, hæc esse *Poßibilia*.

De quibusdam rebus, de quibus dubitatur, an sint possibiles, an verò impossibiles?

Miror autem, Num ista porta ita aperta sit, & cuivis liceat de re quacunque, quam ipse sibi imaginatur, dicere, quòd sit *Poßibilis*, alio dicente, quòd secundùm rei naturam sit *Impoßibilis*? vel, An sit aliquid, quod istam portam claudat & custodiat, ita ut Homo defi-

nire & decidere posſit, quòd iſtud ſit *Impoſsibile* in ſua natura? &, An probatio hujus rei ſit in facultate Imaginatrice, an verò in Intellectu? Quâ item re diſcernere poſsimus inter Imaginabile & inter Intelligibile? (Quandoque enim accidit, ut quis alii vel etiam ſibi ipſemet contradicat in re quapiam, quæ ſecundùm ipſum eſt *Poſsibilis* in natura ſua, Adverſario ſtatuente, quòd hæc Poſsibilitas ſit ex operatione Imaginationis, non verò in notione Intellectûs). An illa res ſit aliquid extra illa duo ſimul? An denique Intellectu ipſo diſtinguatur inter Intelligibile & Imaginabile? Hæc omnia probè ſunt inquirenda & inveſtiganda: ſed non eſt id noſtri propoſiti in hoc capite.

Oſtenſum eſt, juxta quamlibet ex iſtis ſententiam, eſſe res quaſdam *Impoſsibiles*, quarum exiſtentia eſt falſa, & quæ à potentia DEI Opt. Max. (citra tamen Naturæ ejus imperfectionem, vel Potentiæ imminutionem) excipiuntur; & per conſequens in natura ſua conſtantes, nec ab operatione Efficientis provenientes & dependentes. Oſtenſum etiam eſt, quòd controverſia & diſſenſio omnis ſit tantùm de rebus quibusdam, de quibus diſceptatur, ex quónam ſint genere, *Poſsibilium'ne an Impoſsibilium?*

CAP. XVI.

Expenditur ſententia Philoſophorum de ſcientia DEI circa res ſpeciales & particulares.

Errores Philoſophorum de ſcientia Dei rerum particularium.

ABSURDA & Paradoxa maxima dixerunt Philoſophi *de ſcientia DEI Opt. Max.*, reſpectu rerum extra Ipſum exiſtentium, & in labyrinthum ſe præcipitârunt, unde neque ipſi, neque ipſorum aſſeclæ ſeſe extricare poſſunt. Scrupulos & ſcopulos quod attinet, quæ ipſos ad Paradoxa illa impulerunt, poſteà tibi recenſebo, ſicuti & ſententiam Legis noſtræ; quo modo illa opinionibus eorum pernicioſis & abſurdis contradicat in negotio hoc *de ſcientia DEI Opt. Max.*

Errorum illorū cauſſa.

Præcipuum, quod errori ipſorum anſam præbuit, eſt, quòd in principio cogitationis videtur, ac ſi nullus eſſet ordo, nullaque negotiorum humanorum gubernatio, eò quòd multi ſancti piique Homines vitam ducant miſeram & acerbam, & econtrà multi mali impiique vitâ fruantur dulci & jucundâ.

Hæc

Hæc diversitas & inæqualitas ad sequens dilemma conficiendum caussam ipsis præbuit. *Quomodo probent, Deum non novisse omnia particularia.*

Dicunt; Necesse est ut alterutrum horum duorum sit: Vel ignorat DEUS & non apprehendit ista singularia & particularia; vel apprehendit & novit illa. Disjunctio hæc est necessaria.

Deinde dicunt: Si illa apprehendit & novit, tùm sequitur alterutrũ trium istorum membrorum; Illum vel disponere & regere illa dispositione bonâ, perfectâ & integrâ; vel in disponendis illis succumbere & defatigari, ut non possit; vel denique illum scire & posse illa rectè ordinare & gubernare, sed studio illa deserere & derelinquere, aut quòd nimis sint abjecta, vilia & contempta in ipsius oculis, aut ex æmulatione & invidiâ, sicuti nonnunquam Homo aliquis reperitur, qui posset alteri gratificari, & qui novit illum suâ beneficentiâ opus habere, sed propter malitiam Naturæ suæ & invidiam, quâ illum prosequitur, non vult ei benefacere.

Præterea, ista quoque disjunctiva necessaria est & vera, quòd is, qui novit aliquid, vel curam gerat illius, quod novit, illudque regat; vel illud deserat & derelinquat: sicuti Homo in domo sua obliviscitur gubernationis & curæ felium, catulorum, vel aliarum viliorum rerum: in illo autem, cujus curam gerit, nonnunquam succumbit & deficit, etiamsi voluntatem & propositum habeat curam illius gerendi.

His itaque disjunctivis factis concludunt tandem, & dicunt: Duo ista harum Propositionum de eo, qui rem aliquam novit, membra in Natura DEI esse impossibilia, quòd sc. non possit, aut quòd possit quidem, sed non curet; eò quòd sunt vitiosa, vel imperfectionem & defectum arguunt. Absit enim, ut ista duo DEO adscribere & attribuere velimus!

Propterea ex tota hac disjunctione nihil aliud remanet, quàm quòd nihil sciat istarum rerum, aut quòd illa dispositione bonâ & rectâ ordinet ac disponat.

Jam verò videmus, illa nullo ordine regi, neque prout æquum est & conveniens, sequi & procedere.

Proinde argumento hoc est, illum nullo modo nullâque ratione ea scire.

Et hoc primum est, quod eos ad Paradoxa illa impulit. Invenies autem universa, quæ tibi de ratiocinationibus illorum declaravi, & quòd hîc sit locus erroris ipsorum, apud *Alexandrum Aphrodisæum* in libro, quem *de Regimine* vel *Gubernatione* inscripsit.

Hic verò vide & admirare, quâ ratione in gravius malum, quàm quod fugere voluerunt, delapsi sint, atque Charybdim vitare volentes, in Scyllam inciderint: quomodo item ipsimet ignorantes evaserint illius, de quo contra nos semper testantur & docent.

Gravius illud malum, in quod inciderunt, est hoc, quòd nolentes DEO attribuere *Derelictionem* vel *Oblivionem* rerum humanarum, *Inscitiæ & Ignorantiæ* ipsum coarguunt, quòd ea omnia, quæ in Mundo hoc inferiore geruntur, Ipsi sint abscondita & occulta.

Ignorantia verò illius, de quo semper contra nos testantur & docent, est, quòd probent Existentiam in rebus, quæ spectant Individua & singularia inter Homines, quorum mala vel ab ipsis, vel à necessitate Materiæ proveniunt, sicuti semper & ubique docent: quâ de re quid sit sentiendum, alibi satis superq; dixi.

Posteaquàm ergo fundamentum hoc, quod destruit omne fundamentum bonum, & quod omnis bonæ & salutaris sententiæ splendorem & decorem obfuscat, posuerunt, inceperunt removere absurditatem ejus, asserendo, Scientiam harum rerum DEO multis modis esse impossibilem.

Argumēta Philosophorum contra scientiā Dei singularium.

Primò enim dicunt; Singularia vel Particularia apprehenduntur Sensibus, non Intellectu. DEUS autem non apprehendit per sensus.

Deinde; Particularia sunt infinita. Scientia autem est quippiam definitivum, rem comprehendens & complectens. Quod verò infinitum est, id scientia non potest comprehendere aut complecti.

Tertiò; Cognitio rerum novarum & particularium sine dubio infert quandam mutationem; quia est Innovatio scientiæ unius post scientiam aliam.

Quartò; Secundùm argumentationem nostram, qui sumus Cœtus observantium Legem, & statuimus, quòd DEUS omnia nôrit antequàm fiant, proferunt contra nos duo absurda. *Unum* est, quòd sic suspendamus scientiam à pura-puta Privatione, h. e. à non-Ente. *Alterum*, quòd scientia rei in potentia sit res una, & scientia rei in actu res alia.

Insuper in tàm absurdas & impertinentes cogitationes devenerunt, ut quidam eorum dixerint, DEUM nôsse tantùm species, non Individua; alii verò, quòd nihil nôrit præter substantiam suam; ne videlicet in eo sit multitudo scientiarum, juxta opinionem eorum.

Fuerunt tamen ex Philosophis quoq;, & quidem magni Viri ante Aristo-

Ariſtotelem,qui idem quod nos crediderunt, quòd ſc. DEUS ſciat omnia,nec quicquam coram eo ſit abſconditum,quorum mentionem etiam facit *Alexander* in citato libro. Verùm non adſtipulatur ſententiæ eorum, & inquit, præcipuum, quod ſententiam illorum deſtruit,eſſe id,quod ad oculum videmus,bonis mala, & malis bona multa contingere.

Summa: Oſtenſum tibi hactenus eſt,quòd iſti omnes,ſi res Hominum diſpoſitas & ordinatas inveniſſent eo ordine,quem Vulgus ſibi imaginatur,nunquam in iſtas opiniones conceſsiſſent; & quòd principalis cauſſa impellens ad iſtam ſpeculationem ſit probatio & examen conditionis bonorum & malorum,quæ ipſorum opinione eſt confuſa & inordinata,ſicut fatui noſtri communiter dicunt; *Non eſt per omnia æqualis Via DOMINI.*

Quandoquidem autem expoſui, Scientiam & Providentiam DEI individuo nexu inter ſe conjuncta eſſe,incipiam nunc tibi varias de *Providentiâ* opiniones recenſere,ac dubia,quæ circa DEI ſcientiam rerum particularium moventur,enodare.

CAP. XVII.

De PROVIDENTIA DEI, & quinq; circa eam opinionibus.

QUINQUE ſunt de *PROVIDENTIA DEI* ſententiæ,eæque omnes antiquæ, h.e. inde à temporibus Prophetarum,& revelationis Legis noſtræ,quę iſtas tenebras omnes diſcutit & illuſtrat,cognitæ & auditæ. *Quinq; ſententia de* Providentia.

Prima ſententia eſt eorum,qui exiſtimant; Nullam planè eſſe in hoc Mundo Providentiam,ſed per accidens & fortuitò omnia contingere & evenire,neminemq; eſſe,qui illa regat,curet & gubernet. Prima *ſententia de Providentia,* Epicuri.

Atque hæc eſt *Epicuri* ſententia,qui Atomorum quoque eſt patronus & aſſertor, fortuitò & illa commiſceri,atque ex illorum commixtione per accidens quævis generari,aſſerens. Nec defuerunt ex Iſraëlitis hæretici quidam,qui iſtam ſententiam arripuerunt: tales nempe, de quibus dicitur; *Negaverunt DOMINUM, & dixerunt, Non eſt ipſe.* Jerem.5.12.

Hujus autem ſententiæ falſitatem demonſtravit jam ipſe Ariſtoteles,oſtendens,non eſſe poſsibile,ut res omnes ſint aut fiant per accidens,ſed eſſe aliquem,qui illas ordinet,regat & gubernet; & nos ipſi quoq; nonnulla hac de re in præcedentibus attigimus.

Secun-

Secũda *sententia de Providentia, quæ est Aristotelis.*

Secunda sententia est eorum, qui credunt, quarundam rerum esse Providentiam, ita ut ab aliquo regantur & dirigantur; quædam verò derelicta & Fortunæ esse exposita.

Atque hæc est *Aristotelis* sententia de Providentia, quam paullò ulteriùs tibi declarabo.

Existimat Aristoteles, DEUM *Opt. Max.* curam gerere Orbium cœlestium, & eorum, quæ illis continentur, & hac de caussa Individua eorum perpetuò manere in eo statu, in quo sunt. Et *Alexander* scripsit, sententiam Aristotelis esse, Providentiam DEI finiri & desinere in sphæra Lunæ. Atque hæc sententia ramus est ex radice Æternitatis Mundi repullulans. Providentiam enim ipse arbitratur esse secundùm naturam Rerum existentium. Proinde secundùm ipsum Providentia in Orbibus cœlestibus, & iis, quæ in illis continentur, est conservatio illorum perpetua ab omni mutatione. Et quemadmodum ex illorum existentia sequitur existentia aliarum rerum, quarum singularia non perpetuò retinent suam existentiam, sed species tantùm; ita ista quoq; specierum conservatio fluit à Providentia, licèt Individuorum illorum conservatio non sit posibilis. Neque tamen omninò & absolutè derelicta esse censet Individua specierum, sed ait; Quicquid ex materia ita percolatum & distillatum est, ut acceperit *formam Vegetabilem*, ei inditas esse virtutes, quæ illud certo & definito tempore conservent, & ad illud attrahant quæ ei sunt utilia, ac è contrario depellant quæ inutilia & perniciosa. Quicquid verò hoc priori magìs percolatum & defæcatum est, ita ut acceperit *Formam sentientem*, ei datas esse virtutes alias ad ejus conservationem, Potentiam nempe quandam sese movendi ac persequendi illud, quod sibi conveniens, & è contrario fugiendi quod sibi inconveniens, idque prout Individui cujusque speciei necessitas requirit. Quicquid denique ita percolatum est, ut acceperit *formam Intellectualem*, ei aliam quoque datam esse facultatem, quâ se regat, quâ cogitare & intelligere posit id, quò tùm ejus, tùm speciei ipsius substantia conservari potest, idque secundùm Individui cujusque perfectionem. Reliquos motus quod attinet, qui in Individuis speciei accidunt, illi per accidens contingunt, neque secundùm Aristotelem sunt ex certa Gubernatoris alicujus gubernatione, vel Directoris directione. E. G. Si spiret ventus turbinis vel sine turbine, ac arboris unius folia dejiciat, ramos alterius cõfringat, lapidem ex acervo quodam lapidũ auferat, super herbas pulverem noxium spargat, tempestatem in Mari, quâ Naves in eo velificantes unà cum Hominibus

nibus,vel omnibus,vel quibusdam,submergantur,excitet; hic nulla est differentia Aristoteli inter folium & lapidem,qui decidit,& inter Homines illos pios & eximios,qui in navi submerguntur. Sic nihil interesse arbitratur inter id,cùm bos stercus ejicit super agmen formicarum,ut inde moriantur;& cùm domus alicujus fundamenta ruunt, ac Homines in illa orantes opprimuntur & moriuntur. Ita non discernit inter murem captum à fele, muscam captam ab aranea,& inter Prophetam à Leone esuriente raptum & discerptum.

In summa: hûc redit fundamentum & summa opinionis ejus; Quicquid videt in Corporibus cœlestibus esse ordinarium,consuetum,frequens, immutabile, & incorruptibile: quicquid item videt in rebus Naturalibus ordinatiè fieri,neque nisi rarò & extraordinariè mutari aut cessare, in illis omnibus Providentiam Divinam agnoscit. Quicquid autem videt,non semper,neque ordinariè fieri in Individuis specierum, tùm vegetabilium,tùm animalium,eorumq; iterum vel rationalium,vel irrationalium,de eo dicit,quòd per accidens fiat,& sine Providentia Divina; quin-imò opinatur, Providentiam in istiusmodi rebus esse impossibilem. Istud autem sequitur ex sententia ejus de Æternitate Mundi,& quòd illud,quod in eo existit,aliter esse nequeat. Qui verò de nostris hanc sententiam crediderunt,sunt ex illis,qui dicunt; *Dereliquit* DOMINUS *Terram.* Ezech. 9.9.

Tertia sententia est contraria sententiæ secundæ,eorum nempe,qui credunt,Nullam in hoc Mundo rem (nec universalem,nec particularem) esse per accidens,sed omnia esse ex certa Voluntate,Intentione & Gubernatione. Palàm autem est,quòd is,qui rem aliquam regit & gubernat,eam quoque sciat.

Tertia *sententia de Providentia, quæ est secta Assariæ inter Ismaëlitas.*

Hæc sententia est *sectæ Assariæ* inter Ismaëlitas,& sequuntur eam inconvenientia & absurda multa,quæ illi sustinent & recipiunt.

Concedunt enim & confitentur Aristoteli id, quod ait, perinde esse,sive folium ex arbore decidat,sive Homo aliquis moriatur. Dicunt, rem ita se habere, verùm non fortuitò spirare ventum, sed DEUM illum excitare, neque ventum dejicere folia, sed unumquodque folium ex speciali decreto DEI decidere,& Illum esse,qui hoc tempore,in hoc loco illud dejiciat; non esse possibile,ut tardiùs vel citiùs decidat,neq; etiam ut in alium locum cadat. Omnia enim hæc pridem à DEO esse decreta.

Secundùm hanc sententiam sequitur etiam,quòd omnes motus & quietes Animantium sint à DEO decretæ,nec penes Hominem sit,quicquam vel faciendi,vel intermittendi.

Tollitur etiam secundùm eam Natura Possibilium: & econtrà sequitur, quòd omnia sint vel Necessaria, vel Impossibilia, id quod recipiunt. Dicunt enim; Illa, quæ nos vocare solemus Possibilia, ut *τὸ Stare Rubenis, Venire Simeonis*, esse Possibilia respectu nostri, sed respectu DEI nullam prorsus in illis esse Possibilitatem, verùm esse vel Necessaria, vel Impossibilia.

Insuper sequitur ex hac sententia, Nihil quicquam prodesse Leges; quandoquidem Homo, cui datæ sunt omnes Leges, nullam sic habet facultatem quicquam vel faciendi eorum, quæ præcipiuntur, vel intermittendi eorum, quæ prohibentur. Dicunt: DEO ita placuisse, ad nos Mittere, nobis Mandare, Promittere, Minari, Terrorem incutere, licèt nulla rerum harum penes nos sit potestas aut facultas; conveniens esse, ut nobis imponantur impossibilia; fieri posse, ut faciamus ea, quæ præcepta sunt, & puniamur; ut peccemus, & nobis bonum retribuatur.

Tandem sequitur ex hac sententia, Nullum esse Actionum Divinarum finem.

Omnium istorum absurdorum gravitatem perferunt & recipiunt, ut hanc suam sententiam tueantur & liberent, & quidem eò usque: ut, cùm videmus Hominem aliquem cæcum vel leprosum nasci, de quo non possumus dicere, quòd peccatum aliquod, quo hoc meritus sit, antea commiserit, dicant, DEUM ita voluisse: & cùm videmus Virum pium & sanctum miserè obire & interfici, dicāt, DEUM ita voluisse: neque tamen aliquam hîc esse iniquitatem vel injustitiam. Potest enim DEUS, secundùm illos, castigare vel punire eum, qui non peccavit, & præmiis afficere eum, qui peccavit. Sed verba illorum hac in re nota sunt.

Quarta sententia. quæ est sectæ Muatzali, vel Mahatazelæ.

Quarta sententia est eorum, qui statuunt, Hominem potestatem vel facultatem aliquam habere, ideóque rectè & secundùm ordinem sequuntur juxta sententiam hanc, Præcepta, Prohibitiones, Beneficia & Pœnæ, quæ occurrunt in Lege. Asserunt etiam, Opera DEI omnia sequi Ipsius sapientiam, nullam in ipso existere iniquitatem, nullumque ab ipso puniri, qui benè agit. Et in hac sententia est *secta Muatzali*, licèt potestatem Homini absolutam non tribuant. Credunt etiam, quòd DEUS sciat singulorum foliorum decisionem vel casum, iter formicarum, & quòd Providentia ejus se extendat ad omnia Entia.

Verùm ex hac quoque sententiâ Absurda & Contradictoria multa sequuntur.

Absur-

Absurdum, quod inde sequitur, est hoc. Dicunt, quòd quidam Homines nascantur imperfecti, defectuosi, etsi non peccârint, id Sapientiæ esse illius opus, & melius esse Homini, ut ita sit, quàm si esset sanus: sed nos istam Bonitatem non intelligimus. Dicunt etiam, hoc non pœnæ, sed beneficii potiùs loco habendum esse. Ita respondent, cùm interficitur Vir pius & sanctus, quòd illud fiat ad tantò majorem ejus retributionem in sæculo venturo. Et hîc eò usque deveniunt, ut, cùm quærimus ex illis, quare recta sint judicia DEI in Homine, non autem in aliis? & propter quódnam peccatum mactetur Animal irrationale? istud absurdum admittant. Dicunt enim, hoc in ipsius bonum cedere, ut DEUS ipsi retribuat in sæculo venturo. Quin-imò de cæde pulicis & pediculi sic sequitur, quòd fiat propter retributionem à DEO. Ita de mure innocente, à fele vel accipitre rapto & discerpto, dicunt, Sapientiam DEI hoc super isto mure decrevisse, & propterea quoque in sæculo venturo retributionem ipsi daturum.

Meo autem judicio nullus trium istarum sectarum patronus de Providentia debet vituperari aut reprehendi, quia unusquisq; eò inductus fuit magnâ necessitate. Id, quod dixit *Aristoteles*, sequitur apparentem rerum naturam.

Secta Assaria noluerunt DEO alicujus rei Ignorantiam attribuere, & incongruum ipsis visum est, unius rei particularis scientiam DEO assignare, alterius verò non. Hinc autem sequuta sunt multa Absurda, quæ tamen receperunt.

Secta Muatzali noluerunt DEO attribuere ullam Injustitiam & Iniquitatem, & inconveniens esse judicant, falsitatis arguere Intellectum creatum cum Homine, ita ut dicant, In afflictione ejus, qui non peccavit, nullam esse iniquitatem. Juxta ipsos etiam non est rectum dicere, Missionem Prophetarum omnium, & Dationem Legis sine ratione intelligibili esse factam. Sed & isti sua absurda ferre & recipere sunt coacti.

Neque solùm Absurda, sed & *Contradictoria* sequuntur hinc, h.e. talia, quorum unum alterum destruit; quia credunt, DEUM Opt. Max. omnes res scire, & Hominem habere liberam potestatem. Hoc autem, ut vel levi consideratione patet, infert contradictionem.

Quinta sententia est sententia nostra, h.e. Legis nostræ, de qua tibi, quæ in Libris Prophetarum extant, indicabo; & quidem *primò*, Quid communiter Sapientes nostri credant? *deinde*, Quid cre- Quinta *sententia, quæ est Legis.*

dant quidam Recentiores ex Gente nostrâ? *tertiò*, Quid ego ipse hic credam?

NB. Quòd Author hoc loco ex communi gentis sua errore Liberum arbitrium statuat, de quo quid sentiẽdum sit, nôrunt meliùs illi, qui tùm solidiùs in Mose, tùm præcipuè in Evangelica doctrina puriore sunt educati.

Dico ergo: Fundamentum Legis Mosis Doctoris nostri, omniumque eorum, qui illi adhærent, est, quòd Homo habeat absolutissimam Potestatem, h.e. quòd Homo per Naturam, Arbitrium & Voluntatem suam faciat, quicquid Homo facere potest, sine ulla re aliâ in ipso creatâ & innovatâ. Omnia pariter Animalia irrationalia moventur Voluntate suâ. Et sic voluit DEUS Opt. Max., h.e. Voluntas ejus æterna fuit, ut omne Animal moveatur per Voluntatem suam, & ut Homo habeat potestatem ejus, quod vult vel eligit, in iis, quæ cadunt sub ipsius potentiam. Huic fundamento unquam ab aliquo in Gente nostra contradictum fuisse, non est auditum.

NB. Ex erroribus Authoris, in quibus tãquam homo Judæus versabatur, est & Pharisaica meritorum nostrorum coram Deo persuasio, de qua hic & in seqq. nonnulla habet, quæ, ut & similia, pium Lectorem offendere non debent.

Ex fundamentis Legis Mosis Doctoris nostri p.m. est & hoc; quòd DEO nullo pacto ulla conveniat aut adscribi debeat Iniquitas & Injustitia: & quòd omnia, sive Mala, quæ eveniunt Homini, sive Bona, quæ Homini aut toti alicui Ecclesiæ contingunt, procedant secundùm justum & æquum DEI judicium, quod est sine ulla iniquitate & injustitia; ita ut, si vel spinâ Homo manum suam lædat, quam statim iterum extrahat, pœnæ loco id ipsi inflictum esse censendum sit; & econtrà, si vel minimum bonum ipsi contingat, præmii & retributionis loco sit habendum. Omnia hæc sunt ex justo illius judicio, de quo dicitur; *Omnes viæ ejus sunt judicium*: sed nos modos & rationes judicii illius ignoramus.

Deut. 32. 4.

Sic itaque liquet tibi ex istis sententiis, quòd *secundùm Aristotelem* diversitates istæ inter Homines sint ex accidenti; secundùm *sectam Assariam* ex sola DEI Voluntate; secundùm *sectam Muatzali* ex ejus Sapientia; *secundùm nos* autem juxta meritum operum Hominis. Proinde, *juxta sectam Assariam*, potest DEUS aliquem, qui justus fuit, punire in hoc sæculo, & æterno quoque igni adjudicare in sæculo venturo. Dicunt enim; Ita fert Voluntas ejus. *Secta* verò *Muatzali* nequaquam hoc æquum esse videtur; sed quòd ei, qui doloribus hic afficitur, etiam usque ad formicam, præmium & recompensatio sit expectanda: id quod Sapientiæ Divinæ opus esse dicunt, ut videlicet aliquis propter ampliorem remunerationem puniatur. *Nos autem* credimus, quòd omnes istæ res humanæ administrentur secundùm justitiã DEI; & quòd procul à DEO ò sit omnis iniquitas, quòd neminem puniat nisi reum & pœnas benè commeritum. Atque sic scriptum est in ipsamet Lege nostra, quòd omnia sequantur *Judicium DEI*. In hanc etiam sententiam eunt omnia, quæ communiter apud Do-

Doctores nostros leguntur. Sic dicunt apertè; *Non est mors sine peccato, neque castigationes sine iniquitate.* Item; *Eâ mensurâ, quâ Homo metitur, metientur ei.* Verba hæc sunt Mischnæ. Ita docent ubiq;, quòd Judicium sit necessarium in Natura DEI Opt. Max., quòd remuneret embryonem in utero matris propter omnia bona & honesta, quæ facturus est, licèt nulla ei à Propheta præcepta data sint, & econtrà puniat propter omnia, quæ Vir facturus est, mala, licèt nullas per Prophetam aliquem prohibitiones acceperit; eò quòd Intellectus doceat, ab omni Iniquitate & Violentiâ esse abstinendum. Hinc dicunt; *Non rescindit vel retinet DEUS mercedem ullius Creaturæ.* Item; Qui dicit, DEUS Opt. Max. est liberalis, ejus viscera quoq; erũt abundantia, (h.e. *ejus vita & anni prolongabuntur & liberales quasi erunt*). Sed longanimitate quandoque DEUS utitur; & tamen exigit tandem quod suum est. Item; *Non est is, qui jubetur & facit, sicut is, qui non jubetur & facit.* Docuerunt etiam, *quòd ei, qui injussus facit, detur præmium.* Et hûc tendunt omnia ipsorum dicta. Unum tamen occurrit in verbis Sapientum nostrorum, quod non invenitur in Lege; id nempe, quod quidam eorum dicunt, יִסּוּרִין שֶׁל אַהֲבָה h.e. *Castigationes amoris.* Juxta hanc enim sententiam possunt tribulationes alicui evenire sine præcedente peccato, sed ut multiplicetur ejus Remuneratio. Atque hæc ipsissima est sententia *sectæ Muatzali*, de qua, aut pro qua ne verbulum quidem in Lege reperitur. Non enim te seducere debent ea, quæ de tentatione DEI leguntur: ut, cùm dicitur; *Et tentavit DEUS Abrahamum.* Item; *Et afflixit te, ac esurire fecit te*, &c. Nam in sequentibus, quid de his sentiendum sit, audies. Neque ulteriùs progreditur Lex nostra, quàm ad conditionem & statum Hominum. Genes.22.1. Deut.8.3.

De *retributione illa Animalium irrationalium* nihil unquam anteà auditum fuit in Gente nostra. Talmudici etiam Doctores nullam hujus rei mentionem fecerunt; sed tantùm *Recentiores quidam ex Gaonæis*, audientes hæc à secta Muatzali, ea amplexi sunt & crediderunt.

Sententia Authoris de Providentia.

Quid verò ego in gravi hoc de *Providentia Divina* articulo sentiam, est id, quod nunc tibi exponam. Non innitor autem in ista mea fide demonstrationibus, sed iis, quæ apud me extra controversiam sunt ex intentione Legis Divinæ & Prophetarum. Et hæc sententia longè pauciora habet Absurda quàm præcedentes; longè etiam magìs ad Rationem Intellectualem accedit.

Credo itaque, Providentiam Divinam in Mundo hoc Inferiori

seu Sublunari esse tantùm in Individuis speciei humanæ, & hanc speciem solam esse, cujus Individuorum negotia, omniaq; sive bona, sive mala, quæ eis accidunt, secundùm judicium & justitiam administrantur, sicut dicitur: *Omnes viæ ejus Judicium.* Reliqua verò Animalia, Plantas, & alia quod attinet, de illis amplector sententiam Aristotelis; minimèque credo, folium illud, quod ex arbore decidit, singulari DEI providentiâ cadere: vel singulari DEI decreto muscam capi ab aranea: vel à sputo, quod Ruben exspuit, muscâ, super quam in hoc vel illo loco cadit, ex decreto DEI interfici: vel piscem speciali voluntate DEI vermiculum natantem in superficie aquarum capere & deglutire: sed ista omnia, meo calculo, fiunt per accidens, sicut opinatus est Aristoteles. Providentia autem Divina, ut ego quidem sentio, & prout mihi videtur, sequitur Influentiam Divinam, & speciei illi, cui Influentia illa intellectualis adhæret; ita ut Intellectu prædita fiat, & ei reveletur, quicquid Intellectum habenti revelatum est; speciei inquam illi conjuncta est Providentia Divina, omnesque illius actiones secundùm præmium vel pœnam mensurantur. Verùm quod attinet hoc, An submersio Navis, & eorũ, quæ in illa sunt, vel Ruina tecti super eos, qui in domo fuerunt, merè fiat per accidens? hic juxta sententiam nostram sciendum, Ingressum Virorum illorum in navem, & Commorationem horum in domo non contigisse per accidens, sed ex voluntate DEI, & secundùm justitiam judiciorum ejus, ad quorum rationem & intelligentiam mens nostra penetrare nequit.

Deut.32.4.

Ad sic sentiendum & credendum permovit me, quòd nullibi apud quemquam Prophetam repererim, DEUM aliorum singularium vel Individuorum ex Animalibus curam gerere, quàm Hominum. Quin-imò mirantur Prophetæ, DEUM providentiâ suâ dignari Homines, eò quòd minor & vilior sit Homo, quàm ut Creator curam illius habere debeat; quantò proindè minùs digna judicârunt cætera Animalia? Hinc dicitur; *Quid est Homo, & agnoscis eum?* Item; *Quid est Homo, quòd recordaris ejus?* &c. Testimonia autem expressa sunt, in quibus habetur, quòd DEUS curam gerat omnium Hominum, omniumque ipsorum operum: ut, *Qui formavit simul cor eorum, considerans omnia opera eorum.* Item; *Oculi tui aperti sunt super omnes vias filiorum Hominum, ut des unicuique secundùm vias suas, & secundùm fructum operum suorum.* Item; *Oculi ejus super vias Viri, & omnes gressus ejus videt.* Ita testatur clarè Lex nostra de Providentia DEI erga Homines, & Visitatione operum ipsorum; *In die autem visitationis meæ*

Psal.144.3. Psal.8.5. Psal.33.15. Jer.32.19. Jobi 34.21. Exod.32.34.

mea visitabo in eis peccatum ipsorum. Sic; *Et visitabo super vos.* Item; Lev. 26.16.
Qui peccavit mihi, delebo eum de libro meo. Item; *Perdam animam illam è* Exod. 32.33.
medio Populi sui. Item; *Et dabo faciem meam contra Virum illum:* & sic Lev. 23.30.
sæpissimè. Historiæ Abrahami, Isaaci & Jacobi sufficientissimè & Ezech. 14.7.
luculentissimè probant, esse singularem Providentiam super Homines. Verùm cætera Animalia quod attinet, eorum sine dubio talis est ratio, sicut scripsit Aristoteles. Hinc mactatio eorum non solùm est permissa, sed & præcepta; hinc item licitum est ad usus nostros pro lubitu illis uti. Quòd autem illorum Animalium nulla, nisi speciei ratione, sit providentia, ut scripsit Aristoteles, probari potest ex Propheta Habacuc, qui Nebucadnezaris tyrannidem & crudelitatem videns, scripsit; DOMINE DEUS, videtur ac si derelicti, oblivioni traditi, & expositi essent Homines sicut pisces maris, & sicut reptile, cui non est dominator: illis verbis docens, species illas derelictas esse. Sic enim ait; *Facisq; Homines similes piscibus Maris; similes reptili, cui non est dominator, omnes hamo suo extrahet,* &c. Hab. 1.14. Posteà autem docet, nequaquam ita esse, ut sint derelicti Homines, sc. oblivione sepulti, & sine omni Providentia, sed justam hanc esse illorum pœnam, optiméque commeritos illos esse ea omnia, quæ manent super ipsos, sicut ait: *DOMINE, ad judicium posuisti eum, & fortem ut increpares, fundasti eum.* Ibid. v. 12. Neque est quòd existimes, contrariari huic sententiæ id, quod alibi legimus; *Qui dat jumento escam suam,* &c. Psal. 147.9.
Item; *Leunculi rugiunt ad prædam, & ad quærendum à DEO escam suam.* Psal. 104.21.
Item; *Aperis manum tuam, & saturas omne vivens ad voluntatem.* Item Psal. 145.16.
id, quod Sapientes nostri scribunt; *Sedet & alit vel sustentat* (omnia sc.) *à cornu monocerotis, usq; ad ova pediculorum:* & similia alia, quæ reperiuntur. Ista enim omnia nihil quicquam sententiæ meæ obsunt, quia loquuntur de Providentia specierum, non Individuorum, & actiones vel opera ejus quasi enarrant, dum unicuique speciei necessarium suum alimentum & materiam ordinat. Et hoc notum est ac manifestum. Hinc ipse Aristoteles hanc Providentiæ speciem necessariam esse agnoscit; & Alexander nomine Aristotelis ejus quoque meminit: quòd videlicet necessaria sit præparatio alimenti pro cujusque speciei Individuis. Absque hoc enim si esset, species sine dubio interirent, ut levi consideratione liquet. Quod verò de Animalium irrationalium molestiis & violentia, quâ afficiuntur, ex Lege afferunt, ut quòd dicitur; *Quare percussisti asinam tuam tribus jam vicibus?* Num. 22.32. illud inservit ad perfectionem nostram, ne videlicet discamus crudelitatem, & frustrà ac inutiliter Animalia lædamus, sed

potiùs

potiùs clementiâ & misericordiâ erga quævis utamur, nisi necessitas requirat, ut Scriptura ait; *Cùm anima tua desiderat vesci carnibus, juxta omne desiderium animæ tuæ comedes carnes.* Nequaquam autem vel ex crudelitate, vel voluptatis caussâ sunt mactanda & jugulanda.
Deut. 12. 20.

Porrò, secundùm hanc meam sententiam non potest ex me quæri, Cur DEUS providentiâ suâ curam gerat Hominum, non etiam reliquorum Animalium? Nam quærendum est quoque tali, cur DEUS Intellectum dederit Homini, non verò etiam aliis Animalibus? Ad posteriorem etenim hanc quæstionem responsio hæc est; Quia ita voluit DEUS: aut, Quia ita decrevit Sapientia ejus: aut, Quia ita exigit Natura, juxta tres priores sententias. Eadem responsio danda est ad quæstionem primam.

Tu itaque operam da, ut sententiam meam probè intelligas, & in usum tuum convertas. Non credo, quòd DEUM aliquid lateat: non etiam attribuo DEO aliquam impotentiam; sed credo, Providentiam sequi Intellectum, eiq; unitam esse, (quia Providentia utique fit ab Intelligente; immò qui est Intellectus perfectissimus perfectione tali, post quam nulla datur alia). Propterea cuicunque inhæret aliquid de Influentia illa, illud in tantum apprehendit Providentia, quantum Intellectus.

Hæc sententia, meo judicio, convenit & cum Intelligibili, & cum Lege. Reliquæ sententiæ præcedentes peccant vel in Excessu, vel in Defectu. *Excessus* inducit meram confusionem & amentiam, tùm ad negandum intelligibile, tùm ad vim inferendam sensibili. *Defectus* nos pessimas de DEO opiniones credere cogit, omnem inter Homines ordinem evertit, & studium virtutis extinguit: sententia inquam ejus, qui æqualem facit Providentiam erga Homines, & reliquas Animalium species.

CAP. XIIX.

Non esse erga omnes Homines æqualem DEI Providentiam, sed secundùm ipsorum sapientiam & pietatem.

POSTEAQUAM in præcedentibus ostendi, Providentiam Divinam appropriatam esse soli speciei Humanæ, ex omnibus Animalium speciebus, dico nunc, quòd notum sit, nullam speciem extra Intellectum existere, sed speciem, & reliqua Universalia esse è nu-

è numero rerum Intellectualium (prout nôsti); & quicquid extra Intellectum existit, esse singulare, vel unum, vel plura.

Hoc cognito, notum quoque erit, quòd Influentia Divina, quae unita est speciei Humanae, h.e. Intellectus humanus, sit id, quod invenimus ex Intellectibus individualibus vel singularibus, & id, quod effusum est super Rubenem, Simeonem, Levi, Jehudam, &c.

Cùm itaque sic se res habeat, sequitur juxta ea, quae commemoravimus in praecedenti capite, quòd, quò majorem partem Influentiae illius adeptum est Individuum, secundùm materiae suae dispositionem, & secundùm exercitationem, tantò major quoque necessariò sit erga illud Providentia, cùm Providentia sequatur Intellectum, sicut dixi. Proinde non erit Providentia Divina erga omnes Homines aequalis, sed erit differentia & praeeminentia aliqua, sicut in perfectione illorum humanâ inter unum & alium est differentia. Secundùm hanc ergo considerationem sequitur necessariò, fortissimam esse Providentiam *in Prophetis* secundùm gradum Prophetiae ipsorum: *in Sanctis* itidem *& Piis* se habere Providentiam secundùm sanctitatem & rectitudinem eorum; cùm mensura illa Influentię Intellectûs Divini sit, quae verbum ponit in os Prophetarum, & rectificat opera piorum, sapientiamque Sanctorum in eo, quod sciunt, perficit. *Stultos* verò *& Impios* quod attinet, quemadmodum non nisi parcè Influentiam illam acceperunt, ita quoque exigua habetur eorum ratio, & censentur in numero reliquorum Animalium: ut, *Similis est jumentis, quae intereunt*, vel *exscinduntur*. Ideoque etiam non solùm permissa & leviter aestimata est eorum interemtio, sed & ob certas caussas ac utilitates praecepta.

Non esse aequalem erga omnes homines Providentiam.

Psal.49.13.21.

Atque haec res est ex fundamentis Legis, & super eam est exstructum aedificium ejus. Volo dicere, super hoc, quòd Providentia in unoquoque Individuo ex Hominibus sit pro illius qualitate & conditione. Observa, quomodo Scriptura loquatur de Providentia speciali Patrum, & negotiorum, rerumque ipsorum, usque ad illorum pecora & supellectilem; quomodo item DEUS Providentiam suam eis promiserit. Abrahamo dictum est; *Ego sum clypeus tuus.* Isaaco; *Ero tecum, & benedicam tibi.* Jacobo; *Ecce ego tecum ero, & custodiam te.* Prophetarum Principi; *Quia tecum ero, & hoc tibi signum.* Jehosuae; *Quemadmodum fui cum Mose, sic ero tecum.* Haec omnia palàm docent, Providentiam erga ipsos fuisse secundùm perfectionem illorum. De Providentia Sanctorum, & Desertione Impiorum dicitur; *Pedes piorum suorum servabit, & impii in tenebris conticescent, quia non in*

De Providentia Dei erga Patriarchas & alios pios.

Genes.15.1.
Ibid.26.3.
Ibid.28.15.
Exod.3.12.
Jos.1.5.
1.Sam.2.9.

fortitudine roborabitur Vir. Quibus verbis docetur, quòd quidam Homines à pœnis & aliis accidentibus conserventur, alii verò in illa incidant; id non adscribendum esse ipsorum viribus corporalibus, & dispositionibus; hoc enim est, quod dicitur: *Quia non in fortitudine roborabitur Vir*; sed fieri pro ratione perfectionis & imperfectionis, h.e. secundùm ipsorum vel ad DEUM appropinquationem, vel ab eodem elongationem: & hac de caussa eos, qui ipsi propinqui sunt, tutissimè conservari; *Et pedes piorum suorum servabit:* illos verò, qui ab eo sunt remoti, quibusvis accidentibus objectos esse, nec quemquam eos inde conservare posse; sicut Homo, qui ambulat in tenebris, sine omni dubio impingit. De Providentia super Pios dicitur
Psal.34.21. quoque; *Custodiens omnia ossa ejus*, &c. Item; *Oculi DOMINI super*
Ibid.v.16. *justos*, &c. Item; *Invocabit me, & audiam eum.* Sed plura sunt Scri-
Psal 91.15. pturæ loca de Providentia DEI erga Homines secundùm Perfectionem & Pietatem illorum, quàm ut enumerari possint omnia. Ipsi Philosophi hujus rei mentionem aliquam fecerunt. Hinc est, quod *Abunasar* in Præfatione Commentariorum suorum super *librum Aristotelis ad Nicomachum* ita scribat; *Qui potentiam habent movendi animam suam de virtute in virtutem, illi sunt, de quibus Plato ait, quòd fortior sit erga illos Providentia DEI.*

Animadverte itaque, quâ ratione hæc Notionis vel Considerationis species nos deduxerit ad Veritatis, quam Prophetæ omnes nobis exposueruut, de Providentia DEI singulari & speciali erga quamvis pro ratione & gradu perfectionis ipsius, cognitionem: quâ item ratione hoc rationabiliter sequatur, si Providentia sequatur Intellectum, sicuti diximus. Neque convenit, ut dicamus, Providentiam esse specierum, non Individuorum, ut Philosophorum quidam statuerunt; cùm enim nihil existat extra Intellectum præter Individua, & istis Individuis adhæreat Intellectus Divinus, sequitur, Providentiam quoque esse in Individuis.

Sic itaque cura, ut probè, ac prout decet, hoc caput consideres: ita namque videbis perfectos esse omnes Legis Divinæ Articulos, & cum sententiis speculativis Philosophorum convenire; ita etiam absurditates omnes à te recedent, & vera Providentiæ forma tibi innotescet.

Posteaquàm autem tibi Sententias Magistrorum speculationis de Providentia & Gubernatione DEI exposui; brevibus quoq; nunc Nostrorum, & meam de Scientia DEI verba & sententiam explicabo.

CAP. XIX.

Antiquissimum esse hunc errorem, DEUM non omnia scire, eò quòd, judicio vulgi Hominum, nullus legitimus sit rerum humanarum ordo, sed bonis sæpè sit malè, malis bené.

INTELLIGIBILE primum sine dubio est, quòd in DEO omnes perfectiones inveniantur, & omnes econtrà imperfectiones ab ipso removeantur. Parum etiam aberit, quin Intelligibile primum sit, Ignorantiam in quacunque re esse Imperfectionem, &, DEUM nullam rem ignorare. Quod autem quosdam Magistros speculationis,ut commemoravi, permovit, ut superbè & protervè auderent dicere, DEUM Nôsse hoc, & Ignorare illud; est, quòd sibi imaginati sunt, nullum esse Rerum Humanarum ordinem, utpote quæ non solùm magnâ ex parte sint naturales, sed etiam liberum Hominis Arbitrium & Intellectum sequantur.

Prophetæ ipsi docuerunt,quòd stolidi & insipientes hinc concludant, DEUM actiones nostras nescire, eò quòd videant, Impium hîc in prosperitate, pace & tranquillitate vivere; &, quòd hoc Viro pio & sancto has cogitationes suggerat, ac si Intentiones ejus bonæ, & quicquid propterea molestiarum & ærumnarum suffert,planè essent inutiles. Propheta Asaph p.m.commemorat, suas cogitationes tamdiù in hoc discurrisse & vagatas esse, donec sibi innotuerit, Non ad principium, sed ad finem istarum rerum respiciendum esse. Hæc verò sunt ejus de harum rerum ordine verba; *Et dicunt,* inquit, *quomodo novit DEUS? &, an est scientia in Excelso? Ecce, isti impii, & pacati seculi multiplicant divitias. Verè in vanum mundavi cor meum, & lavi in munditia manus meas,* &c. Finis est, *Itaque cogitabam, ut scirem hoc, sed labor fuit in oculis meis, donec ingrederer in Sanctuarium DEI, & intelligerem novissimum eorum. Profectò in locis lubricis posuisti eos, corruere facis eos in desolationes. Quomodo fuerunt in desolationem, quàm citò defecerunt, consumpti sunt à terroribus.* Eadem ista commemorat Propheta Malachias, dum ita scribit; *Invaluerunt contra me verba vestra, dicit DOMINUS,* &c. *Dixistis, Vanum est colere DEUM, & quid emolumenti, quòd custodierimus custodiam ejus, & quòd ambulaverimus humiliter propter Do-*

Ex prosperitate impiorũ negant quidam, Deum res humanas scire.

Psal.73.11.

Mal.3.13.

Ccc 2

MINUM exercituum? Nunc ergo beatos dicimus superbos, etiam ædificantur facientes iniquitatem, prætereà tentant DEUM, & liberantur. Tunc contrà loquuti sunt timentes DOMINUM, &c. *Et convertimini, & discernetis inter justum & impium, inter servientem DEO, & eum, qui non servit ei.* David quoque declaravit, quòd suo tempore sententia hæc nota fuerit, & Homines ad peccandum & se invicem opprimendos induxerit; eamque validis argumentis incepit oppugnare & refutare, ostendendo, quòd DEUS ista omnia probè nôrit: *Viduam*, inquit, *& peregrinum interficiunt, & pupillos occidunt. Et dixerunt, Non videt Jah, neq; intelligit DEUS Jacob. Intelligite stupidi in Populo, & fatui quando intelligetis? An qui plantavit aurem, non audiet? an qui finxit oculum, non videbit? an qui corripit Gentes, non arguet? qui docet Hominem scientiam,* &c. Horum argumentorum rationem tibi enucleabo, postquàm nonnihil dixero de perverso intellectu & expositione quorundam, qui verba Prophetarum circa hanc materiam destruere conantur.

Psal. 94. 6.

Dixerunt mihi duo Viri intelligentes ex Gente nostra, Medici, qui mirabantur verba hæc Davidis! Dixerunt: Si ita argumentari liceret, sequeretur etiam secundùm illius rationem; Qui creavit os, comedet: qui finxit pulmonem, vociferabitur: & similiter de reliquis membris.

Sed attende, Lector candide, quàm longè absint à recto & vero hujus argumenti sensu, eumque à me accipe.

Palàm est, quòd artifex, qui instrumentum aliquod fabricat, nullo modo illud posset facere, nisi illius usum sciret. E.G. Nisi faber sciret & intelligeret rationem suendi, nequaquam hujus formæ acum, sine qua sutura perfici nequit, conficeret. Et sic de reliquis instrumentis. Quandoquidem ergo quidam ex Philosophis existimârunt, DEUM non apprehendere ista particularia, eò quòd sint objecta sensuum; DEUS autem per sensus non apprehendat, sed apprehensione tantùm Intellectuali: idcircò argumentatus est contra eos ab Existentia sensuum, hoc pacto; Si Apprehensio visûs abscondita esset à DEO Opt. Max., & eam nesciret, quomodo potuisset facere instrumentum istud aptum ad apprehensionem visûs? An probabile est, casu & per accidens creatum esse in eo *(oculo sc., tanquam visûs instrumento)* humorem unum limpidissimum, sub eo humorem alium, & sub hoc tunicam quandam? &, An fortuitò factum est, quòd sit in eo perforatum foramen, & è regione foraminis illius tunica clarissima & dura? In summa, Num Sapiens aliquis cogi-

cogitare poteſt, omnes humores, tunicas, & nervos opticos, in quibus ſingulis exactiſsimam conſpicimus diſpoſitionem, quæque omnia hujus actionis cauſsâ facta ſunt, per accidens ita eſſe? Nequaquam. Sed ſunt ex certâ intentione Naturæ, ſicut Medici & Philoſophi docent. Natura autem non eſt prædita Intellectu, nec *ἡγεμονικῷ*, ut iterum in confeſſo eſt apud Philoſophos. Sed hoc regimen, hæc gubernatio, quæ eſt inſtar ingenioſi alicujus artificii, provenit ex ſententia Philoſophorum à *Principio quodam Intellectuali*, & ſecundùm noſtram ſententiam ab *Operatione Intellectu præditi*, qui facultates indidit iis, in quibus facultas Naturalis reperitur. Quòd ſi verò Intellectus ille hanc rem non apprehendit, nec intelligit, quomodo vel facere, vel derivari ab ipſo potuit, juxta ſententiam illam, Natura, quæ intendat vel reſpiciat ad talem rem, cujus cognitionem nullam habet? Verè itaque David eos appellavit *Brutos* & *Stultos*.

Deinde incipit oſtendere (David ſc.), quòd hoc ſit imperfectio in Apprehenſione noſtra, & quòd DEUS (qui nobis iſtum Intellectum dedit, quo apprehendimus, & propter cujus imperfectionem, cùm DEUM verè cognoſcere nequeamus, iſtiusmodi graves dubitationes in nobis oriuntur), quòd inquam DEUS ſciat in nobis iſtam Imperfectionem, nullaque ſit habenda ratio irruptionis, vel deſtructionis ejus, ad quam nos redigit imperfecta iſta cogitatio: *Qui docet*, inquit, *Hominem ſcientiam. DOMINUS cognoſcit cogitationes Hominum, quòd ſint vanitas.*

Scopus meus totus in hoc capite fuit, quòd iſta ſpeculatio ſit antiquiſsima, quòd videlicet ſtulti ajunt, DEUM non apprehendere omnia, eò quòd quædam res mortalium, quæ naturâ ſuâ ſunt poſsibiles, non ſint ordinatæ, ſicut dicitur; *Et dixerunt filii Iſraëlis ea, quæ* 2.Reg.17.9.
non erant recta coram DOMINO DEO ſuo. In Medraſch dicunt; *Columna iſta non videt, neq; audit, neq; loquitur:* quo dicto innuunt, ſibi videri, DEUM iſta non apprehendere, neque vel Præceptum, vel Prohibitionem ab ipſo ad Prophetas pervenire. Cauſſa & probatio totius hujus rei ſecundùm ipſos eſt, quòd Res humanæ non procedant ita, ut cuilibet illorum videtur. Cùm enim exiſtimant, talem eventum rem quandam debere habere, & poſteà vident, illam aliter, quàm volebant, cadere, ſtatim dicunt; Non videt nos DEUS. De ſtolidis ejusmodi Hominibus dicit Tzephanias; *Qui dicunt in corde* Tzeph.1.12.
ſuo, Non benefacit DOMINUS, neque malefacit.

Quod verò de Scientia DEI dicendum eſt, id exponam tibi,

posteaquàm priùs indicavero ea, in quibus omnes consentiunt, & quibus nemo sanæ mentis contradicit.

CAP. XX.

De Omniscientia DEI: *quòd sit una & immutabilis; quòd item sciat possibilia, & tamen possibilitati ipsorum nihil adimatur.*

IN confesso est apud omnes, non convenire Naturæ DEI Opt. Max. innovationem scientiæ alicujus, ita ut nunc sciat, quod anteà ignoravit; neque etiam ut habeat scientias multas, juxta illos quoque, qui Attributa credunt.

Scientia Dei est una & immutabilis. Hoc itaque demonstrato, dicimus nos Legem Divinam tenentes, Ipsum unâ scientiâ scire res multas; neque secundùm multitudinem scibilium vel scitorum multiplicari in DEO scientias, sicut in nobis. Sic dicimus, Ipsum omnes res, quæ innovantur, scire antequàm fiant, neque unquam eas nescire, ac per consequens, nullam in Ipso scientiam innovari. Nam notum Ipsi est, quòd N. nunc non existat, exstitutus autem sit tempore N., tempore tanto permansurus, & deinde iterum non-Ens futurus. Cùm igitur posteà Vir ille ita existit, sicut in scientia ejus antè præcessit, sequitur, nullam ei scientiam accessisse, nec quicquam innovatum esse, quod ipsi ignotum fuerit; sed innovatum esse illud ipsum, quod ei notum fuerat sicut est, antequàm innovaretur. Et secundùm hanc fidem sequitur,

Scientiam depẽdere à Privatione, vel non-Ente. Scientiam dependere à Privatione, & versari circa id, quod est infinitum. Id quod nos credimus, ac dicimus, quòd Privatio, quæ Existentiam, quam ipse efficere potuit, in scientia ejus præcessit, nequaquam impediat dependentiam scientiæ ab ea, (h.e *quòd non impoßibile sit, ut dependeat Scientia à Privatione, vel non-Ente, quod posteà in actum deducitur, & cui ipse existentiam potest largiri*). Quod autem prorsus non existit, nec existet, non-Ens absolutum est in scientia ejus, à quo illa non dependere potest: quemadmodum scientia nostra non dependet ab eo, quod apud nos non existit.

An sciẽtia versetur circa Infinitum? Quod verò alterum attinet, quòd videlicet versetur circa id, quod non est finitum, vel circa Infinitum, in eo nonnihil est dubii. Quidam ex Magistris speculationis hûc inclinârunt, ut dixerint, Scientiam dependere à speciebus, & aliquo modo diffundi super Indivi-

dividua specierum. Et hęc est sententia tenentium Legem nostram, sicut necessitas speculationis ab illis exigit. Philosophi verò absolutè dixerunt, quòd Scientia ejus à nulla Privatione dependeat, neque Infinita apprehendat; & quia nulla scientia in Ipso innovatur, falsum esse, quòd quædam innovata sciat; ac per consequens, Illum non scire, nisi ea, quæ naturam habent firmam & immutabilem.

Quidam autem aliam dubitationem moverunt: Dicunt enim; Si DEUS etiam firmas tantùm & immutabiles istas res sciret, essent in Ipso scientiæ multę; eò quòd multiplicatis scitis vel scibilibus, multiplicentur quoque scientiæ. Quælibet enim res scita habet propriam scientiam. Proinde nihil scire potest, nisi se-ipsum. Ego autem dico, quòd unica caussa, in qua isti omnes impegerunt, sit, quòd eandem esse rationem statuant Scientiæ nostræ & Scientiæ DEI Opt. Max., & quòd universi respiciant ad ea, quæ in Scientia nostra sunt impossibilia; existimantes, illa propria esse scientiæ Ipsius, vel dubiam ac incertam fore ejus rationem.

Necesse verò est, ut plus disceptemus cum Philosophis in hac quæstione, quàm cum quovis alio. Illi enim demonstrationibus ostenderunt, quòd in DEI substantiâ nulla sit multitudo, nullaque extra Substantiam ejus attributa; sed quòd Substantia ipsius, sit ejus Scientia; & Scientia ejus, ipsius Substantia. Illi etiam sunt, qui demonstrârunt, Intellectus & mentes nostras nimis esse curtas ad veritatem Substantiæ ejus rectè cognoscendam, sicuti declaravimus. Quâ itaque ratione cogitare possunt, quòd Scientiam ejus apprehendant? cùm illa Scientia nihil aliud sit, quàm ipsius Substantia; & ista Impotentia, quâ Intellectus noster nequit apprehendere ejus Substantiam, illa ipsa sit Impotentia, quâ non valemus apprehendere ejus Scientiam sicut est; neq; etiam illa Scientia sit ejusdem speciei cum Scientia nostra, ut inde rationem ejus cognoscere possimus, sed toto genere diversa. Et quemadmodum Substantiam habet, quæ necessariæ est existentiæ, à qua omne Ens sequitur & proficiscitur secundùm sententiam illorum, vel, ut nos sentimus, quæ Caussa est efficiens rerum aliarum ex Privatione: sic dicimus, quòd Substantia illa apprehendat omnia alia, nihilque illi ullo modo sit absconditum eorum, quibus existentiam dedit. Et nulla est communicatio inter Scientiam nostrã & Scientiam ipsius, sicut nulla est communicatio inter Substantiam nostram, & Substantiam ipsius. Errori autem caussam prębuit homonymia vocabuli SCIENTIA. Nam communicatio est in nomine solùm, sed differentia in re-ipsa

&

& veritate. Hinc in multa absurda delabimur, si arbitramur, ea, quæ conveniunt Scientiæ nostræ, convenire quoque Scientiæ ipsius.

Deus novit quoque possibilia. Atque ex iis, quæ Lex nostra me docuit, est quoque istud, quòd DEUS sciat existentiam *Possibilis*; cùm *Futurum* non educat vel eximat Possibile illud ex natura Possibilis, sed cum eo natura Possibilis subsistat, & scientia ejus, quod innovatur ex Possibilibus, non cogat illud, ut sit alterutro modo ex duobus modis Possibilium, (h.e. Bonum vel Malum). Et hoc etiam sine dubio est ex fundamentis

Deut. 22 8. Legis Mosis Doctoris nostri. Hinc enim dicit; *Facies sepimentum tecto*

Deut. 20. 5. 6. 7. *tuo, ne ponas sanguinem in domo tua. si ceciderit cadens ex eo.* Item; *Ne moriatur in bello, & alius ducat eam,* &c. Sic datio Legum, Præceptorum, & Prohibitionum omnium redit ad hoc principium *quòd Scientia* DEI *rei futuræ Possibile illud ex natura sua non eximat.* Istud autem secundùm brevitatem Apprehensionis nostræ nobis valdè dubium

Quomodo scientia Dei differat à scientia nostra. videtur. Proinde animadverte, in quótnam rebus Scientia ejus differat à Scientia nostra, secundùm eos, qui Legi nostræ sunt addicti.

Primum hoc est, quòd una Ipsius scientia conveniat & sufficiat rebus sciendis multis, etiam specie differentibus.

Secundum, quòd dependeat quoque à non-Ente.

Tertium, quòd versetur circa Infinita.

Quartum, quòd Scientia ejus non mutetur per apprehensionem rerum innovatarum, licèt videatur, quòd scientia rei, quando est in fieri, non sit eadem cum scientia illius rei, quando est in esse, sed hic sit aliquid amplius, dum id, quod fuit in potentia, exivit in actum.

Quintum, quòd Scientia DEI non eligat aliquod ex duobus possibilibus, licèt probè & exactè nôrit, quódnam illorum sit futurum & eventurum.

Rebus itaque sic se habentibus, miror, quânam in re conveniant Scientia DEI & Scientia nostra, secundùm sententiam illorum, qui credunt, Scientiam esse attributum aliquod adventitium illius Substantiæ? Sanè nulla est convenientia nisi in nomine solùm. Verùm secundùm nostram sententiam, qui credimus, Scientiam non esse aliquid adjunctum ejus Substantiæ, sequitur substantialis inter Scientiam nostram & Scientiam ipsius differentia, sicut Substantiæ differentia est inter substantiam Cœli & substantiam Terræ. At-

Jesa. 55. 8. que istud ipsum docent Prophetæ: ut, *Quia non sunt cogitationes meæ cogitationes vestræ, neque viæ meæ, viæ vestræ. Nam quantò altiores sunt Cœli, quàm Terra, tantò altiores sunt viæ meæ, quàm viæ vestræ, & cogitationes meæ, quàm cogitationes vestræ!*

Summa

Summa sententiæ meæ breviter hùc redit. Quemadmodum non apprehendimus veritatem Substantiæ ejus, & tamen scimus, quòd Existentia ejus sit perfectior omnibus Entibus, & nulla ei competat imperfectio, mutatio vel passio; sic, licèt nesciamus veritatem Scientiæ ejus, quia illa nihil aliud est, quàm ejus Substantia, scimus tamen hoc, quod non unâ vice aliquid sciat, & aliâ ignoret: h. e. quòd Scientia nulla in Ipso de novo exoriatur; quòd non mutetur; quòd non finiatur; quòd nulla Entia ipsi sint occulta; quòd deniq; Scientia ejus non tollat naturam illorum, sed Possibile remaneat in natura Possibilitatis. Si quæ in istis videatur esse contrarietas vel absurditas, illa tantùm provenit ex notione & probatione vel consideratione Scientiæ nostræ, quæ nil nisi nomen cum Scientia illius commune habet. Sic enim *Intentio* quoq; ὁμωνύμως dicitur tùm de eo, quod nos intendimus, tùm de eo, quod ipse (DEUS) intendit. Sic item *Providentia* æquivocè dicitur tùm de eo, cujus nos curam gerimus, tùm de eo, cujus curam gerit DEUS. Proinde liquet hinc, quòd in rei veritate *Providentia, Scientia* & *Intentio*, quæ nobis attribuuntur, non sint eadem cum illis, quæ attribuuntur DEO. Quòd si utramq;, vel Providentiam, vel Scientiam, vel Intentionem sumas pro iisdem, ac sub eodem genere comprehendas, commemorata tibi exsurgent dubia. Quòd si autem sciatur, ea, quæ nobis attribuuntur, diversa esse ab illis, quæ DEO attribuuntur, tùm veritas patefiet. Hanc differentiam inter ea, quæ nobis, & quæ DEO attribuuntur, indicavit nobis, dicendo; *Viæ vestræ, viæ meæ*, sicuti suprà visum. Jesa. 55. 8.

CAP. XXI.

De differentia inter Scientiam DEI, & Scientiam nostram.

MAGNA differentia est inter Scientiam ejus, qui rem aliquam facit, & Scientiam alterius rei illius factæ. Nam res illa facta, si facta sit convenienter Scientiæ factoris ipsius, est illius opus, ac proinde scientiam ejus sequitur; sed scientia reliquorum Hominum, qui rem factam considerant & scientiâ definitâ sciunt, rem factam sequitur. E. G. Si artifex faciat arcam, in qua moventur pondera, quæ fluxum aquarum juvent, & doceant, quot horæ diei vel noctis jam elapsæ sint; hic sanè omnis ratio fluxûs aquarum, mutationis sitûs illarum, omnium funium, sitularum, quæ descendunt, &c. omnia inquam ista nota sunt artifici antequàm fiant: neq; no-

Differentia quænam sit inter scientiam Authoru alicujus operu & Spectatoris.

vit istos motus ex consideratione & contemplatione illorum, quatenus nunc innovati sunt, sed econtrariò motus illi innovati sunt secundùm ejus scientiam. Diversa verò ratio est ejus, qui Instrumentum illud considerat & contemplatur. Nam quotiescunque is motum aliquem conspicit, toties innovatur in eo aliqua sciẽtia; & quoties ita contemplatur novum aliquem motum, toties multiplicatur ejus Scientia, donec sciat & addiscat rationem totius Instrumenti. Quòd si tibi imagineris, motus machinæ illius esse infinitos, tùm non poterit Contemplator unquam consequi scientiam illorũ. Non etiam possibile est, ut talis spectator vel contemplator sciat aliquem motum antequàm innovetur, cùm, quicquid scit, ex Innovatione tantùm sciat.

Differẽtia inter nostram, & Dei scientiam.

Similis ratio est omnium quoque in hoc Mundo Entium, eorumque tùm ad nostram, tùm ad DEI Opt.Max. Scientiam relationis.

Nos enim, quicquid scimus, ex contemplatione & consideratione Entium scimus, ac proinde Futura & Infinita scire nequimus; & scientiæ nostræ innovatæ multiplicantur secundùm multitudinem rerum, quarum scientiam apprehendimus.

Non verò ita se res habet cum DEO Opt.Max. Is enim non novit res ex parte illorum, (h.e. *Is scientiam suam non habet ex Entibus quatenus existunt*), ita ut vel Multiplicatio, vel Innovatio in Ipsum possit cadere; sed res omnes sequuntur Ipsius scientiam præcedentem, quæ eas, prout sunt, ordinat & disponit, sive sint Existentia abstracta, sive Existentia singularia materiata firma, sive Existentia materialia, quorum Individua mutantur secundùm ordinem, qui nec corrumpitur, nec mutatur. Ideoque penes ipsum nulla est scientiæ vel multiplicatio, vel innovatio, vel mutatio. Dum enim substantiæ suæ immutabilis veritatem novit, novit simul omnia sua, quæ inde sequuntur, opera. Conari autem velle modum hujus rei scire, perinde est ac si nos vellemus esse Ipse, vel, ut Apprehensio nostra sit Apprehensio Ipsius.

Modus scientiæ Dei nobis scitu est impossibilis.

Hæc itaque si ita se habeant, oportet ut Veritatis studiosus & patronus credat, DEO nihil quicquam ignotum esse, sed omnia Scientiæ ejus, quæ nihil aliud est quàm Substantia ejus, patere: & falsum esse, nos speciem Apprehensionis illius novisse. Quòd si enim ratio ejus nobis esset cognita, haberemus illum intellectum, per quem species illa apprehensionis apprehenditur. Id verò nulli, nisi DEO soli, competit.

Tu

Tu itaque diligenter hæc observa & perpende, quia sunt mirabilia & verissima. Qui ea sequitur, is in nullum errorem incidet, nullâ fallaciâ circumvenietur, nullis absurditatibus implicabitur, nullam denique imperfectionem DEO adscribet. Istarum quippe sublimium & augustarum rerum nullæ habentur demonstrationes, neq; secundùm nostram, neque secundùm Philosophorum sententiam, propter plurimas ipsorum in hac quæstione dissensiones & contrarietates. In omnibus autem similibus quæstionibus, quarum demonstrationes nullæ adduci possunt, ea sequenda est via, quam nos in præsentis quæstionis, de Omniscientia DEI, tractatione sequuti sumus.

CAP. XXII.

Explicantur varia ex historia Jobi, quæ consideratione digna in materia de Providentia DEI.

MIRABILIS Jobi historia est quoque ex illarum rerum numero, circa quas nunc occupamur: h.e. Exemplum est ad explicandum opiniones Hominum de Providentia.

Nôsti quosdam esse, qui dicunt, Jobum nunquam fuisse, neque creatum esse; sed Historiam illius nihil aliud esse quàm Parabolam.

Qui asserunt, illum fuisse & creatum esse, omniaque, quæ commemorantur, verè contigisse, nullum ei certum vel Tempus, vel Locum assignare queunt; sed quidam ajunt, illum vixisse temporibus Patriarcharum, alii Mosis, alii Davidis tempore, alii denique ipsum ex Sapientibus Babylonis fuisse autumant: quæ incertitudo sententiam illorum confirmat, qui dicunt, illum nec fuisse, nec creatum esse.

Sive autem reverà fuerit, sive non fuerit, semper in tali ejus statu, qui nobis describitur, perplexi redduntur omnes, qui illum considerant; ita ut tandem dicant de Scientia & Providentia DEI id, cujus mentionem feci: quia nempe vident, quòd Vir iste integer, syncerus, in actionibus suis rectus, bonus, DEIque timens, maximis malis afficiatur, in suis facultatibus, liberis & corpore proprio, sine ullo suo peccato, graviter puniatur.

Secundùm utramque autem sententiam, sive nempe fuerit, sive

non fuerit, certum tamen est, quòd illa, quæ à principio Libri ipsius commemorantur *de Colloquio inter* D*EUM & Satanam, de Traditione item Jobi in potestatem ipsius,* sint parabolica. Non tamen ita ut aliæ parabolæ; sed talia, à quibus dependent res admirandæ, quæ sunt Mundi subactio, per quæ dubitationes multæ declarantur, quibus denique occulta multa summaq; deteguntur. In præsentia quædam illorum, quantum quidem fieri potest, attingam, additis simul Sapientum nostrorum verbis, ex quibus intellectum illorum hausi & assequutus sum.

Primò itaque omnium considerandum tibi est, quod statim à principio dicitur; *Vir erat in terra Uz.* Ubi adhibetur vocabulum homonymum, עוץ *Uz* videlicet, quod *primò* est nomen proprium Viri: ut, *Uz primogenitum suum*; deinde Imperativus à verbo *Uz*, quod significat *Consulere*, *Consilium inire*, &c. ut, Uzu eza *Inite consilium.* Vult itaque dicere: Considera hoc consilium, perpende illud, rationes ejus in usum tuum converte, intellige illas, & vide, quæ'nam opiniones vel sententiæ sint veræ.

Job.1.1. Gen.22.21. Jesa.8.10.

Deinde commemoratur, *quòd Filii* D*EI venerint, ut starent coram* D*OMINO, & venerit etiam Satan in medio eorum, & inter ipsos*: non dicitur; *Et venerunt Filii* D*EI & Satan, ut adstarent coram* D*OMINO*: ita enim videri potuisset, ac si omnium una eademque fuisset ratio; sed inquit, *Et venerunt Filii* D*EI, ut adstarent coram* D*OMINO, & venit etiam Satan in medio eorum.* Hæc enim loquendi ratio dicitur tantùm de eo, qui non peritus & non rogatus venit; sed qui venientibus illis, qui rogati sunt, se ingerit, & sponte suâ inter illos advenit.

Job.2.

Tertiò narratur, *quòd iste Satan discurrat, & obambulet in Terra*, & nulla sit inter ipsum & superiora comparatio, quódque nullas ibi habeat obambulationes. Hoc sibi vult, quod dicitur; *A discurrendo in Terra, & spatiando in ea*: perinde enim est ac si diceret; Discursitatio & obambulatio ejus est tantùm in Terra.

Job.1.7.

Quartò, quòd iste perfectus & rectus datus ac traditus sit in potestatem Satanæ, & quòd Satan omnium plagarum & accidentium, quæ in facultatibus, liberis, & corpore suo passus est, caussa fuerit.

His ita positis, incipit (historia) in medium proferre verba speculationis hac de re, & sententiam unam affert, quam *Jobo*, alias item, quas Sociis ejus adscribit. Paullò pòst autem enarrabo tibi sententias illas, propter quas in pessimas delapsi sunt cogitationes in hoc negotio, cujus unica caussa fuit Satan; Jobo amicisque ejus existimantibus, quòd DEUS ipse hæc omnia sine Diaboli opera fecerit.

No-

Notabile autem in hac historia est inter cætera, quòd Job non describatur à sapientia, neque appelletur Vir prudens, intelligens, sapiens; sed à virtutibus moralibus & rectitudine operum. Quòd si enim fuisset sapiens, non esset dubium negotium ipsius, (h.e. *nihil mirum esset, quòd ita afflictus fuerit*), sicuti posteà explicabitur. Prætereà commemorantur ejus Mala secundùm æstimationem Hominum. Nam sunt quidam Homines, qui non turbantur, nec afficiuntur jacturâ bonorum, sed quibus leve hoc videtur, conturbantur autẽ morte liberorum, ita ut mœror ipsos planè conficiat: quidam sunt, qui etiam liberorum suorum mortem patienter ferunt, nullâque tristitiâ aut perturbatione propterea afficiuntur, sed qui ne minimum quidem dolorem sufferre vel sentire possunt. Et solent communiter omnes Homines DEUM laudare ac celebrare, Rectitudinis Benignitatisq; encomio ornare tempore prosperitatis & tranquillitatis, aut etiã mediocris & tolerabilis doloris. Verùm cùm tales afflictiones ipsos invadunt sicut Jobum, cùm quidam in apertas in DEUM blasphemias erumpunt, non nisi levissimum credentes esse ordinem in hoc Mundo, propter amissionem divitiarum suarum: quidam credunt, esse ordinem & æquitatem Creatoris etiam cum jactura facultatum suarum, sed non possunt ferre liberorum ereptionem: quidam verò sunt, qui patientiam & constantiam suam quoque hîc probant in liberorum amissione; sed qui in proprio corpore dolores patienter ferre possit, nemo reperitur, verùm nil nisi murmura, querelæ & ejulatus, vel cordis, vel linguæ, hoc in casu audiuntur.

Porrò animadverte, quòd de Filiis DEI vice primâ & secundâ dicatur; *Ut adstarent coram DOMINO*: sed de Satana, licèt inter illos & in medio illorum venerit primâ & secundâ vice, non dicitur vice primâ, *Ut adstaret coram DOMINO*, sed secundâ dicitur, *Et venit etiam Satan in medio illorum, ut adstaret coram DOMINO*; quod, quàm mirabile sit, perpende & considera! Sed respice quoque, quàm utiles res, quæ Prophetiæ instar sunt, indè ad nos redeant. Verba enim ista; *Ut adstarent*, vel, *Ut sisterent se coram DOMINO*, docent nos, quòd necessariò ad præceptum ejus cogantur facere, quicquid ipsi lubuerit, prout hoc discere est ex Prophetia Zachariæ de quatuor curribus exeuntibus, ubi dicitur; *Et respondit Angelus ille, & ait ad me; Isti sunt quatuor venti Cœli, qui egrediuntur à loco, ubi stabant coram DOMINO totius Terræ.* Deinde ostenditur, quòd Filiorum DEI & Satanæ haudquaquam eadem sit ratio respectu existentiæ, sed quòd Filii DEI sint Zach. 6. 5.

magis stabiles & durabiles; & quòd ipse existentiam habeat illis inferiorem.

Ex mirabilibus insuper Parabolæ istius est & hoc, quòd, dum memorat, quâ ratione in Terra tantùm Diabolus discurrat, & opera illa faciat, docet, Ipsum non posse dominiũ exercere in Animam, sed potestatem ipsi datam esse super omnes istas res terrestres; & differentiam esse positam inter ipsum & inter Animam: h.e. Nullam ipsi in
Jobi 2.6. eam datam esse potestatẽ, sicut dicitur; *Veruntamen animam ejus serva:* ubi per *Animam* intelligitur id, quod remanet de Homine post mortem ejus, sicuti in homonymia vocis ANIMA tibi declaravi. Hoc enim est, in quod Diabolus nullam habet potestatem.

His ita commemoratis, audi utilissima quædam dicta Sapientum nostrorum, (qui verè Sapientes vocari possunt), quæ omne dubium explanant, omne occultum revelant, & magnam partem Secretorũ Legis aperiunt. Tale est, quod in Talmud ajunt; *Dixit R. Schimeon Ben-Lakisch: Ipse est Satan*, h.e. *Adversarius*; *ipse est figmentum malum*; *ipse est Angelus mortis.* Istud enim tàm manifestè declarat id, quod nos hactenus docuimus, ut nullũ intelligentem ulteriùs dubitare sinat. Vides enim, unam eandemque rem denotari tribus illis nominibus sive titulis, & omnes actiones, quæ uni ex illis tribus attribuuntur, esse unius ejusdemque rei actionem. Sic dicunt prisci Sapientes Mischnæ; *Dixerunt, Traditio est, Descendit & errare facit,* (h.e. *seducit*), *ascendit & adversatur vel accusat, accipit potestatem & tollit animam.* Ita non latet te, quòd David in Visione Prophetica tempore plagæ Angelum vidit evaginato gladio, & manu extensâ super Jerusalem, nõ ostensum fuisse ei, nisi hujus rei docendæ causâ. Eadem est ratio, idemq; sensus illius, quod legimus in historia Rebellionis filiorum
Zach. 3.1. Josuæ Sacerdotis magni; *Et Satan stabat ad dexteram ejus (Angeli), ut adversaretur ipsi:* quod item posteà additur, quâ ratione DEUS ipsum ab illo Angelo repulerit, dicẽdo; *Increpet te DOMINUS, Satan, increpet inquam te DOMINUS, qui eligit Jerusalem,* &c. Hic etiã est, quem vidit
Num. 22.32. Bileam in Visione Prophetica, qui dixit ei; *En ego egressus sum* lesatan *in adversarium tibi.* Scito autem, vocem *Satan* שָׂטָן derivari ex illo;
Prov. 4.15. שְׂטֵה *Declina ab ea, & transi.* Volo dicere, esse ex significatione *Declinandi, Recedendi* à re aliqua: ipse enim sine dubio est, qui declinare facit Hominem à via veritatis ad viam falsitatis & erroris. Eodem
Genes. 8.21. sensu dicitur; *Quia figmentum cordis Hominis malum est à pueritia ejus.*
De Figmẽto malo & Figmento bono. Nôsti enim, tritam esse in Lege nostra sententiam de יֵצֶר טוֹב וְיֵצֶר רָע *Figmento bono* & *Figmento malo*; & quòd Sapientes nostri dicãt, *Utroq; figmen-*

figmento tuo. De *Figmento malo* dicunt, quòd oriatur in Homine tempore nativitatis ejus, ex eo, quod dicitur; *Ad januam peccatum cubat:* Genes. 4. 7.
& quod Lex alibi ait; *A pueritia ejus.* De *Figmento bono* ajunt, quòd Ibid. 8. 21.
existere incipiat in Homine demùm post Perfectionem Intellectûs ejus. Ideò dicunt vocari Figmentum malum, *Regem magnum*; Figmentum autem bonum, *Puerum pauperem & sapientem:* sicut alibi comparatione simili utuntur de corpore Hominis ejusque diversis facultatibus, quando ajunt; *Civitas parva, & Homines in ea pauci,* &c. Hæc omnia passim & apertè in ipsorum scriptis inveniuntur. Postquàm ergo tibi exposuerunt, quod *Figmentum malum* sit *Satan,* & *Angelus,* h.e. quòd etiam vocetur Angelus, quia est in medio Filiorum Dei; sequitur quòd *Figmentum bonum* quoque in rei veritate sit *Angelus,* & per consequens, quòd tritum illud in ipsorum scriptis, *Cuilibet Homini duos adjunctos esse Angelos, unum à dextrâ, alterum à sinistrâ,* de Figmento bono & Figmento malo sit intelligendum. Ita enim expressè dicunt in Gemara de duobus istis Angelis; *Unus est bonus, & unus est malus.* Vide itaque, quàm mirabilia nobis ista dicta revelent, & quot falsas imaginationes nobis adimant!

Sed videor mihi totum negotium Jobi usque ad finem ejus satis exposuisse. Nunc itaque exponam tibi quoque opiniones de illo diversas, & quidem primò opinionem, quæ Jobo attribuitur; deinde opiniones illas, quæ Amicis ejus adscribũtur; & quidnam ex uniuscujusque verbis rationabiliter collegerim. Tu autem noli respicere ad alia, quæ ex ordine verborum fortè sequuntur, (h.e. *ad ea, quæ minùs sunt principalia, quæ pertinent tantùm ad seriem, continuationem vel connexionem ipsarum rerum*), sicut in principio hujus libri monui.

CAP. XXIII.

De diversis sententiis de Afflictionibus, quæ Jobo evenerunt.

POSITO hoc, quòd ea, quæ de Jobo narrantur, contigerint; extra controversiam *primò* omnium apud omnes quinque, Jobum videlicet, & Amicos ejus, hoc fuit: DEO notum esse, quicquid Jobo adversi accidit, ipsoque authore plagas istas omnes ei evenire. *Deinde,* quòd nulla coram ipso sit iniquitas, neque ulla violentia ipsi attribuatur. Invenies ista in majori parte verborum Jobi. Et cùm considerabis verba illorum quinque in dissensione ipsorum, deprehendes ferè, quicquid unus illorum dicit, id dicere omnes quinque,

&

& quòd verba eorum repetantur & confundantur. Inserta est illis narratio Jobi de gravitate dolorum & afflictionum suarum, cum commendatione suæ rectitudinis, justitiæ, ingenuitatis, bonorumq; operum. Sic in verbis Sociorum ejus continetur Admonitio ad Patientiam & Tolerantiam; verba item, quæ ipsum jubent doloris sui oblivisci, silere, neque linguæ suæ frænum laxare, sicut Vir, qui cum altero rixatur; sed potiùs ad judicia DEI sese humiliare, & tacere. Ipse verò ait, quòd gravitas dolorum non permittat esse patientem, tolerantem, & modestum. Ad-hæc, Socii ejus omnes consenserunt in hoc, quòd omnis, qui bene agit, retributionem accipiat; qui verò malè agit puniatur. Si videamus improbum florentem ac prosperantem, in fine tamen aliter cum ipso comparatum fore, ipsum moriturum, & summis angustiis tùm ipsum, tùm ejus domum & familiam affectum iri: & si videamus Virum pium adversâ uti fortunâ, certò tamen DEUM tandem plagas ejus curaturum. Inveniuntur ista passim in verbis Eliphas, Bildad & Tzophar. Tres enim isti in hoc consentiunt.

Verùm non est hoc nostrum propositum isto in loco; sed propositum nobis est indicare, in quo unus ab altero differat, & quæ'nam sit uniuscujusque in hoc negotio, quòd videmus maximum & gravissimum dolorem manere super Homine omnium integerrimo & rectissimo, sententia.

Jobi sententia de calamitatibus suis. *Jobi* sententia fuit, hoc argumento esse, propter vilitatem generis humani eandem esse rationem Justi & Injusti coram DEO Opt.
Jobi 9.22. Max. Hoc enim est, quod in genere ait; *Unum est, propterea dixi, perfectum & impium ipse consumit. Si flagellum occidat subitò, tentationem* (vel, *ad sublationem*) *innocentium subsannabit.* Q. D. Quando subitò & ex improviso flagellum venit, ac quemvis obvium occidit & è medio tollit, ad sublationem vel mortem innocentum DEUS tantùm ridet.
Jobi 21.23. Istam sententiam confirmat posteà alibi, quando ita ait; *Iste morietur*
24. *in fortitudine perfectionis suæ, totus quietus & pacificus, ubera ejus replebuntur lacte, & medullâ ossa ejus irrigantur. Et ille morietur animo amaro, nec comedit in hilaritate. Pariter super Terram jacebunt, & vermis operiet eos.* Deinde incipit ostendere felices successus impiorum, ipsorumque
Jobi 21.6. prosperitatem, idque multis & copiosis admodùm verbis; *Si quando recordor*, inquit, *tunc terreor, & apprehendit carnem meam tremor, Cur impii vivunt, senescunt, & pollent opibus? Semen eorum stabile est coram ipsis*, &c.

Enarratâ hac impiorum fœlicitate, alloquitur Adversarios suos, dicen-

dicendo eis; Si ita comparatum est, ut existimaris, quòd filii Hominis infidelis, in prosperitate viventis, morituri sunt, memoriaque ipsorum delenda, quid nocet illi prosperitate fruenti, quod liberi ejus post ipsum patiuntur? dum ait; *Quia quæ erit complacentia ejus erga domum suam post se, quum numerus mensium ejus truncatus sit?* Post-hæc exponit, quòd nulla sit exspectatio post mortem, & per consequens nulla supersit spes; sed quòd ista sint adscribenda derelictioni & oblivioni DEI. In admirationem insuper rapitur, quomodo DEUS non derelinquat quoque ipsam creationem vel nativitatem Hominis, cùm gubernationem ejus relinquat? *An non*, inquit, *sicut lac liquefecisti me, & sicut caseum coagulâsti me?* Jobi 21. 21. Jobi 10. 10.

Hæc est una illarum sententiarum de Providentia, quarum suprà à nobis facta mentio, quam etiam quidam ex Magistris speculationis crediderunt. Nôsti autem, quòd Sapientes nostri dixerint, hanc Jobi sententiam in summo gradu esse malam. Dixerunt etiam; *Terra super os Jobi.* Item: *Voluit Job vertere scutellam super os ejus.* Item: *Job negavit resurrectionem mortuorum.* Item: *Incepit cum contumeliis & blasphemiis.* Sed quia DEUS ad Eliphas & Socios ejus ait, *Non loquuti estis ad me rectum, sicut servus meus Job*, dicunt Sapientes nostri, ad eum excusandum horum verborum caussâ, *Non capitur Homo propter dolorem suum*; vel, *Non prehenditur Homo in dolore suo*: h.e. non imputatur ei peccatum, propter summos ejus dolores; & hanc verborum speciem non referri ad istum hujus parabolæ sensum, verùm caussam illius esse, quòd Job istam sententiam, quæ summè est erronea, revocavit, erroris que sui demonstrationem attulit. Quòd enim utique ita primò esse videatur, quòd tales cogitationes Homini subrepant, inprimis ei, cui tanta mala accidunt, cùm ipse innocentiæ suę sibi sit conscius, de eo nulla est controversia. Ideò attribuunt quidem Jobo istam sententiam; sed dicunt, illum, quæcunque dixit, dixisse eo tempore, quo nullam adhuc veram DEI habuit scientiam & cognitionem, sed per Cabbalam tantùm, sicut eum cognoscunt vulgus Hominum: cùm autem cognovit DEUM cognitione verâ, agnovisse quòd vera Beatitudo, quę consistit in cognitione DEI, parata sit omnibus, qui eam cognoscunt, neque eam turbare possit ulla angustia, quæ Homini accidit. Jobus etenim existimavit, apparentes istas Beatitudines, ut est Sanitas, Divitiæ, Liberi, esse perfectissimas, quamdiù per Cabbalam & Traditionem tantùm DEUM cognovit, non verò per speculationem, & hac de caussa hæsit in istis perplexitatibus, verbaque illa protulit. Hoc enim est, quod

Jobi 42.5. ait; *Auditu auris audiveram te, nunc autem oculus meus videt te. Idcircò abjicio, & pœnitet me in pulvere & cinere.* Q. D. Idcircò rejicio quicquid cócupiveram, & pœnitet me, quòd fuerim in medio pulveris & cineris:
Jobi 2.8. sicut dicitur; *Et ipse sedebat in medio cineris.* Propterea de ultima ejus sententia, quæ docet de apprehensione vera, dictum est illud; *Quia non loquimini ad me rectum, sicut servus meus Job.*

Eliphasi sententia de Jobi afflictionibus. *Eliphasi* sententia quoque una est ex sententiis illis de Providentia commemoratis. Dicit iste; Justo DEI judicio Jobo accidisse, quicquid ipsi accidit: quia enim Job multis peccatis contaminatus fuerit, dignum fuisse ipsum, qui hac ratione tractetur. Hoc enim sibi
Jobi 22.5. vult, quando ad Jobum ait; *An non malitia tua magna est? & non est finis iniquitatibus tuis.* Deinde dicit Jobo; Opera illa tua, & synceritas tua, quibus inniteris, quæque optima esse tibi imaginaris, non faciunt te perfectum coram DEO, ita ut non puniri posis vel debeas.
Jobi 4.18. *Ecce,* inquit, *in servis suis non invenit fidem, & in Angelis suis ponit pollutionem; quantò magis in iis, qui habitant domos luteas, quorum est in Terra fundamentum?* Atq; ab hac sententia nunquam recessit Eliphas, quâ videlicet credidit, justum & æquum esse, quicquid Homini accidit, ac imperfectiones modosq; omnes, quibus pœnas promeremur, nobis esse absconditos.

Bildadi sententia. *Bildad Schuchita* autem sententia in hac quæstione fuit, quòd credidit Permutationem, Catastrophen, & Recompensationem. Dicit enim ad Jobum; Quòd si innocens fueris, & sine peccato, tùm gravium istorum malorum, quæ tibi eveniunt, caussa est, ut tantò ampliorem remunerationem accipias, ut optimam permutationem facias; in summa, magno tuo bono inserviunt tibi ista omnia, cujus
Job. 8.6. particeps futurus es in sæculo venturo. Hoc est, quod inquit; *Si purus & rectus fueris, certè suscitabit nunc super te bonum, & pacificum reddet habitaculum justitiæ tuæ, eritq; principium tuum parvum, novissimum verò tuum crescet valdè.* Sed nôsti jam hanc sententiam de Providentia, eamque à nobis jam habes expositam.

Tzopharis sententia. *Tzopharis Naamatita* sententia est, quòd DEUS omnia agat pro suo beneplacito, neque caussa actionum ejus sit investiganda, vel dicendum, cur hoc faciat, illud verò non? Ideoque non quæri debere viam æquitatis vel decretum Sapientiæ in actionibus ejus, quia substantiam & essentiam ejus sequatur, ut faciat id, quod vult; Intellectum verò nostrum nimis angustum esse ad occulta Sapientiæ ejus comprehendenda, de cujus jure & proprietate hoc sit, ut faciat id,
Job. 11.5.6.7. quod vult, & nullâ aliâ ex caussâ. Hoc est, quod dicit ad Jobum; *Quis*

det.

det DEUM *loqui,& aperiat labia sua tecum? Et annuntiet tibi occulta Sapientiæ; quia duplo majora secundùm Legem: & scito,quòd oblitus tui* DEUS *propter iniquitatem tuam! Num investigationem* DEI *invenies? an usque ad perfectionem Omnipotentem invenies?* Vide & perpende,quâ ratione hoc negotium confusos reddiderit Homines,& ad sententias illas de Providentia DEI erga Creaturas,quas exposuimus,permoverit. Meminerunt autem ea,quorum mentio facienda erat,& attribuerũt ea Viris tùm temporis notis & celebribus. Sive autem sit Parabola, sive reverà dixerint,siquidem sit res gesta,sententia illa, quæ Jobo adscribitur, convenit cum sententia *Aristotelis*; sententia Eliphas cum sententia *Legis nostræ*; sententia Bildad cum sententia *Muatzali*; sententia Tzopharis cum sententia sectæ *Assariæ*: quæ fuerunt sententiæ priscæ de Providentia.

Post has producitur sententia alia,quæ attribuitur *Elihu*,qui commendatur & laudatur,quòd ætate & annis quidem minor,sapientiâ autem major ipsis fuerit. Hic reprehendit & corripit Jobum,stultitiæq; ipsum insimulat,quòd tantoperè miretur,tàm gravia mala sibi contingere,cùm tamen benè agere semper studuerit, & quòd tantis laudibus opera sua extollat. Ita inquit de tribus ejus Sociis,quòd sententiæ ipsorum propter senectutem illorum sint corruptæ. Verba autem & ænigmata talia profert,ita ut Lector admiretur,& existimet,illum non aliud,quàm quod Eliphas,Bildad & Tzophar,dicere,sed sententias illorum aliis nonnihil verbis repetere,& latiùs explicare. Nam ferè nihil aliud agit, quàm ut Jobum corripiat & reprehendat; DEUM autem à rectitudine & æquitate laudat,mirabilia ejus in hoc Mundo recenset,&,quòd neq; cultum pii & relligiosi, neq; rebellionem impii & rebellis curet,exponit. Atque ista omnia dixerunt quoq; ipsius Amici. Verùm si attentè consideraveris,deprehendes rem quandam aliam ab ipso adductam,quæ intentionem ejus continet,neq; à reliquis tacta fuit. Posteà verò admiscet id,quod reliqui etiam dixerunt,ac si singuli, Job videlicet,& Amici ejus,repeterent id, quod cæteri dixerunt, sicut commemoravi; idque ad occultandum id, quod in uniuscujusque sententia est proprium & peculiare, ita ut Vulgus existimet unam communem esse omnium sententiam, cùm tamen longè aliter res sese habeat. Id autem, quod Elihu præ cæteris adjecit, est, quod sub parabola Orationis Angeli, cujus summa hûc redit, proposuit: Notum est,inquit,quòd Homo in morbis sæpè perveniat usque ad portas mortis,ita ut de ipsius vita desperetur; quòd si hic habeat Angelum,

qui ipsius caussam agat, pro ipso intercedat ac deprecetur, tùm, quicunq; demùm sit Angelus, oratio ac deprecatio ejus suscipitur, ægrotus à morbo & omni periculo liberatur, pristinæq; suæ sanitati restituitur; attamen non fit hoc perpetuò, neq; semper intercedit ac deprecatur Angelus, sed tribus tantùm vicibus. Verba ejus hæc sunt;
Jobi 33.23. *Si fuerit tùm apud eum Angelus interpres*, &c. Et postquàm narravit, quomodo ægrotus à morbo liberetur, & ob recuperatam valetudinem
Ibid. v.29. lætetur, inquit; *En omnia ista facit* DEUS *duabus aut tribus vicibus cum Viro*. Atque hanc rem attulit Elihu solus. Sed & istud præ cæteris habet, quod paullò ante ista verba legimus de qualitate Prophetiæ,
Jobi 33.14. dum inquit; *Etenim uno modo loquitur* DEUS, *aut etiam duobus, ei, qui non viderit illum, per somnium Visionis nocturnæ, cùm venerit sopor super Homines*. Post hæc incipit confirmare hanc suam de Providentia sententiam, exponendo vias DOMINI in recensione Rerum naturalium, Tonitruum, Fulgurum, Pluviarum, Ventorum. Et his multa etiam de conditione Animātium interserit & admiscet; volo dicere,
Jobi 34.20. de plagis, quæ eis eveniunt: ut, cùm ait; *Subitò morientur, & mediâ nocte commovebuntur Populi, ac transibunt*: de Bellis item gravibus;
v.24. *Conterit fortes, quorum non est investigatio, & stare facit alios pro eis*. & multa alia similia. Et sic invenies, quòd in illa Prophetia, quæ Jobo contigit, in qua error ejus ipsi detectus fuit in omnibus iis, quæ cogitaverat, de nulla alia re agatur, quàm de rebus naturalibus, utputà de Elementis, Meteoris, & Naturis Animalium. Quod verò ibi narratur de Æthere, Cœlo, Orione, Pleiadibus, id factum est tantùm ratione operationum ipsorum in Aëris regione nobis vicinâ, & docet nos solummodò de rebus sublunaribus. Atque ita Elihu quoq; eru-
Jobi 35.11. ditus fuit de Animalibus, sicut dicit: *Qui docet nos de jumentis Terræ, & de volatili Cœli sapientes efficit nos*. Id autem, in quo maximè & diutissimè immoratur (DEUS) in sermone illo, est descriptio Leviathanis, per quem nihil aliud intelligitur, quàm complexus generalis proprietatum corporalium, quæ dispersæ sunt in quolibet Animali ambulante, repente & volante. Omnium verò istorum finis & scopus est, docere mentes nostras non assequi, quâ ratione Entia ista omnia in Mundo hoc generabili & corruptibili innoventur, neque etiam, quomodo facultates istæ naturales in illis existant & incipiant; non esse hæc similia illis, quæ inter nos fiunt; quomodo proinde possimus laborare, ut gubernatio & providentia DEI circa illa ita sit comparata, quemadmodum gubernatio & providentia nostra? Itaque hic nobis subsistendum esse, & credendum, occulta

Per Levijathan quid intelligatur.

DEO

DEO Opt. Max. non esse abscondita, sicut Elihu inquit; *Quia oculi ejus sunt super vias Viri, & gressus ejus videt, Non sunt tenebræ, neque umbra mortis, ut lateant eum ibi operantes iniquitatem:* sed aliam esse Providentiæ ipsius quàm nostræ rationem: neque ejusmodi esse ipsius curam erga Creaturas suas, qualis est cura nostra erga res nostras; nec sub una definitione comprehendi, sicut insipientes existimant; neque denique quicquam inter se, præter nomen, commune habere: quemadmodũ operationes nostræ non sunt similes operationibus ipsius; nec sub una definitione comprehenduntur; & qualis differentia est inter Actiones Naturales & Artificiales, talem quoque esse differentiam inter Gubernationem, Providẽtiam & Intentionem Divinam respectu Rerum naturalium, & inter Gubernationem, Providentiam, & Intentionem nostram, respectu Rerum nostrarum. Job.34.21.

Hic fuit scopus totius libri Jobi, ut scilicet constituatur hic articulus Fidei, & doceatur; A' rebus naturalibus discendum esse, ut non erremus, aut cogitemus, Scientiam ejus ita se habere ut Scientiam nostram; Intentionem, Providentiam & Gubernationem ejus sicut Intentionem, Providentiam & Gubernationem nostram. Hoc fundamentum si Homo intellexerit, nihil ipsi durum erit, quicquid ei acciderit, neque etiam in dubias propterea cogitationes de DEO incidet, an videlicet id sciat nec'ne? an curam sui gerat nec'ne? sed potiùs in amore DEI vehementiùs accendetur, sicut in fine hujus Prophetiæ dicitur; *Idcircò abjicio, & pœnitentiam ago in pulvere & cinere.* Sic dicunt Sapientes nostri; *Faciunt ex amore* (præcepta DEI), *ut lætentur in castigationibus.* *Scopus libri Jobi.* Jobi 42.6.

Quòd si igitur ista, quæ hactenus dixi, eâ attentione consideraveris, quæ in hoc libro requiritur, & rationes omnes libri Job perpenderis, in sensum & intellectum ipsius penetrabis, cernesque me omnia hîc comprehendisse, nihilque omisisse, nisi ea, quæ ad ordinem verborum & cohærentiam vel connexionem rerum spectant.

CAP. XXIV.

De Tentatione. *Quo sensu* DEUS *dicatur* tentare Homines.

TENTATIONIS ratio dubia quoque valdè est, & inter dubias rationes Legis Divinæ non postrema. Mentionem ejus facit Lex in sex locis, sicuti in hoc capite declarabo. Tentationis in *Lege sexies fit mentio.*

Quid vulgus sentiat de Tentatione. Vulgaris Hominum de illa sententia est, eam nihil aliud esse, quàm cùm DEUS Opt.Max. plagas & pœnas Homini immittit sine ullo ejus præcedente merito, idque ut tantò amplius ipsi reddat ac retribuat præmium. At hujus dogmatis expressè Lex non meminit, neque etiam nisi unicus locus, ex sex illis commemoratis, in Lege extat, ex cujus sensu litterali erui posse hoc videri queat, quem in sequentibus tibi sum expositurus. Contrarium verò hujus sententiæ Deut.32.4. benè reperimus in Lege: ut, *DEUS veritas est, & non iniquitas.* Ita nec Sapientes nostri omnes quicquam de Vulgi opinione ista noverunt. Dicunt enim; *Non est mors sine peccato, neque castigatio sine iniquitate.* Et hæc est sententia, quæ credenda & amplectenda est omnibus Filiis Legis intellectu præditis; nequaquam autem iniquitatem ullam DEO attribuere: (absit hoc procul à talibus!) ut, E.G. Rubenem esse innocentem, & afflictiones illas, quas sustinet, non commeruisse. Verùm quod *Tentationes* illas attinet, quarum in Lege, in sex illis locis, fit mentio, ubi occurrunt in sensu *Tentationis* & *Probationis* vel *Explorationis*, quâ DEUS vel certi alicujus Viri, vel Populi Fidem aut Pietatem voluit cognoscere, in illo sensu dubium adhuc maximum est, inprimis in historia Ligationis Isaaci, de qua nemo quicquam scivit, præterquàm DEUS & illi duo, *(Abrahā sc. & Isaac).*
Gen.22.12. Dicitur ibi: *Nunc scio, quòd DEUM timeas.* Ita dicitur alibi; *Tentat*
Deut.13.3. *DOMINUS DEUS vester vos*, ladaat *ad sciendum, an diligatis DOMI-*
Deut.8.2. *NUM DEUM vestrum ex toto corde vestro?* &c. Item; Ladaat *Ad sciendum, quod est in corde tuo.* Ista autem dubia tibi nunc solvam & enodabo.

Scopus & finis Tentationum. Scito ergo, quòd *Tentationis*, cujus in Lege fit mentio, nullus alius sit sensus vel scopus, quàm ut sciant Homines, quid ipsis sit credendum vel faciendum: at quando in Tentatione opus aliquod præcipitur, tamen nequaquam opus illud ipsum intenditur; sed intentio ejus est, ut inserviat pro exemplo, ex quo Homines aliquid discere
Deut.13.3. debent, quod sequantur & imitentur, sicut dicitur; *Ad sciendum, an sitis diligentes*, &c. Sensus enim hujus loci non est, quòd DEUS co-
Exod.31.13. gnoverit, quia jam antè scivit: sed sicut dicitur; *Ut sciatis, quòd ego DOMINUS, qui sanctifico vos*: ubi sensus est, *Ut sciant Gentes.* Sic proinde dicit etiam (in *præcedenti loco* sc.); Quando exsurget inter vos aliquis, qui gloriatur de Prophetia, & signa ejus videbitis, quibus persuadere vult, veritatem inesse verbis ipsius; tùm scitote, quòd hac re velit DEUS notam facere in Gentibus mensuram Fidei vestræ in veritate Legis suæ, & Apprehensionis, quâ ipsum apprehenditis;

ditis; quòd item non ſinatis vos ſeduci perſuaſione ſeductoris, neque eo medio fides veſtra in DEUM pereat; idque ut ad eam *(fidem veſtram* ſc.) reſpiciat, quicunque veritatem quærit, & in iis, quæ credenda ſunt, quærat talia, quæ ejuſmodi ſoliditatem habent, cum qua non reſpiciat ad Miraculorum patrationem: nam hæc eſt vocatio ad impoſsibilia. Non proſunt autem Miracula, niſi illi, qui dicit poſsibilia, ſicut in Talmud expoſuimus.

Poſtquàm igitur patet, quòd vocis Ladaath *Adſciendum*, ſenſus ſit, *Ut ſciant Homines:* patet etiam, quomodo intelligēdum ſit illud, quod de Manna dicitur, *Ut affligeret te, ac tentaret te*, ad ſciendum, *quid ſit in corde tuo, utrùm obſervaturus eſſes Præcepta ejus, an non?* videlicet, *Ut ſcirent Gentes*, & palàm fiat Mundo, quòd DEUS ſuſtentet eum, qui cultum ipſius ſequitur, unde non exiſtimat. Et ſic dicitur hoc eodem ſenſu de Manna, cùm primò deſcenderet; *Ut tentem eum, utrùm ambulaturus ſit in Lege mea, an non?* Vult enim dicere, *Ut quivis videat & cognoſcat*, utrùm proſit & ſufficiat, cultui Divino ſe tradere, an verò non ſufficiat? Sed quod tertiâ vice de Manna dicitur, *Qui pavit te Mannâ in deſerto, quod non noverant patres tui, ut affligeret te, & tentaret te*; hoc videtur docere, DEUM quandoque affligere Hominem ad præmium ejus multiplicandum. Verùm nequaquam ita eſt: verba enim illa alterutro horum modorum ſunt intelligenda; vel ut idem ſit illorum ſenſus, qui duorum præcedentium locorum de Manna, videlicet, *Ut notum faceret*, an ſufficiat ad ſuſtentationem cultus DEI, Hominemque à moleſtia & labore liberet, an verò non? vel erit ſenſus, *Ad tentandum te*, h.e. Ad aſſuefaciendum, ad exercendum te, ſicut in illo; *Quæ non tentavit plantam pedis ſui ſtatuere ſuper Terram.* Q.D. DEUS anteà voluit aſſuefacere vos ad laborem in deſerto, ad multiplicandum Bonum veſtrum, quando ingreſſuri eſtis in Terram (Canaan ſc.). Et hoc eſt veriſsimum. Nam *Exitus vel Tranſitus à labore ad quietem longè ſuavior eſt, quàm continua requies.* Ac notum eſt, quòd non potuiſſent Terram ſubigere, neque habitatores ejus debellare, niſi laborem & moleſtiam ferre didiciſſent in deſerto. Ita enim inquit Lex; *Dicebat enim DEUS, ne fortè pœniteat Populum, quum viderint bellum, & revertantur in Aegyptum, ideò circumduxit DEUS Populum per viam deſerti maris Suph, & accincti aſcenderunt filii Iſraël è terra Aegypti.* Quies & Otium auferunt Homini fortitudinem; Labor verò & Cibus durus augent eam. Et hoc eſt *Bonum illud*, quod tandem ad illos redundavit in hoc negotio.

Quod dicitur, *Ut tentaret vos, venit DEUS*; illius idem ſenſus eſt cum

Deut. 8.2.
Exod. 16.4.
Deut. 8.16.
Deut. 28.56.
Exod. 13.17.
Exod. 20.20.

cum eo, quod legitur in Deuteronomio, de eo, qui prophetizat in nomine Dei falsi, *Quia tentat DOMINUS DEUS vester*, &c. cujus sensum jam exposuimus. Sic proindè dicitur hîc eis in Statione Montis Sinai, (*in loco videlicet praced. ex Exodo*); Ne timeatis, quia Visio ista magna, quam vidistis, hûc inservit, ut ad oculum videatis veritatem, quò, cùm DEUS vos tentaverit per Prophetam falsum, qui contrarium dicit ejus, quod audivistis, ad mensuram fidei vestræ in lucem producendam, firmiter & constanter persistatis in ea, neque gressus vester vacillet: & fortè, si ego (*Moses*) tanquam legatus ad vos veniam, vobisque dicam id, quod in mandatis datum mihi est, non audiatis illud, sed credatis alii, cùm venerit, & contrarium ejus, quod ego, vobis indicaverit, id quod facilè fieri posset, nisi id in Visione ista audivissetis.

Deut. 13. 3.

De Tentatione Abrahami. Genes. 22.

Historia Abrahami de Ligatione Isaaci comprehendit duo magna fundamenta Legis. *Unum* est, nobis indicare, quousque se extendat Amor & Timor DEI? Præcepit enim illic tale quid, cum quo nec pecuniæ, neque vitæ profusio comparari potest, sed quod omnia longè excedit & superat, quæ excogitari possent; quin-imò ad quod Naturam inclinare & flecti posse cogitari nequit: hoc videlicet; Ut sit Vir quidam, qui summo prolis suscipiendæ tenetur desiderio, prædives, in summa authoritate constitutus, & nihil magìs in votis habens, quàm ut Gens aliqua ex suo semine sit superstes, cui post omnem amissam spem in extrema senectute filius nascatur, & qui posthabito omni affectu ac amore (qui sanè non nisi summus esse potest) propter timorem & amorem DEI, ad præceptum ejus de filio illo suo dilecto stabiliendum, relinquat omnem, quam in ipso collocaverat, spem & expectationem, ac ad mactandum eum post trium dierum iter consentiat. Hoc certè maximum est. Nam si eo momento, cùm mandatum accepit, facere id voluisset, fuisset actio turbulenta, præceps & inconsiderata; verùm quòd id facit post aliquot dierum ab accepto mandato spatium, inde colligitur, fuisse actionem consideratam, maturè deliberatam, & testimonium ac probationem obedientiæ, amoris & timoris DEI, neque hîc ad quicquam aliud, vel ad ullam aliam passionem respiciendum esse. Nam Abraham non festinavit occidere filium suum ex pavore aut terrore aliquo ipsi à DEO injecto, ne fortè ipse occideretur, vel ad paupertatem ab ipso redigeretur; sed ut notum fieret Hominibus, quidnam conveniat facere propter amorem & timorem DEI, non propter spem alicujus præmii, vel metum pœnæ, sicut multis in locis expo-

exposuimus. Ideò dicit Angelus, *Nunc scio, &c.* Q. D. Ex hac actione, Gen.22.12.
propter quam ab omnibus *DEUM timens* vocaberis, cognoscent omnes, quantus in te sit timor DEI, & quousque pertingat. Atque hoc confirmatur & declaratur in Lege, dum docetur, quòd finis totius Legis in Preceptis affirmativis & negativis, in promissionibus, comminationibus, & narrationibus, sit una tantùm res, *Timor sc.* DEI *Opt. Max.* Hoc enim est, quod dicitur; *Et erit, si non custodieris omnia verba Legis istius, quæ scripta sunt in Libro isto, ut timeas Nomen gloriosum & terribile istud, DOMINUM DEUM tuum.* Et hoc unum est ex duobus illis, quæ ex historia Ligationis Isaaci discimus.

Finis Legis est timor Dei.

Deut.28.58.

Alterū est, docere, quòd in rei veritate crediderint Prophetę ea, quę ipsis per Prophetiam à DEO oblata fuerunt; ne quis cogitet, ideò, quia in Visione aut Somnio, aut mediante Virtute Imaginatrice id fit, non semper fieri reverà id, quod audiunt, vel quod ipsis repræsentatur: aut aliud dubium hîc relinquatur. Ideò voluit nos hîc certos reddere, quòd omnia ea, quæ Prophetæ vident in Visione Prophetiæ, vera sint & certa apud Prophetam, ac extra omnem dubitationis aleam penes ipsum posita; adeoque non aliter se habeant, quàm res omnes existentes, quæ sensibus vel intellectu apprehenduntur. Probatio hujus rei est hæc, quòd Abraham voluerit jugulare filium suum unicum, quem dilexit, sicut præceperat DEUS; licèt præceptum illud ei vel in Visione, vel in Somnio datum fuerit. Quòd si Prophetæ essent dubitabundi in Somnio Prophetiæ, aut si dubitarent aliquo modo de iis, quæ in Visione Prophetiæ apprehendunt, sanè non consensissent ad talia facienda, à quibus Natura abhorret; neque potuisset Abraham in animo suo invenire, ut faceret tàm magnam & dubiam actionem. Ac conveniens omninò fuit, ut Ligatio hæc fieret per manus Abrahami & Isaaci. Abraham enim Patriarcha primus fuit, qui incepit docere Unitatem DEI, Fidem illam confirmare, propagare, & animis Hominum implantare: unde de illo dicitur, *Quia novi eum, quòd præcipiet*, &c. Quemadmodum Genes.18.19.
igitur sequuti sunt Homines sententias ejus veras, quas ab ipso audiverunt: ita decet quoque, ut sequantur ea, quæ sequuntur ex ipsius operibus, inprimis verò Actionem hanc, quâ confirmavit veritatem Prophetiæ, & timoris ac amoris DEI fastigium nobis monstravit.

Sic itaque intelligenda sunt ea, quæ de *Tentatione* in Scriptura legimus; nequaquam autem, ac si DEUS ideò probaret ac tentaret Hominem, ut ipse sciat aliquid, quod anteà ignorârit. Absit, absit

hoc ab Ipso, quod fatui & stulti secundùm malitiam cogitationum suarum de Ipso cogitant!

CAP. XXV.

Quòd Opera DEI non propter solam ejus Voluntatem sequantur, sed quoque propter ejus Sapientiam, & Finem aliquem habeant.

Actiones finium ratione sūt quadruplices.

DISTINGUUNTUR *Actiones* Finium ratione in quatuor partes. Sunt enim *Actiones* quædam *Vanæ & Inanes*, (quę nullo certo fiunt fine), quædam *Jocosæ*, (quæ joci & risûs causſâ tantùm fiunt), quædam *Frustraneæ*, quædam denique *Bonæ*.

Actiones frustraneæ quæ.

Actiones Frustraneæ vocantur illæ, in quibus Agens finem, quem intendit, propter impedimenta & obstacula quædam, non assequitur. Audis enim sæpè quendam dicentem ad alium, *Frustrà laborâsti*; quando nempe quis E. G. Virum quendam quæsivit, sed non invenit; vel laboriosum iter suscepit, sed negotiatione suâ nihil lucratus est. Item; *Industria & molestia nostra in hoc ægroto fuit frustranea*; quando videlicet non curatur. Et sic omnes illæ Actiones vocantur, in quibus fines certi intenduntur, sed non obtinentur.

Actiones vanæ vel inanes.

Actiones Vanæ vel *Inanes* sunt illæ, in quibus nullus planè finis intenditur: ut, cùm Homines E. G. manibus suis nugantur, quando sunt cogitabundi: actiones item furiosorum & perturbatorum.

Actiones jocosæ vel joculares.

Actiones Jocosæ vel *Joculares* sunt illæ, quæ levis & exigui alicujus finis causſâ fiunt, h.e. in quibus intenditur res aliqua non-necessaria & inutilis: ut, cùm quis saltat non in eum finem, ut incalescat & concoctionem promoveat; vel, cùm quis aliquid risûs tantùm & joci causſâ agit. De istiusmodi enim actionibus sine dubio dicitur, quòd sint ludus & risus. Variant autem secundùm Agentium intentionem & perfectionem. Sunt etenim res quædam, quæ nonnullis sunt necessariæ & utilissimæ, nonnullis verò nulli prorsus usui: ut, Exercitium corporis secundùm diversas ejus species, necessarium est ad conservationem sanitatis apud Medicæ artis peritos: sic, Scriptio magnum habet usum apud Viros sapientes & litteratos. Nam qui exercitiis corporis utitur ad sanitatem suam conservandam, ut V. G. lusu pilæ, luctatione vel digladiatione, aut spiritûs retentione; vel, qui ea, quæ ad scriptionem requiruntur, agit, ut calamum aptare, char-

chartam præparare, is ab Hominibus imperitis ludicrum quid agere censebitur, sed non apud sapientes & eruditos.

Actiones bonæ sunt illæ, quas Agens bono & laudabili fine agit, necessario nempe, vel utili, quemque etiam assequitur. *Actiones bonæ.*

Atque hæc divisio vel distinctio talis est, meo judicio, cui non potest contradici. Nam qui facit actionem aliquam, vel intendit in ea finem quendam, vel non intendit. Finis autem, qui intenditur, quandoque est honestus, quandoque verò levis & minùs honestus; ac interdum acquiritur, interdum verò non. Hæc distinctio est necessaria & coacta.

His itaque sic expositis, dico, neminem sano intellectu præditum posse dicere, ullum aliquod DEI opus esse vel Frustraneum, vel Inane, vel Ludicrum & Jocosum; sed juxta sententiam nostram, & juxta sententiam cujusvis, qui sequitur Legem Mosis Doctoris nostri, Opera ejus omnia sunt Bona valdè, sicut dicitur; *Et vidit DEUS quicquid fecerat, & ecce, bonum erat valdè.* Et, quicquid fecit DEUS propter opus aliquod aliud, illud est primò in existentia illius necessarium, deinde summoperè illi utile. E.G. Victus Animalium necessarius est ad subsistentiam; &, Existentia oculi est ipsis utilis ad illorum conservationem: neque alium finem habet victus, quàm Animalium ad tempus aliquod conservationem; & sensus, quàm utilitates, quæ ad Animalia ex apprehensionibus ipsorum redeunt. Ita Philosophorum est sententia; *In rebus naturalibus nihil esse vanum*: h.e. Omnia ea, quæ non sunt artificialia, necessariò finem propositum habere aliquem: nec referre, sive nos eum sciamus, sive non sciamus. Verùm juxta sectam Magistrorum speculationis, qui existimant, DEUM nihil facere propter aliud, & nullas esse caussas & caussata, sed omnia ejus opera esse secundùm meram Ipsius voluntatem, nullumque illorum finem quærendum, nec dicendum, cur hoc fecerit, illud verò non; atque adeò facere quicquid vult sine sapientia: juxta horum inquam sententiam, Opera DEI ingrediuntur in censum Operum vanorum, quin-imò leviora adhuc illis erunt. Nam qui in vanum laborat, is nullum finem intendit, sed est perturbatus, ignorans ipsemet quid agat! DEUS verò juxta illos scit quod agit, & intendit illud, sine tamen fine aliquo, & ad nullam utilitatem. Quòd autem operum DEI quædam sint tantùm Ludi caussâ, Jocosa, Ludicra, illud manifestam habet falsitatem in principio cogitationis. Neq; audiendi hìc sunt amentes illi, qui existimant, Simiam risûs & joci caussâ creatam esse. Ex mera enim naturæ Generationis & Corru-

Actiones Dei omnes bonæ, necessariæ, & utiles. Genes.1.31.

ptionis ignoratione, principii item hujus oblivione hoc procedit, quòd Intentio DEI fuerit, ita existere facere *(creare)*, quicquid existere potuit, sicuti videmus, &c, ut aliter sit, à Sapientia ejus non sit decretum. Propterea impossibile est secundùm hanc considerationem, quòd omnia sequantur decretum Sapientiæ ejus, *(ut sc. quædam ipsius opera sint ludicra)*. Sed illi, qui dicunt, quòd in Operibus DEI nullus finis spectetur, permoti sunt ad hoc necessariò, quia considerant totam rerum Existentiam secundùm suum sensum; quia dicunt, Quis est finis totius Mundi in universalitate sua? Et de necessitate existimant dicendum esse illis, qui credunt Novitatem Mundi, quòd sic voluerit DEUS; & non propter aliam caussam, & sic consequēter in omnibus Mundi partibus, ita ut ne quidem membranam oculi uveam perforatam, & cornicularem pellucidam esse concedant propter transmissionem spiritûs visivi, ut apprehendere possit objecta sua. Nequaquam enim concedunt, quòd ista sint visûs caussâ, quòd membrana una sit perforata, altera pellucida propter Visum; sed dicunt, Ita voluit DEUS: licèt alio modo Visus fieri potuerit. Ac extant loca quædam Scripturæ, ex quorum sensu literali in principio speculationis hic sensus elici videtur: ut, *Quicquid voluit, fecit*, &c. Item; *Anima ejus desideravit, & fecit.* Item; *Quis dicet tibi, quid facis?* At horum & similium locorum sententia est, quòd ea, quæ DEUS vult, necessariò fiant, neque à quoquam impediri possit, ne Voluntas ejus fiat; sed quòd DEUS non velit, nisi id, quod possibile est; neque omne possibile, verùm id, quod Sapientia ejus decernit: & sic bonum sit in summo gradu, quicquid vult DEUS facere, neque quisquam inter Ipsum & inter Opus impedimentum possit ponere. Atque hæc est sententia omnium Legem amplectentium, & Philosophorum. Et sic quoque est sententia nostra; quia licèt credamus, quòd Mundus sit innovatus, magna tamen pars Sapientum nostrorum non credunt, quòd sit propter voluntatem solam, & non propter rem aliam: sed dicunt, quòd Sapientia ejus, quæ est incomprehensibilis, necessariò fecerit existentiam Mundi hujus in Universalitate sua, sicut existit: & Sapientiam illam eandem, quæ non mutatur, necessariò postulâsse Privationem ejus antequàm existeret. Invenies hoc apud Sapientes in explicatione loci illius, *Omnia fecit pulchra in tempore suo.* Idq; totum fecerunt ad vitandum id, quod vitandum est; videlicet, Agentem facere opus aliquod, & nullum in eo finem intendere. Sic credunt vulgò Legis nostræ Doctores. Et ita quoq; exponunt Prophetæ nostri, quòd singulæ Operum naturalium

Psal. 115.3. Jobi 23.13. Jobi 9.12. Eccles. 3.11.

ralium partes sint ordinatæ, dispositæ & inter se invicem colligatæ, seseq; habeant ut caussæ & caussata, nullaque sint vel vana, vel frustranea, vel ludicra, sed summæ Sapientiæ opera. Ita dicit David; *Quàm multa sunt opera tua, DOMINE? Omnia in sapientia fecisti, impleta est Terra possessionibus tuis.* Item; *Omnia opera ejus in fide.* Item Salomon; *In sapientia fundavit Terram,* &c. Atq; hoc frequentissimè reperitur, neque aliter credendum est. Ita speculatio Philosophica pronuntiat, quòd in rebus naturalibus nihil sit vanum, frustraneum & ludicrum, multò minùs in corporibus cœlestibus, quæ materiæ suæ ratione magis sunt ordinata & disposita. Psal.104.24. Psal.33.4. Prov.3.19.

Scito autem, maximam dubiorum partem, quæ perplexitatem inducunt in investigatione finis totius hujus Universi, vel singularum illius partium, originem suam trahere ex errore & vana persuasione illa, quam de se-ipso Homo concipit, quasi nimirum ipsius caussâ omnia essent condita; ex ignorantia naturæ Materiæ hujus inferioris; ac denique ex ignorantia Intentionis primæ, quæ est, Existere facere, quicquid existere potest: quia Existentia bona est sine dubio. Ex illo itaque errore, & duarum dictarum rerum Ignoratione oriuntur dubia & scrupuli omnes, propter quos existimamus, quædam DEI opera esse Ludicra, quædam Vana, quædam Frustranea.

Scito etiam, illos, qui admiserunt istud absurdum, quòd DEI opera juxta illos sint sicut opera vana nullum prorsus finem habentia, ideò noluisse concedere, quòd sequantur ejus Sapientiam, ne illos hoc adigat ad recipiendam sententiam de Antiquitate Mundi. Ideò hîc clauserunt portam.

Sed declaravi tibi jam sententiam Legis nostræ in hoc negotio; Credendum nempe, nihil absurdi esse, si dicamus, omnium istorum Operum existentiam & privationem sequi Sapientiam DEI, at nos in ipsius Operibus multos modos Sapientiæ illius ignorare. Super hac sententia fundata est tota Lex Mosaica. Ab hac sententia incipit, dum ait; *Et vidit DEUS quicquid fecerat, & ecce, bonum erat valdè.* In eadem sententia finitur; *DEI perfectum est opus,* &c. Tu itaque hoc observa & considera. Nam si diligenter trutinaveris sententiam istam, & sententiam Philosophorum, ac ea, quæ in præcedentibus de hac materia capitibus dicta sunt, probè intellexeris, nullam ullà in re inter ipsas discrepantiam & diversitatem invenies, nisi quòd illi Antiquitatem Mundi credant, nos verò ejus Novitatem. Genes.1. Deut.32.4.

CAP. XXVI.

An Præcepta Mosaica finem & caussam habeant, an verò dependeant à sola Voluntate DEI?

QUEMADMODUM dissentiunt Magistri speculationis ab iis, qui Legem credunt, in hoc, Utrùm Opera Dei Opt. Max. sequantur ejus Sapientiam, an verò nudam ejus Voluntatem citra ullius finis respectum? sic manet eadem controversia de Præceptis, quæ nobis dedit. Sunt enim, qui nullam illorum caussam quærunt, sed dicunt, Præcepta omnia solam ipsius Voluntatem sequi. Alii dicunt, Omne Præceptum & Interdictum sequi ipsius Sapientiam, & certum finem spectare; omnia Præcepta suas habere caussas, & utilitatis alicujus gratiâ præcepta esse; omnia suas habere rationes; sed nos multorũ rationes, & modos Sapientiæ Divinæ in illis ignorare. Atque hęc est sententia communis omnium nostrorum Sapientum, tàm vulgarium, quàm singularium. Evidentia quoque hîc sunt Legis nostræ testimonia: ut, *Statuta & judicia justa*. Item: *Judicia* DOMINI *sunt veritas, justa sunt pariter*. Quod attinet illa, quæ vocantur *Chykkim* Statuta, ut *de Vestimento commixto ex lana & lino, de Carne & Lacte, de Hirco, qui in desertum emittebatur*, (de quibus Sapientes nostri dixerunt; *In verbis, quæ* chakakti *statui vel insculpsi tibi, non licet tibi cogitare*, [h.e. aliquid mutare, ea vellicare], &, *Satan accusat illa, Gentes Mundi contradicunt illis*): de his, inquam, non credit multitudo Sapientum nostrorum, quòd nullam caussam, nullumque finem habeant, (hoc enim modo reducerentur ad opera vana); sed credunt, quòd omninò habeant caussam, sive finem atque usum, nobis tamen, vel propter imbecillitatem mentis nostræ, vel propter imperfectionem sapientiæ, incognitum. Propterea omnia præcepta caussam habent, h.e. omnia Præcepta & Prohibitiones finem atque usum habent, idque ita, ut quorundam usus nobis sit cognitus & manifestus, ut Prohibitionis *homicidii & furti*; quorundam verò non, ut in Præceptis suprà commemoratis, item in Prohibitione *præputii*, & *heterogeneorum*. Illa, quorum usus & utilitas nota est, vulgo vocantur *Mischpatim* Judicia; illa verò, quorum usus non est vulgo manifestus, vocantur *Chykkim* Statuta. Hinc dicunt sæpè, כי לא דבר רק הוא מכם ואם דבר רק הוא מכם, h.e. *Datio preceptorum istorum*

An præcepta Mosaica finem & usum habeant?

Psal. 19. 9. 10.

Præcepta quadã habent finẽ evidentem & manifestum; quædam non.

istorum non est res inanis nullum usum habens; & si videatur praeceptum aliquod tale esse, tùm id provenit ex imperfectione apprehensionis vestra. Nôsti etiam tritum illud, quod communiter ajunt; *Salomonem scivisse caussas omnium praeceptorum, excepto illo* de Vacca rufa. Item illud, quod ajunt: *DEUM abscondisse caussas praeceptorum, ne nobis vilescerent, sicut Salomoni contigit in* * *duobus praeceptis, quorum ratio manifestata erat.* Atque hûc tenduntomnia Sapientum nostrorum dicta, omnia item Librorum Sacrorum testimonia. Unum tamen inveni apud Sapientes nostros in *Bereschith rabba*, ex quo videtur in principio cogitationis, quædam præcepta nullam habere rationem; sed simpliciter esse præcepta, ac nullum alium præterea habere finem, vel usum. Dicunt enim ibi; *Quid interest DEO Sancto & Benedicto, sive quis jugulet à collo, sive a cervice? Dicito, Non data sunt pracepta nisi* לצרף lezareph *ut illis probentur vel defæcentur Creaturæ, sicut dicitur*, Verbum DOMINI *Tzaruph*. Hoc dictum licèt sit mirabile, nullumq; ipsi simile in verbis illorum reperiatur, ita tamen illud explicabo, sicut audies, ut ne vel tantillum egrediamur ordinem verborum ipsorum, neque etiam discedamus à recepto isto fundamento, quòd omnia præcepta finem & usum habeant in hoc Mundo, sicut ajunt, *Quia non est res inanis*, &c. & sicut DEUS apud Prophetam ait; *Non dixi semini Jacob frustrà, quærite me: ego DOMINUS loquens justitiam, & qui annuntio recta.* Quod itaq; unicuiq; perfectâ mente prædito in hoc negotio credendum, hoc est, quod nunc indicabo; Unumquodq; præceptum *in genere* consideratum necessariò habet caussam aliquam, sed *partes, membra, & circumstantiæ* ejus sunt illa, de quibus dicitur, *quòd præcepta tantùm sint.* E.G. Interfectio Animalium ad necessitatem alimenti & sustentationis manifestam habet utilitatem; quòd verò fieri debet per mactationem, jugulationem, non per narium discisionem, aut œsophagi, & gutturis in certo loco amputationem, ista & similia faciunt, *ad probandum in illis Creaturas*, prout quidem ex ipsorum exemplo, *sive quis mactet a collo, sive à cervice* &c. tibi liquet: quod exemplum commemorare volui, quia sæpiùs in verbis Ipsorum p.m. occurrit; *Mactans à collo*, &, *Mactans à cervice.* Sed vera hujus rei ratio est, quòd, cùm necessitas Homines coëgit ad comestionem Animalium, spectatum fuerit, ut occiderentur morte levi, & levi cum actione. Nam Amputatio colli non potest fieri, nisi gladio vel simili instrumento; Mactatio autem quâvis re potest perfici. Atq; ad tantò leviorem mortem reddendam præceptum fuit, ut culter sit acutus. Verùm ad particularium præceptorum circumstantiarum rationem explicandam exem-

* *De non multiplicandis sc. primò equis, deinde mulieribus, quorum duorū præceptorum ratio in Lege est exposita & subjuncta, ut videre est Deut.* 17. 16. 17. *Vide Cōmentatores Hebræos* R. Schemtobh, *&* Ephodi.

Psal. 18. 31.

Jesa. 45. 19.

exempli loco adduci quoque meritò poteſt *Oblatio*. Nam oblatio hoſtiæ habet utilitatem magnam,ſicut explicabo; ſed quòd hoſtia una debeat eſſe Agnus,alia Aries, & quòd numerus ipſarum ſit certus ac definitus,ejus ratio nulla dari poteſt; qui verò laborat alicujus ſimilis circumſtantiæ rationem reddere,is meo judicio eſt amentiſſimus,neq; abſurditates à ſe removet,ſed potiùs ſibi auget. Is enim æquè longè abeſt à veritate,qui credit iſtiusmodi particularia habere rationes,atq; is,qui credit,totum præceptum nullam habere utilitatem. Ac ſcito,quòd Sapientia requirat, vel, ſi mavis, dic, quòd Neceſsitas poſtulet,ut talia in præceptis exiſtant,quæ nullam rationem habent; & quòd res quaſi impoſsibilis ſit in Lege,ut hujus claſſis res aliqua in illa non exiſtat. Modi autem hujus impoſsibilitatis ſunt iſti. Si dicas,quare illa oblatio debet eſſe Agnus,& non Aries? eadem quæſtio manſiſſet, ſi loco Agni poſitus fuiſſet Aries; nam neceſſariò ſpecies aliqua eſſe debuit. Ita ſi quis dicat, quare debent eſſe ſeptem Agni, & non octo? idem quæri poſſet,ſi fuiſſent octo,vel decem,vel viginti. Nam neceſſariò numerus aliquis conſtituendus fuit. Itaq; ſimile hoc eſt naturæ Poſsibilis,cujus hæc eſt ratio,ut neceſſariò ſit alterutrum Poſsibilium. De illis autem non poteſt quæri, Quare eſt hoc poſsibile,& non alterũ illorum? Eadem enim quęſtio moveretur,ſi alterum hujus loco eſſet. Tu itaq; hoc retine & animo tuo imprime, ut & illud,quòd,cùm Sapientes noſtri paſsim dicunt, Omnia præcepta ſuas habere cauſſas,Salomonem item omniũ prçceptorum cauſſas ſciviſſe; intelligẽdum id ſit de uſu ſive fine Præceptorum *generaliter*,non verò *de ſingulis illorum partibus & circumſtantiis*.

Cùm itaque ita ſe res habeat,omnia ſexcenta & tredecim præcepta in claſſes aliquot diſtribuam,quarum unaquæque aliquot iterũ præcepta,quæ ejusdem ſunt ſpeciei vel inter ſe affinia,contineat,& uniuscujusque claſsis cauſſas indicabo,unà cum utilitatibus,quæ nec in dubium vocari,nec refutari poſſunt. Deinde revertar ad ſingula præcepta,quæ ſub illa claſſe comprehenduntur,ſeorſim,& illorum quoq; cauſſam explicabo,ita ut non niſi pauca ſint remanſura, quorum rationes mihi nec in hodiernum uſque diem conſtant. Sic notæ ſunt mihi etiam quædam particulares præceptorum circumſtantiæ,quarum ratio reddi poteſt. Sed poſt hæc iſta omnia ex me audies. Nequeo enim tibi cauſſas iſtas omnes explicare,niſi poſtquàm præmiſero capita quædam, in quibus complexurus ſum aliqua,quæ viam quaſi ad illa nobis ſternent. Iſta autem ſunt illa capita,quæ nunc ſum exorſurus.

CAP.

CAP. XXVII.
Legem duplicem habere Intentionem, Εὐταξίαν *videlicet Animæ, &* Εὐταξίαν *Corporis.*

INTENTIO generalis Legis est duplex, Εὐταξία nempe *Corporis*, & Εὐταξία *Animæ*. *Intentio Legis duplex.*

Εὐταξία *Animæ* est, ut dentur Populo pro illius captu sententiæ veræ in rebus Relligionis. Ideò quædam sunt traditæ clarè & manifestè, quædam verò sub parabolis. Non enim fert natura imperiti Vulgi Apprehensionem rerum illarum veram, prout est. *1. Εὐταξία Animæ.*

Εὐταξία *Corporis* consistit in dispositione & ordinatione victûs ipsorum, quem sibi invicem subministrant. Et hæc iterum duabus rebus perficitur: *primò*, Omnem inter ipsos violentiam tollendo ne quivis agat id, quod ipsi lubet, placet, vel potest; sed unusquisq; respiciat commodum publicum: *secundò*, docendo Homines virtutes ad Reipublicæ gubernationem utiles & necessarias. *2. Εὐταξία Corporis.*

Scito autem, duarum harum Legis Intentionum unam sine dubio alteram dignitate precedere; primas enim partes dignitate sibi vendicat εὐταξία Animæ, quę res Fidei complectitur; altera autem prior est Naturâ & Tempore, εὐταξία videlicet Corporis, quæ de Reipublicæ gubernatione & negotiorum ejus administratione agit.

Et hæc secunda priùs est necessaria, unde etiam magìs exactè & minutim unà cum suis partibus est in Lege tractata. Nam non potest perveniri ad Intentionem primam, nisi post adeptam perfectionem istam secundam. Ostensum enim est per demonstrationem, quòd Homo duas perfectiones habeat, *Perfectionem* nempe *primam*, quæ est perfectio Corporis, & *Perfectionem secundam*, quæ est perfectio Animæ. *Perfectio prima* est, ut sit sanus in optima dispositione corporali. Hoc verò esse nequit, nisi omni tempore necessaria sua inveniat, ut Alimenta, & alia ad Corporis regimen spectantia, Habitationem sc., Balnea, & alia hujus generis. Istud autem nequit perfici ab uno solo Homine; (nullus etenim Homo ad hanc mensuram pervenire potest): sed à congregatione politica totius alicujus Regionis vel Civitatis, sicuti notum est, quòd Homo sit naturâ Animal Politicum. *Perfectio secunda* est, ut sit Intelligens actu, ac sciat de omnibus Entibus, quicquid Homo scire potest secundum ultimam *Duplicem perfectionem habet Homo, primam & secundam.*

ſuam perfectionem. Evidens autem eſt, quòd in hac Perfectione ſecunda nulla ſint opera, nec qualitates aut virtutes, ſed ſcientiæ & cognitiones ſolùm, quæ ex ſpeculatione & diligenti inquiſitione proveniunt. Clarum etiam eſt, ad nobilem iſtam Perfectionem ultimam non poſſe perveniri, niſi poſt Perfectionem primam. Homo etenim non poteſt intelligere Intelligibile, etiam ſi ab alio doceatur, multò minùs à ſe-ipſo, quamdiù dolore, fame, ſiti, calore, frigore &c. affligitur & premitur. Sed poſtquàm pervenit ad perfectionem primam, poteſt quoque pervenire ad perfectionem ſecundam, quæ eſt omnibus modis præſtantiſsima, utpote quæ ſola cauſſa eſt Vitę perpetuæ & æternæ. Lex autem vera, quam docemus eſſe unam, & nullam aliam præter ipſam, Lex inquam Moſis, ſimul nobis tradit utramque Perfectionem; *Diſpoſitionem nempe & σύνταξιν actionum & negotiorum humanorum*, per violentiæ ſublationem, & honeſtarum laudabiliumque virtutum formationem, ita ut Homines in tali ordine ſubſiſtere, vivere & conſervari poſsint, quò ad primam Perfectionem pertingant; deinde *Diſpoſitionem rerum credendarum & rerum ſciendarum*, ut pertingant ad Perfectionem poſtremam. Has duas Perfectiones deſcripſit nobis Lex ipſa, & indicavit, quòd finis Legũ illarum ſit, ad illas Hominem perducere: dum inquit; *Itaq; præcepit nobis DOMINUS facere omnia ſtatuta iſta, ut timeamus DOMINUM DEUM noſtrum, ut bene ſit nobis omnibus diebus, & conſervaret nos in vita ſicut hodiè*: ubi primo loco poſuit perfectionem poſtremam, propter ejus dignitatem, ſicuti declaravimus comparatam eſſe Perfectionem ultimam. Hoc enim eſt, quod ait; *Ut benè ſit nobis omnibus diebus*. In quem ſenſum, ut nôſti, Rabbini noſtri ajunt; *Ut benè ſit tibi in illo Mundo, qui totus Bonus eſt; & prolonges dies in Mundo, qui totus Longus eſt*. Sic namque ejus, quod hîc ait, *Ut benè ſit nobis omnibus diebus*, ſenſus quoque eſt, *Ut pervenias in Mundum, qui totus bonus eſt & longus*; quæ eſt ſubſiſtentia perpetua & æterna. Quod verò ait, *Ut vivificaret nos ſicut hodiè*, id intelligitur de ſubſiſtentia corporali prima, quæ ad tempus tantùm durat, & non perficitur, niſi in totius alicujus Provinciæ vel Civitatis congregatione, ſicut expoſuimus.

Utramq; perfectionem Hominis docet Lex.

Deut. 6. 24.

CAP.

CAP. XXIIX.

Quòd omnia & singula Præcepta tendant vel ad Εὐταξίαν *Animæ, vel ad* Εὐταξίαν *Corporis, adeoq́; finem aliquem habeant.*

EX iis, de quibus monendus & instruendus es, est & hoc, ut scias, quòd Lex sententiarum & scientiarum illarum, per quas perfectio ultima acquiritur, finem tantùm dederit. Præcepit enim nobis credere in genere Existentiam DEI, Unitatem item, Scientiam, Potentiam, Voluntatem & Æternitatem illius, quæ omnia sunt fines ultimi, qui in specie & definitè cognosci nequeunt, sed post multarum demùm rerum cognitionem. Ita præcepit credere principia quædam, quæ necessaria sunt ad εὐταξίαν Conversationis Politicæ & Civilis: ut, quòd DEUS irascatur contra eum qui rebellem se ipsi præbet, ideoq́; timendum & cavendum esse, ne rebellemus ei. Verùm de reliquis sententiis vel scientiis realibus in hac Universitate, ut sunt omnes scientiæ speculativæ secundùm varias suas species, quibus sententiæ illæ, quæ sunt finis ultimus, verificantur, nihil expresè Lex pręcepit sicut de prioribus, sed in genere tantùm, sicut ait; *Ad diligendum DOMINUM*. Nôsti autem, quàm severè præceperit Lex de dilectione DEI, cùm ait; *Diliges eum ex toto corde tuo, ex tota anima tua & ex omnibus viribus tuis.* Deut.6.5. Verùm docuimus in Opere nostro Talmudico, quòd iste Amor non rectè firmetur, nisi per Apprehensionem veram totius hujus Entium Universitatis & Sapientiæ DEI in illa latentis cognitionem, ac simul indicavimus, quid de hoc negotio tradant Sapientes nostri.

Ex iis autem, quæ nunc de hac re diximus, colligimus, quòd omne Præceptum, sive sit Affirmativum, sive Negativum, hûc tendat; *primò*, ut omnem violentiam tollat, & mores bonos, ad Societatis politicæ conservationem necessarios, generet: *deinde*, ut veras opiniones de iis, quæ credenda sunt, doceat, & quidem tales, quæ vel per se scitu sunt necessariæ, vel ad violentiam tollendam, aut virtutes honestas excitandas. Et de talibus Præceptis dicimus, quòd manifestam habeant rationem & utilitatem, neque de fine eorum quærendum sit. Nullus etenim est, qui hæsitabundus sit, vel quærat, *Finis & scopus omnium præceptorum.*

Cur mandatum nobis sit credere, DEUM esse Unum? vel, Quare prohibitum nobis sit Homicidium, Furtum, Vindicta, Ultio sanguinis? aut, Cur jubeamur nos invicem diligere? Sed Pręcepta, de quibus perplexi Homines sunt & disputant, ita ut quidam dicant, illa nullam habere utilitatem, sed simpliciter esse præcepta; quidam verò, quòd utilitatem, nobis tamen occultam, habeant; sunt illa, in quorum sensu litterali nulla utilitas apparet è tribus illis rebus, quarum mentionem fecimus; h.e. quòd nec opinionem aliquam veram credendam contineant, nec virtutem aliquam honestam doceant, nec denique iniquitatem & violentiam è medio tollant; sed è quorum sensu videtur, ac si nihil facerent nec ad εὐταξίαν Animæ, docendo de rebus Fidei, nec ad εὐταξίαν Corporis, præscribendo ordines & vias ad gubernationem Reipublicę vel Oeconomiæ necessarias, ut sunt, Præcepta de Vestimentis heterogeneis, de diversis Seminibus, de Lacte & Carne, de tegendo Sanguine, de Vitula decollata, de redemptione primogeniti Asini, & similia, quorum omnium explicationem, rationes veras ac demonstrationes adhuc ex me audies, exceptis tamen particularibus circumstantiis, & paucis quibusdam aliis præceptis. Exponam enim tibi, quòd ista omnia & similia necessariò ad aliquam trium dictarum rerum faciant, vel sc. ad εὐταξίαν Animæ, vel ad εὐταξίαν Corporis, quæ duobus absolvitur, Ablatione Violentiæ, & Formatione honestarum Virtutum. Probè autem retine ea, quæ de Fidei dogmatibus diximus; quòd sc. quandoque præceptum aliquod Fidei aliquem explicet articulum, ita ut ille solus, & nihil aliud spectetur, prout est articulus de Unitate, Æternitate, & Incorporeitate DEI; quandoque autem ita, ut credendus sit, vel ad auferendam iniquitatem, vel ad acquirendos bonos mores: ut est illud, quòd DEUS irascatur contra eum, qui alium opprimit, sicut dici-

Exod.22.23. tur; *Irascetur[q;] furor meus, & occidam vos.* Item illud, quòd DEUS statim exaudiat clamorem oppressorum & afflictorum.

CAP.

CAP. XXIX.

De Abrahamo, quòd, cùm inciperet refutare Zabaistas, illorumq́ Idololatriam oppugnare, à Rege fuerit incarceratus & relegatus. Alia quædam de illorum Idololatria & Fabulis, &c.

Zabaistæ Stellas habebant pro Diis.

NOTUM est, Abrahamum Patrem nostrum educatum esse in fide Zabæorum, qui statuerunt, Nullum esse DEUM præter Stellas. Sed cùm indicavero tibi in hoc capite Libros ipsorum, qui nunc inter nos extant translati in linguam Arabicam, & Annales ipsorum antiquos, ac exinde sententias illorum produxero, videbis, quòd expressè dicant, Stellas esse Divinas, (vel, *Deos minorum Gentium*), & Solem esse Deum Magnum. Ita dicunt quoque, reliquos quinque Planetas esse Deos, sed duo Luminaria esse Majores. Invenies quoque, illos clarè dicere, Solem regere Mundum superiorem & inferiorem. His ipsis verbis dicunt istud. Sic reperies quoque in dictis ipsorum Libris & Annalibus, quòd de Abrahamo in hunc sensum scribant; Cùm Abrahamus, qui educatus est in Cuthia, à vulgo dissentiret & diceret, quòd præter Solem alius sit Creator, incepisse illos sic & sic ipsi objicere, & inter alias objectiones meminerunt quoque Operationum Solis evidentium & manifestarum in hoc Mundo. Abrahamum autẽ respondisse eis; Justi estis, h.e. Rectè dicitis, quia Sol est instar securis, quæ est in manu cædentis ipsâ. Deinde meminerunt quoque objectionum quarundam, quas ipse movit contra illos. Et tandem scribunt, quòd Rex ipsum incarceraverit; sed hoc nihil obstante ipse perrexerit in carcere sese illis opponere. Quocirca Regem, cùm timeret, ne Regno suo detrimentum inferret, Hominesque à Relligione sua abduceret, ipsum in fines usque Orientis, confiscatis omnibus ejus bonis, relegâsse. Invenies hæc omnia manifestis verbis in libro, qui vocatur העבודה הנבטית. Eorum verò, quæ in Libris nostris Canonicis habemus, nullam faciunt mentionem, ut nec illius, quòd Prophetia ipsi oblata fuerit; quoniam refutare ipsum studebant, eò quòd sententiæ illorum malæ contradiceret. Ac certè nullum mihi est dubium, quin erronei illi spiritus, cùm ipsis contradiceret, omnis generis maledictis &

Fabula ipsorum de Patriarcha Abrahamo.

conviciis illum proſciderint. Et quia omnes illas injurias propter DEI gloriam patienter ferebat, (prout æquum eſt facere), idcircò dictum eſt ipſi: *Benedicentibus tibi benedicam, & maledicentibus tibi maledicam.* Cujus rei impletionem hodieque videmus, dum omnes Homines unanimiter ipſum admirantur, & in ipſo benedicuntur, etiam illi, qui non ſunt ex ejus ſemine. Nec quisquam eſt, qui huic rei contradicat, aut qui dignitatem & excellentiam ejus ignoret, niſi reliquiæ quædam nationis illius abjectæ, quæ remanſerunt in extremis Terræ partibus, ut infideles Turcæ in partibus quibusdam Aquilonis, & Indi in quibusdam Auſtralis Terræ partibus. Illi enim ſunt de reliquiis nationis Zabaiſtarum, quæ Gens totum Terrarum orbem impleverat. Summus autem gradus, ad quem Philoſophi illius temporis in ſpeculatione ſua pervenerunt, fuit, quòd exiſtimârunt, DEUM eſſe Spiritum Sphæræ vel Orbis cœleſtis; Orbes cœleſtes & Planetas eſſe Corpora, & DEUM Opt. Max. eſſe Spiritum illorum. Meminit hujus ſententiæ *Abubachar Alſaig* in Commentario ſuper librum *Ariſtot. de Auditu.* Ideò omnes *Zabaiſtæ* crediderunt Antiquitatem Mundi, quia Cœli juxta illos ſunt DEUS. Inſuper exiſtimârunt, *Adamum primum* fuiſſe virum ex viro & fœmina, ſicut reliqui Homines, progenitum. Sed tamen magnis laudibus ipſum evexerunt: dixerunt, illum fuiſſe Apoſtolum Lunæ, vocâſſe Homines ad cultum Lunæ, & Libros compoſuiſſe de Cultura Terræ. Sic de *Noah* dicunt Zabaiſtæ, quòd fuerit Agricola, neque ipſi cultus Imaginum placuerit. Inde invenies, omnes Zabios vituperare Noam, & dicere, quòd nullas coluerit Imagines. Item, quòd in judicium vocatus, carcerique incluſus fuerit, eò quòd DEUM Opt. Max. coluerit: & alia. *Schethum* exiſtimant diſceſsiſſe à ſententia patris ſui Adami in cultu Lunæ. In ſumma, tanta mendacia proferunt, ut nil niſi riſum iis concitent, & ſummam mentis ſuæ *ἀῤῥωςίαν*, ac Philoſophiæ ignorantiam & imperitiam prodant. De Adamo dicunt, quòd, cùm ex climate, h.e. ex Terra שמש, quæ Indiæ vicina eſt, egreſſus, & terram Babel ingreſſus fuit, multa mirabilia ſecum aſportaverit, & inter illa Arborem, flores, folia, & ramos auri habentem, Arborem item talem lapideam, folia item cujusdam Arboris ita vireſcentis, ut folia ejus ab igne non conſumantur, & quæ ſub ſe comprehendere vel tegere poſsit decem millia virorum ſtaturæ Adami, quòd duo ſecum folia geſtaverit, è quorum unoquoque duo Homines contegere vel veſtire ſe potuerint! Atque ſic multa alia narrant hujus generis admiranda! Miror autem illos, quòd Mundi æter-

Geneſ. 12. 3.

Zabaiſtarū fabula de Adamo.

De Noa.

De Schetho.

æternitatem crediderint, & tamen rebus iſtis impoſsibilibus in Natura fidem adhibuerint! Intentio verò illorum in commemoratione Adami, & eorum, quæ ei attribuunt, ad nihil aliud tendit, quàm ad confirmandam ſententiam de Æternitate Mundi, & ut inde porrò ſequatur, Aſtra & Orbes eſſe DEUM.

Cùm autem egreſſus fuit Columna illa Mundi (Abrahamus), & didiciſſet, quòd DEUS ſit abſtractus, incorporeus, & omnes Orbes & Stellæ ipſius opera, vanitatumque iſtarum, in quibus educatus fuit, falſitatem intellexiſſet; cœpit ſententias & dogmata illa refutare, ac publicè ſeſe illis opponere, *Nomenque DOMINI DEI Mundi invocare*, ita ut profiteretur, DEUM eſſe, & Mundum hunc creâſſe. Gen. 21. 33.

Porrò, ſecundùm ſententias illas Zabiorum erexerunt Stellis Imagines, & Soli quidem Imagines aureas, Lunæ verò argenteas, atque ita Metalla & Climata Terræ inter Stellas partiti ſunt. *Zabii Stellis erexerunt Imagines.* Dixerunt enim, Climatis N. DEUM eſſe Stellam N. Deinde Sacella ædificaverunt, *Sacella item.* Imaginesque in illis collocârunt, arbitrantes, vires Stellarum influere in illas Imagines, easque Intelligendi virtutem habere, Hominibus Prophetiæ donum largiri, ac denique, quæ ipſis utilia ac ſalutaria ſunt, indicare. Ita dicunt de Arboribus, quæ ſunt ex portione Stellarum illarum; cùm Arbor quædam Stellæ alicui dedicatur, nomini ejus plantatur, & hoc vel illo pacto colitur, quòd virtutes ſpirituales Stellæ in Arborem illam infundantur, ita ut ſecundùm modum Prophetiæ cum Hominibus, ut prophetēt, loquatur, & in Somnio etiã illos alloquatur. Hæc omnia invenies in ipſorum libris, quorum mentionem feci. Atque hi ſunt *Prophetæ* illi *Baalis*, & *Prophetæ Lucorum*, quorum in Libris Sacris mentio fit, in quorum animis ſententiæ iſtæ tàm altas radices fixerunt, *ut dereliquerint DOMINUM, & clamârint ad Baalem, Exaudi nos!* *Prophetæ Baalis & Lucorum.* 1. Reg. 18. 26. Iſta omnia provenerunt ex opinionum illarum divulgatione, & ſummâ ignorantiâ ac dementiâ, quæ tùm in Mundo regnabat. Atque ex hac Imaginationum ſpecie ortæ ſunt ſententiæ aliæ, è quibus fuerunt *Præſtigiatores* (מְעוֹנְנִים), *Augures* (מנחשים), *Aſtrologi* (מכשפים), *Incantatores* (חובר חבר), *Conſulentes Magos, Arioli* (ידעוני), *& Quærentes ex mortuis.* Sed in magno noſtro Opere Talmudico expoſuimus jam, quòd Abraham Pater noſter p. m. rationibus inceperit opiniones iſtas refutare, & lenibus ac placidis verbis corda Hominum ad verum DEI cultum pertrahere, donec in medium prodiit Princeps ille Prophetarum, & perfectè hôc negotium exequutus eſt, Infideles ejusmodi Homines morte mulctare, memoriam ipſorum delere, & è Terra Viventium exſtir-

Deut.7.5. exstirpare jubens, (*Altaria*, inquit, *eorum destruetis*, &c.) vias quinetiam ipsorum sequi seriò interdicens, sicut ait; *Non ambulabitis in statutis Gentium*, &c. Nôsti enim ex pluribus Scripturæ locis, quòd prima Legis nostræ intentio sit, Idololatriam tollere, memoriam illius, & omnium eorum, quæ illi adhærent, aut Hominibus ad illam vel minimam occasionem præbēt, delere; ut, Pythonum, Ariolorum, Traductionis per ignem, Divinatorum, Præstigiatorum, Incantatorum, Augurum, Astrologorum, Mortuos consulentium, &c. cavere deniq; ne operibus illorum vel tantillum nos assimilemus, multò minùs in illis ambulemus. Hinc dicitur expresse in Lege: Omne id, quod tanquam cultus aliquis Idolo præstatur; omnem item oblationem, quæ illi offertur, abominationi esse Creatori. Hoc quippe est, quod dicitur; *Quia omnem abominationem, quam odio habet, faciunt Diis suis*. Invenies in libris ipsorum, quos tibi nominabo, quòd SOLI (Deo suo majori) obtulērint septem vespertiliones, septem mures, & septem reptilia alia, cum certis quibusdam rebus; quæ sola sufficere possunt ad magnam illorum abominationem mortalibus ostendendam. Itaque manifestam habent utilitatem omnia præcepta & interdicta, Idololatriam, & quicquid illi adhæret, ad eam permovet aut pertinet, prohibentia; quia faciunt ad nos ex pestiferis illis opinionibus eripiendos, quæ ab iis, quæ ad utramq;, Corporis & Animæ, perfectionem nobis prosunt, nos in insanias illas deturbant, in quibus Patres & Seniores nostri educati fuerunt, sicut de illis dicitur; *Dixitq; Jehosua ad universum Populum, Sic dixit* DOMINUS DEUS *Israël, Trans flumen habitaverunt Patres vestri à seculo, ut Therah pater Abraham, & pater Nahor, servieruntq; Diis alienis*: & sicut de illis Prophetæ veri dixerūt; quòd *post vanitates, quæ nihil prosunt, ambulaverint*. Quanta igitur est utilitas omnium illorū præceptorum, quæ nos ab hoc magno errore liberant, & ad veram de DEO fidem convertunt? docendo sc., quòd DEUS in hoc Mundo sit, qui omnia creavit, quòd Ipse sit colendus, diligendus & timendus; non verò illi, qui falso pro Diis habentur; & quòd ad Voluntatem ejus perficiendam nulla res laboriosa requiratur, sed solùm Ipsius Amor & Timor, quibus duobus totus cultus ejus perficitur, sicut tibi sum declaraturus. Hinc dicitur; *Et nunc Israël, quid postulat* DOMINUS DEUS *tuus abs te, nisi ut timeas eum?* &c. Verùm in sequentibus pleniùs hac de re dicam: nunc revertor ad propositum meum, & dico, quòd multarū Legum rationes & caussæ mihi innotuerint ex cognitione fidei, rituum & cultûs Zabiorum, prout videbis, quando illorum præceptorum caussas

Marginalia: Lev.20.23. — *Prima Legis intentio est, Idololatriam tollere.* — Deut.12.31. — *Oblationes, quas Zabaistæ Soli obtulerunt.* — Jos.24.2. — *Amore & Timore Dei cultus Divinus perficitur.* — Deut.10.12. — *Multorum præceptorum rationes didicit Author ex fide & ritibus Zabaistarum.*

caussas tibi sum expositurus, quæ nullas habere videntur. Recensebo tibi autem Libros quosdam, ex quibus & tu addiscere poteris ea, quæ mihi de fide & opinionibus Zabiorum sunt cognita; quò reverà scias & intelligas illorum veritatem, quæ in præceptorum caussis reddendis sum in medium prolaturus. Celeberrimus inter hos est Liber, qui vocatur העבודה הנבטית (h.e. ut alii transferunt, *de Agricultura Aegyptiorum*), quem transtulit *Aben vachaschijah*. In capite sequenti verò docebo te, cur Zabii fidei suæ capita descripserint conjunctim cum Agriculturæ ratione). Hic Liber plenus est insaniarum Idololatricarum, & aliarum rerum, ad quas vulgò Homines propendent & inclinant; de Fabricatione sc. Imaginum loquentium, (Hebr. הטלסמאות, quam vocem ita transferre solent) de Descensu Spirituum familiarium, de Præstigiis, de Dæmoniis, de Diabolis, de Habitantibus in desertis, (quales fuerunt *Satyri*). Præterea continentur in eo multa alia ridicula, quibus tamen existimant se subtiliter refutare velle miracula illa manifesta (*Mosis* sc. *& Prophetarum*), ex quibus universi cognoscunt, quòd DEUS sit judex omnium Hominum, sicut dicitur; *Ut scias, quòd DOMINI sit Terra*, &c. Item: *Quia ego DOMINUS in medio Terræ*. De Adamo primo narratur ibi, illum in Libro suo scripsisse, esse in India Arborem quandam, cujus ramus in Terram projectus instar serpentis repat: Arborem item aliam, cujus radix habeat formam humanam, & vocem vehementem, ac distincta verba edat ac loquatur: Item, esse certam quandam Herbam, quæ si sumatur, ac in collo suspendatur, Hominem reddat invisibilem, ita ut non videri possit, quónam ingrediatur, vel unde exeat; quòd si verò de illa suffitus sub Cœlo conficiatur, audiri in vicino Aëre fragores ac tonitrua horrenda, quamdiù fumus ille ascendit. Hæc & similia multa deliria narrantur ibi de mirandis virtutibus Plantarum & proprietatibus Agriculturæ, quibus miracula conantur evertere, ac quòd singulari tantùm solertiâ & industriâ fiant, persuadere. Ex illis est etiam fabula illa de Arbore אמלוי quæ est quoque ex *Ascheroth*, h.e. *Lucis*, sive *Arboribus in honorem Deorum plantatis*, quibus, ut ostendi, serviebant. Ajunt; Arborem illam stetisse in Nineve 12000 annis, & litem ipsi intercessisse cũ *Jabruach*, h.e. *Mandragora*, propterea quòd hæc locum ejus occupare vellet: ac Virum quendam, qui prophetavit virtute arboris אמלוי, prophetiâ ad tempus privatum fuisse; posteà verò cùm iterum ad prophetandum ipsum impelleret, significâsse ei (*Arborem* sc. אמלוי), se occupatam fuisse in judicio cum יַברוּחַ h.e. *Mandragora*; itaque præcipere ei, ut

Fabula, quas Adamo affingunt Zabaistæ.

Fabula de duarum Arborum יברוח & אמלוי *contentione.*

scribat ad omnes judices, ut judicent inter illas, ac pronuncient, quænam meliorem & majorem in præstigiis vim haberet, אמלוי an יברוח *Mandragora?* Prolixa admodùm illa est fabula. Ex illa autem, si probè eam consideraveris, addisces sententias & sapientiam Hominum illorum. Et hi tamen fuerunt Sapientes Babelis, in magna existimatione habiti in temporibus illis obscuris; ista enim sunt, in quorum fide educati fuerunt. Ac nisi mensura illa cognitionis de existentia DEI esset, quæ nunc inter Gentes est divulgata, essent isti nostri dies majoribus tenebris adhuc involuti, quàm illi. Sed revertor ad propositum meum.

De Thammus Pseudo-Propheta.

Narratur quoque in Libro illo fabula de Pseudo-propheta quodam Idololatrico, cujus nomen erat *Thammus*; quòd, cùm vocaret Regem ad colendos septem Planetas & duodecim signa Zodiaci, ac à Rege ignominiosè interficeretur, illâ nocte, quâ interfectus fuit, omnes Imagines ab extremitatibus Terræ convenerint in Palatio, quod in Babylonia Imagini magnæ aureæ, Imagini videlicet Solis, inter Cœlum & Terram pendenti, erectum erat. Ibi Imaginem illam (*Solis* sc.) in medio procidisse, reliquis Imaginibus in circuitu ejus circumstantibus, ac Thammusum deflere vel plangere, &, quid ei contigerit, narrare cepisse; reliquas Imagines ploràsse, & totâ nocte lamentatas esse: Aurorâ verò ascendente omnes simul avolàsse, & in Templa sua in extremas Terræ oras reversas esse. Hinc consuetudinem introductam esse, ut primo die mensis *Thammus* (h.e. Junii) lamententur, lachrymētur, plangant & lugeant propter Thammusum (Pseudo-prophetam). Vides itaque, quales opiniones foverint illius temporis Homines. Antiqua autem valdè est historia de Thammus apud Zabios; sed ex illo libro addisces maximam partem deliriorum, operum & festorum Zabaistarum. Id verò, quod narrant de Adamo primo, de Serpente, de Arbore scientiæ boni & mali, de Vestimentis, quòd anteà non in usu fuerint, cave, ne intellectum tuum abripiat, & existimes, illa verè Adamo vel alii contigisse. Illa enim omninò nunquam fuerunt in rerum Natura. Verùm si leviter tantùm & superficialiter rem consideres, deprehendes, quòd falsa sint ea omnia, quæ in hac fabula narrantur, & conficta ab illis, posteaquàm Lex nostra Gentibus innotuit, & historiam Operis *Bereschith* h.e. Creationis audiverunt. Tùm enim illi statim omnia secundùm sensum litteralem acceperunt, & fabulas illas effinxerunt, ut Homines simplices ista audientes persuadeantur, ac si Mundus esset Antiquus, & illa, quæ in Lege narrantur, ita, ut ipsi defi-

definiunt, gesta essent. Quamvis autem tu non opus habeas hac admonitione, quia jam instructus es talibus scientiis, quæ prohibent, ne animum apponas ad insanias istas Casdæorum, Chaldæorum & Zabiorum omni sapientiâ (quæ quidem reverà ita nominari meretur) carentes, nihilominùs tamen illa ad alios præservandos monere volui; quia Vulgus nimis est facilis ad fidem fabulis istis adhibendam. Ex Libris porrò illis sunt quoque, *Liber Haistamchus*, qui Aristoteli, sed falsò, attribuitur; *Liber* item *Hattel esmaoth* (h.e. de Imaginibus loquentibus); *Liber Tamtam*; *Liber Hassiharabh* (ספר השרב); *Liber Maaloth haggalgal vehazzuroth haoloth becol maaleh* (h.e. Liber de gradibus Orbium cœlestium & figuris ascendentibus in unoquoque gradu); *Liber alius de Imaginibus loquentibus*, qui etiam attribuitur Aristoteli; *Liber quidam*, qui attribuitur Hermeti; *Liber Isaaci Zabii*, in quo disputat pro Lege Zabiorum; *Liber* item *illius magnus de Consuetudinibus, & particularitatibus Legis Zabiorum*: ut, de illorum Festis, Sacrificiis, Precationibus, & aliis ad Fidem ipsorum spectantibus. Hi omnes sunt Libri de rebus Idololatricis tractantes, & in linguam Arabicam translati: nec dubium est, quin exigua pars sint respectu illorum, qui non sunt translati, vel qui non amplius extant, sed longitudine temporis perierunt. Illi autem, qui inter nos extant, complectuntur maximam partem opinionum & operum Zabiorũ, quorum quædam adhuc hodiè in Mundo nota & usitata sunt: ut, Exstructio Templorum, & Figurarum tùm fusilium, tùm lapidearum in illis collocatio; Altarium erectio, & Sacrificiorum, variorumque ciborum generum super illa oblatio; Festorum Celebratio; ad Preces & alios cultus Templorum illorum, in quibus Loca magnifica valdè (quæ Templa formarũ Intellectualium appellant) exstruunt, congregatio; Figurarum super montes excelsos positio; Lucorum sive Arborum illarum reverentia; Statuarum erectio; & alia, quæ ex illis Libris, de quibus te instruxi, potes petere. Cognitio autem istarum opinionum & scientiarum est porta magna (h.e. multum inservit) ad reddendas Præceptorum caussas. Nam totius nostræ Legis fundamentum & cardo, circa quem vertitur, est, sententias illas è cordibus Hominum delere, & memoriam illarum exstirpare, sicut dicitur; *Ne seducat cor vestrum*, &c. Item; *Cujus cor avertat se hodiè*, &c. Item; *Sed altaria eorum destruetis, & lucos illorum comburetis igne, nomenq; ipsorum perdetis*, &c. Atque hæc duo passim in Lege repetuntur & inculcantur. Hæc etiam prima ac principalis totius Legis nostræ fuit Intentio, sicut nos docuerunt Sapientes no-

Libri Zabaistarum.

Deut. 11. 16.
Deut. 29. 18.
Deut. 12. 3.

Deut.15.23. ſtri in expoſitione trita illius, quod DEUS ait; *Quicquid præcepit vobis* DOMINUS *per manum Moſis.* Dixerunt: *Ecce, diſcu hinc, quòd, quicunq, confitetur Idololatriam, habeatur pro eo, ac ſi totam Legem abnegáſſet: & quicunque abnegat Idololatriam, pro eo, ac ſi totam Legem confeſſus eſſet.*

CAP. XXX.

Quare Antiqui Idololatræ Agriculturam & cultum ſeu venerationem Stellarum conjunxerint?

Zabaiſtæ adſcribunt Stellis fœcũditatem Terræ.

QUÒD ſi conſideraveris opiniones illas antiquas & infirmas, apparebit tibi, in confeſſo quaſi apud illos fuiſſe, quòd per cultum Stellarum exculta & fœcunda reddatur Terra. Hinc Sapientiores, Doctiores & Relligioſiores inter ipſos, prædicabant & indicabant Hominibus, quòd Agricultura, quâ Homines ſubſiſtunt & conſervantur, ab ipſorum voluntate dependeat, ſi nempe Solem reliquaque Aſtra debito cultu venerentur; ſi verò peccatis ſuis illa offendant, urbes & agros vaſtari. Scribunt in Libris ſuis, quòd propter iram Martis deſerta & deſolata loca careant aquis ac arboribus, & Dæmones horrendi loca illa incolant. Summis laudibus extollunt Agricolas, Vinitores, propтereà quòd laborant in excolenda & habitabili reddenda Terra, tanquam ſummo Aſtrorum deſiderio & voto.

Cauſſa, propter quam Idololatræ magnifaciunt Boves & Armenta, eſt, quòd magnam utilitatem præbent in Agricultura: ita ut dixerint, Non eſſe permiſſum illa mactare, quia magnæ virtutes & commoda ex illis ad Homines redeant ab Aſtris propter Agriculturam; ſubjecta tamen eſſe Homini cum virtutibus ipſorum, quia DEUS illorum uſu delectatur, quem in Agricultura præbent. His itaque opinionibus inter Homines ſparſis, conjunxerunt cultum Idolorum cum cultu Terræ, eò quòd cultura Terræ ſit Hominibus & multis Animalibus neceſſaria. Sacerdotes autem Idolorum concionabantur Hominibus in congregationibus & cœtibus Eccleſiaſticis, illorumq; animis imprimebant, propter ejusmodi cultus Pluviam de Cœlo deſcendere, Arbores agri fructus ferre, Terram fœcundam reddi. Attende quid dicant in Libro *de Agricultura Aegyptiorum*, ubi de Vineis ſermo habetur, ſicut ibi clara invenientur ipſorum verba. Dicunt, Sapientes & Prophetas ipſorum

an-

antiquos præcepisse, ut diebus festis certis instrumentis Musicis coram Imaginibus ludant, eò quòd Dii illis, qui hæc faciunt, benefaciant, & amplas remunerationes largiantur. Atque harum promissionum multas admodùm fecerunt species: ut, quòd longævam vitam sint habituri; quòd morbi ab illis auferendi; quòd à magnis vitiis sint conservandi; quòd Terra proventum suum sit datura, & Arbores fructus ad satietatem prolaturæ. Huc-usque sunt verba Zabiorum. Cùm igitur tantoperè opiniones istæ divulgari & obtinere cœpissent, placuit DEO Opt. Max., pro immensa sua erga nos misericordia, errores istos ex animis nostris evellere, & tantos labores à corporibus nostris, per laboriosarum & inutilium istarum actionum abolitionem, auferre; deditque nobis Legem suam per manum Mosis p.m., qui nobis in DEI Nomine indicavit, si Astra aliaque Corpora cœlestia coluerimus, Pluviam cessaturam, Terram infœcundam & sterilem futuram, Arbores fructus suos non daturas, varia mala temporibus, & vitia corporibus eventura, vitam denique nostram decurtatam iri. Ista namque omnia verba sunt fœderis, quod nobiscum DEUS pepigit, & invenies illa passim in tota Lege; quòd videlicet ex cultu Stellarum sequatur Cohibitio pluviæ, vastatio Terræ, corruptio temporum, ægritudo corporum, decurtatio dierum (h.e. *vitæ*); & econtrà, quòd ex intermissione illius & conversione ad cultum DEI sequatur descensio pluviæ, fœcunditas Terræ, bona tempora, sanitas corporis, & longa vita, contrà quàm Hominibus concionati sunt cultores Idolorum, ut ad colenda ea ipsos permoverent. Fundamentum enim Legis est, opinionem illam ex animis Hominum tollere, memoriamque ejus exstirpare.

CAP. XXXI.

Respondet illis, qui existimant, nullas Præceptorum reddi posse rationes.

SUNT quidam Homines, quibus difficile admodùm est, Præcepti alicujus caussam reddere, ac propterea videtur, nullius præcepti vel prohibitionis rationem posse intelligi. Quod autem eos huc permovit, est morbus, quem in animis suis invenerunt, quem non exprimere aut eloqui possunt. Existimant enim, si Leges istæ utilitatem aliquam in hoc Universo habeant, & propterea nobis

datæ sint, videri posse, ac si ex ratiocinatione & intellectu Hominis intellectu præditi proveniant: sed si ratio & utilitas illarum non possit intelligi, tùm extra omne dubium esse, quòd à DEO originem suam trahant; cùm ratione humanâ non possint apprehendi. Verùm insipientes isti hoc pacto Hominem perfectiorem faciunt Creatore ejus. Homo etenim juxta illos, quicquid dicit, vel agit, certo fine agit: DEUS autem nequaquam, sed præcipit nobis id, quod nec ullam nobis affert utilitatem, si faciamus; nec damnum, si intermittamus. Absit autem hoc, absit inquam à Creatore! Contrario enim modo res sese habet; Intẽtio quippe tota Præceptorum

Deut.6.24. est, ut nobis prosint, sicut explicuimus ex dicto illo; *Ut benè sit nobis omnibus diebus, ad vivificandum nos sicut hoc die.* Et in hunc sensum

Deut.4.6. dicitur quoque; *Qui audiverint omnia statuta ista,* &c. Item; *Tantùm*

Ibid. *Populus sapiens & intelligens, Gens magna ista.* His namq; verbis ostenditur, *Statuta* etiam omnia docere cunctas Gentes, quòd summam contineant sapientiam & intelligentiam. Quòd si autem essent res, cujus caussa esset abscondita, quæ nullam utilitatem afferret, vel detrimentum averteret; quare quæso diceretur de credentibus vel facientibus illa, quòd sint Sapientes, Intelligentes, Magni, & Gentibus cunctis admirationi? Sed citra dubium res se habet, sicuti declaravimus, quòd sc. unumquodque sexcentorum & tredecim Præceptorum prosit, vel ad salutaris alicujus opinionis fidem generandam, vel ad perversam aliquam evellendam, vel ad ordinem aliquem bonum instituendum, vel ad iniquitatem tollendam, vel ad honestas & laudabiles virtutes excitandum, vel denique à malis & turpibus vitiis dehortandum, quæ omnia ad tria capita revocari possunt, Fidem sc., Mores, & Actiones Practicas in vita Civili. Quòd autem singula hîc speciatim non enumeremus, ejus rei caussa est; quòd omnia illa, quæ Lex vel præcipit, vel prohibet, contineant vel doctrinas de Actionibus Civilibus & Politicis, vel de Rebus credendis, vel de Moribus: ac proinde sufficiunt nobis hîc tria ista capita, in reddendis Præceptorum causfsis.

CAP. XXXII.

Sicut omnia Opera DEI Naturalia, ita quoque ejusdem Præcepta suas habere caussas & rationes. Oblationum & aliorum quorundam Præceptorum origo, &c.

SI consideres Opera DEI Naturalia, manifestabitur tibi ex illis solertia & sapientia summa Creatoris in Animalium creatione, & motûs partium ipsorum subordinatione ac colligatione. Sic eadem sapientia & industria lucet in subordinatione singulorum membrorum in Homine, si ordine considerentur. Exempli caussâ, ad ostendendam subordinationem istam motuum & colligationis membrorum; Cerebri pars anterior est mollissima, posterior verò nonnihil dura: spina dorsi adhuc durior; & quantò magis protenditur, tantò quoque est durior. Nervi sunt instrumenta sensûs & motûs. Et sunt quidam, qui necessarii sunt tantùm ad apprehensionem sensuum, idque cum motu exiguo, qui non nisi levissimo labore constat, ut est motus palpebrarum & maxillæ; & hi oriuntur ex cerebro: quidam verò, qui necessarii sunt ad motum membrorum; & hi oriuntur ex spina dorsi. Quandoquidem autem isti nervi propter teneritudinem suam, licèt ex medulla spinæ dorsi oriantur, juncturas membrorum movere nequeunt, ideò, sapienti consilio DEI, è nervo exeunt fibræ, quæ replentur carne, & fiunt musculi; deinde ab extremitate nervi exit musculus, qui incipit crassescere & conjungi cum funibus scissionum durarum, fitq; Tendo, qui posteà adhæret & adjungitur membro; & tùm demùm potest nervus membrum movere. Hoc unicum exemplum adducere hîc volui ad subordinationem istam declarandam, quia est manifestissimum ex admirandis illis, quæ habentur in Libro *de Utilitate partium*, quæ singulæ sanè suas habent manifestas utilitates, si intellectu claro considerentur. Eandem sapientiam & sagacitatem spectandam nobis proposuit DEUS in unoquoque Individuo Animalium lactentium. Quia enim, cùm nascuntur, sunt tenerrima, neque sicco cibo ali possunt; ideò adaptavit eis ubera ad lac generandum, ut humido ejusmodi cibo, temperamento membrorum ipsorum convenienti,

Quomodo membra in Homine sibi invicè subordinentur.

ti, nutriantur, donec ordine & gradatim exsiccentur & conforten-tur. Ac similem planè gubernationis DEI Opt.Max. modum observare licet in rebus multis in Lege nostra, quia non licet subitò & momento quasi transire à contrario uno ad alterum; & per consequens, secundùm Naturam Hominis fieri non potest, ut momento relinquat id, cui longo temporis spatio est assuetus. Cùm itaq; misit DEUS Mosen Doctorem nostrum p.m., ut nos faceret regale Sacerdotium, Gentem sanctam *primò* in cognitione DEI Opt.Max., sicut

Deut.4.35. dicitur; *Ostensum tibi est, ut scires*, &c. Item; *Scito ergo hodiè, & revocato*

Ibid.v.39. *ad cor tuum*, &c. *Deinde* in cultu DEI, sicut dicitur; *Et ad colendum eum*

Deut.11.13. *ex toto corde vestro.* Item; *Et servietis* DOMINO DEO *vestro.* Item; *Et*

Exod.23.25. Deut.13.4. *ipsi servietis.* Et usitata tùm in Mundo consuetudo erat, cui omnes assueti, & cultus universalis, in quo omnes erant educati, ut variæ Animalium species in Templis illis, in quibus Imagines collocabant, offerrentur, coram illis procumberetur, & adoleretur; certi insuper quidam essent cultores sequestrati quasi & ad cultum illum destinati, qui in Templis illis, in honorē Solis, Lunæ, reliquarumq; Stellarum exstructis, exercebatur, sicuti ostendimus: ideò noluit Sapientia & Providentia DEI, quæ in omnibus ejus creaturis lucet, mandare, ut cultus illi omnes derelinquantur aut aboleantur. Hujus enim rei cor humanum, quod perpetuò ad id inclinat, cui est assuetum, naturaliter non fuisset capax; ac propterea perinde fuisset, ac si hoc nostro tempore Propheta aliquis veniret, qui nos ad cultum DEI vocare vellet, ac diceret; DEUS præcipit vobis, ne oretis, ne jejunetis, ne quæratis salutem ejus in die angustiæ, sed ut cultus vester totus consistat in cogitatione, non in opere. Propter hanc itaque caussam retinuit DEUS adhuc cultus, eosque à rebus creatis & phantasmatis, quę nullam veritatem habent, ad Nomen suum venerandum transtulit, & præcepit nobis, ut illas exhibeamus Ipsi. Ita præcepit, ut Ipsi ædificemus Templa, sicut dicitur; *Et facient mi-*

Deus non planè abolevit cultus Idololatricos; sed illos à rebus creatis ad Nomen suum trāstulit.

Exod.25.8. *hi Sanctuarium:* ut Altare Nomini ejus sit consecratum; *Altare Ter-*

Exod.20.24. *ra facies mihi:* ut sacrificia ipsi offerantur; *Homo cùm sacrificium ex vobis*

Lev.1.2. *obtulerit* DOMINO: ut nos incurvemus, & suffitum faciamus coram Ipso. Similiter è contrario prohibuit, ne istiusmodi opera fiant aliis:

Exod.22.19. ut, *Qui sacrificat Diis, internecioni devovebitur*, &c. Item; *Non incurvabis*

Exod.34.14. *te* DEO *alii.* Sic Sacerdotes ad cultum Sanctuarii separavit, de qui-

Exod.28.41. bus ait; *Et Sacerdotio fungentur mihi:* & postulavit, ut ordinentur ipsis dona sufficientia; quia occupati sunt in domo & oblationibus ejus: *Dona* videlicet, quæ *Sacerdotū & Levitarum* dicuntur. Consilium

autem

autem in hac Divina Sapientia fuit,ut memoria Idololatriæ deleatur,& fundamentum illud magnum de Existentia & Unitate DEI in Gente nostra confirmetur,nec tamen animi Hominum propter cultuum illorum abolitionem,quibus assueti erant,obstupescerent, vel alios cultus scirent.

Novi autem,animam tuam in principio cogitationis non assensuram isti rei, sed difficilem admodùm tibi visuram,& quæsiturã ex me; *Quomodo fieri possit,ut præcepta & opera tàm clarè explicata,certa sua tempora habentia, non sint instituta propter sese, sed propter aliud; quasi sc. essent inventum à DEO excogitatum ad nos ad Intentionem primam ducendos?* &, *Quidnam ipsum impediverit,quò minùs nobis Intentionem suam primam præceperit, & facultatem recipiendi eam concesserit, ita ut non opus fuisset illis,quæ existimas esse ex Intentione secunda?*

Audi igitur responsionem meam, quæ ægritudinem istam tibi ex animo auferet, & veritatem illius rei, quam te docui, deteget. Occurrit in Lege simile quid planè huic rei: id videlicet, quod dicitur; *Et non duxit eos DEUS per viam Terræ Philisthæorum*,&c. *Et circumduxit DEUS Populum per viam deserti Maris algosi*,&c. Quemadmodum ergo DEUS illos deduxit à via recta,quæ principaliter fuit intenta,propter timorem rei alicujus,quam secũdùm naturam suam non poterant portare,in viam aliam,ut pervenirent ad Intentionem primam: ita præcepit DEUS ista præcepta propter timorem rei illius,quam anima nostra naturaliter portare non poterat, ad Intentionem primam assequendam, Apprehensionem videlicet DEI Opt.Max., & Derelictionem Idololatriæ. Nam sicut non est in natura Hominis,ut is,qui quotidiè laborat in opere cæmentario & laterario,vel simili aliquo artificio,manibus suis à sordibus lotis,statim abeat ad præliandum cum Gigantibus; ita quoque non est in natura ejus,ut in variis istis operum,cultuum & ceremoniarum speciebus educatus (ad quas anima ejus tantoperè inclinat,ut illas pro Intelligibili primo habeat) uno momento illa omnia relinquat & deserat: & quemadmodum ex singulari sapientiâ DEI circumducti fuerunt *(Israëlitæ)* in deserto,ut nempe fortitudinem discerent; (notum enim est,quòd quotidiana conversatio in deserto,rarus deliciarum & voluptatum corporis,ut balneorum,& similium rerum, usus,Fortitudinem generent,sicut contraria Mollitiem); & tamen filii ipsis nati sunt,qui non erant assueti operibus illis humilibus & servilibus: omniaq; hęc facta fuerunt ex specialibus mandatis DEI, sicut dicitur; *Secundùm os DOMINI castrametati sunt, & secundùm os*

Exod.13.17.
Ibid.v.18.
Num.9.

DOMINI proficiscebantur. Custodiam DOMINI custodiverunt secundùm os DOMINI per manum Mosis: ita hæc quoque Legis pars ex singulari consilio DEI provenit, ut remaneant in specie cultus consueti, & tamen exinde discerent Fidem illam, quæ est Intentio prima.

Alteram quæstionis tuæ partem quod attinet, *Quísnam impediverit DEUM, quò minùs nobis præceperit Intentionem suam primam, & facultatem dederit eam accipiendi?* posset eodem modo ex te quæri & dici, Quisnam impedivit DEUM, quòd non duxerit Israëlitas per Terram Philisthæorum, & dederit ipsis virtutem & facultatem belligerandi, ut non opus fuisset circumitione illâ in columna Nubis interdiu, & in columna Ignis noctu?

Quin-imò & tertia quæstio tibi hîc moveri posset de caussa promissionum Divinarum, quas promisit pro observatione præceptorum, & comminationum, quas contra transgressores est comminatus, ac dici; Quandoquidem prima DEI Intentio & Voluntas fuit, ut credamus isti Legi, & faciamus secundùm omnia, quæ præcepta sunt in ipsa; quare non dedit nobis facultatem illam recipiendi & faciendi semper, ut non opus habuisset hoc consilio, quòd benefacturus nobis sit, si serviamus ei, & nos puniturus, si rebellemus, neq; beneficiis vel pœnis illis nos afficere; ista enim omnia inserviunt eò, ut in nobis assequatur Intentionem suam primam? & quid impedivit eum, quòd non dederit nobis Voluntatem faciendi cultum illum, qui ei placet; & à natura fugiendi illum, quem detestatur?

Responsio autem ad tres istas quæstiones, & illis similes, eadem est; videlicet, quòd licèt DEUS miraculosè quandoq; mutet naturam Singularis alicujus in cæteris Entibus, nullo tamen modo per miraculum mutet naturam Hominum. Hujus fundamenti caussâ
Deut.5.29. dictum est; *Quis dèt, ut sit cor eorum istud illis &c.* Et propter hanc quoque caussam data sunt Præcepta & Promissiones, Præmia & Pœnæ. Doctrinam autem de Miraculis in aliquot locis Libri hujus nostri jam exposui. Quod verò dixi, non ita intelligo, ac si crederem, Impossibile esse DEO Naturam Hominum mutare: possibile enim hoc omninò est, & sub potentiam ejus cadit; sed quòd nolit id facere, nec unquam Voluntas ejus futura sit secundùm Legis nostræ principia. Etenim si Voluntas DEI esset, unumquemque Hominem mutare ita, ut eum esse vellet, non opus fuisset Prophetas mittere, vel Legem promulgare.

Sed redeo ad propositum meum, & dico; Cùm ista species cultûs Divi-

Divini, Oblationes nempe, fint fecundùm Intentionem fecundam; Invocatio verò, Precatio & fimilia cultûs Divini genera magis fint propinqua Intentioni primæ, & neceffaria ad illam affequendam, idcircò DEUM magnam inter duas iftas fpecies conftituiffe differentiam. Iftæ enim Oblationes & Sacrificia, licèt fiant in honorem DEI Opt. Max., tamen non ita nobis funt facienda, ficut à principio fiebant, ut videlicet in quovis loco & quovis tempore offerre, Templum pro lubitu noftro ędificare, quicquid placuerit, offerre, cuilibet, cui adlubuerit, hoc munus fibi vendicare, fit permiffum; fed prohibita funt nobis ifta omnia, & certa domus huic rei fuit afsignata, ficut dicitur; *In loco, quem elegerit DOMINUS:* extra quam Sacrificia Deut.12.26. offerre non licebat; *Cave tibi, ne offeras holocaufta tua in quovis loco, quem* Deut.12.13. *videbis:* nec nifi certa familia Sacerdotio fungi poterat; & hæc omnia ad cultûs iftius genera diminuenda, ut nihil nempe fieret, nifi quod DEUS non jufsit intermittere. Verùm Precatio & Deprecatio permiffa eft in omni loco & cuivis, ut & *Zizit* Peniculamenta in oris veftimentorum, *Mefufah* Schedula, quæ in poftibus januarum abfconditur, *Thephillin* Oratoria, five Lora illa, quorum in precibus ufus eft, & alia fimilia. Hac de cauffa, quam nunc tibi aperui, invenimus fæpifsimè Prophetas reprehendere Homines ob nimium ftudium & nimiam diligentiam in adducendis oblationibus, & illis inculcare, quòd non principaliter & per fe intendantur, neq; DEUS illis opus habeat. Sic ait Samuel; *Nunquid voluntas* 1.Sam.15.22. *DOMINO eft in holocauftis & victimis, ut in obtemperando voci DOMINI?* Item Jefajas; *Ad quid mihi multitudo Sacrificiorum veftrorum, dicit DO-* Jefa.1.11. *MINUS?* Et Jeremias; *Non fum loquutus cum Patribus veftris, nec præce-* Jerem.7.22. *pi eis die, quo eduxi eos è terra Aegypti, de holocauftis & victimis. Sed verbum hoc præcepi eis, dicendo, Obtemperate voci meæ, & ero vobis in DEUM, & eritis mihi in Populum:* quæ Prophetæ verba fcrupulum movetunt omnibus, quos mihi videre & audire contigit. Dicunt enim; Quomodo dicit Jeremias de DEO, quòd non præceperit nobis Sacrificia & Holocaufta, cùm maxima pars Præceptorum circa hoc tantùm fit occupata? Sed fcopus verborum ipfius is eft, quem indicavi tibi. Dicit; Prima Intentio utique eft, ut apprehendatis me, neque alii ferviatis, ut ego fim vobis in DEUM, & vos mihi in Populum. Hoc autem Præceptum de Oblationibus & de Domo mea datum eft in hunc finem, ut exinde ad utilitatem veftram hoc difceretis: & eâ de causâ quoque tranftuli illos cultus ad Nomen meum, ut omnis Idololatriæ memoria deleatur, & Unitas mea confirmaretur. Vos

verò venistis, & finem illum irritum reddidistis, cultuique externo
Jerem.5.12. adhæsistis. Nam dubitâstis de existentia mea, sicut dicitur; *Negaverunt DOMINUM, & dixerunt, Non est ipse:* & Idolis serviistis, Baali
Jerem.5.19. & 7.9.10. adolevistis, post Deos alienos ivistis, & ad Domum meam venistis, &c: adhæsistis & respexistis solùm ad Templum DOMINI, & ad oblationes, quæ non erant prima & principalis Intentio. Sed alio quoque adhuc modo versus istos Prophetæ possum exponere, qui eundem, quem diximus, sensum exhibet. Constat ex Scriptura & ex Cabbala simul, quòd principium Præceptorum nobis datorum non sint verba de Holocaustis & Sacrificiis, (h.e. *quòd prima præcepta, quæ nobis data sunt, non fuerint de Holocaustis & Sacrificiis*). Nec enim opus est, ut ullo modo defatiges intellectum tuum in Paschate Ægypti; nam illud propter manifestam caussam factum est, sicuti ostensurus sum: ac prætereà datum fuit in Terra Ægypti; illa autem, de quibus hîc agitur in isto Prophetæ Jeremiæ loco, fuerunt præcepta post exitum ex Ægypto: unde dicitur ibi; *In die, quo eduxi vos è Terra Aegypti.* Primum etenim præceptum, quod post exitum ex Ægypto datū est, fuit illud, quod in Mara accepimus, quando

Prima præcepta Dei non fuerunt de Oblationibus & Sacrificiis.

Exod.15.26. dictum nobis fuit; *Si audiendo audiveris vocem DOMINI DEI tui*, &c.
Ibid.v.26. *Ibi posuit ei Statutum & Judicium*, &c. Et certa quædam est Cabbala, in qua dicitur; *Sabbathum & Judicia in Marah deponam. Statutum* itaque, cujus ibi mentio fit, est *Sabbathum*; *Præceptum* verò, sunt *Judicia*, Sublatio nempe omnis iniquitatis. Et hæc est Intentio prima, sicuti suprà docuimus; Volo dicere, Fides opinionum verarum, ut, Novitatis Mundi: (nôsti enim principale fundamentum præcepti de Sabbatho esse, ut hoc dogma confirmetur & roboretur, sicuti *parte 2.cap.31.hujus Libri* ostendimus): deinde, præter fidem hanc opinionum verarum, Sublatio iniquitatis inter Homines. Propterea liquet tibi, quòd prima præcepta non fuerint de Holocaustis & Sacrificiis, quia sunt secundùm Intentionem secundam. Et hoc, quod Jeremias inquit, est illud ipsum, quod in Psalmis legimus, ubi Populus redarguitur, quòd ignoret Intentionem primam, & inter ipsam &
Psal.50.7.8.9. Intentionem secundam non distinguat. Sic dicitur ibi; *Audi Popule mi, & loquar Israël, & testificabor tibi: DEUS tuus ego sum. Non super Sacrificia tua arguam te, nec super Holocausta tua, quòd non fuerint coram me semper. Non accipiam è domo tua juvencum, nec de septis tuis hircos.* Et sic in quovis loco, in quo hæc vel similia repetuntur, hæc est intentio, quod te considerare & observare jubeo.

CAP.

CAP. XXXIII.

Quòd Lex externam immunditiem & impuritatem tollat post purificationem cordis.

EX generali Legis intentione inter alia est, Cupiditates & desideria exterminare, contemnere, nec nisi ad necessitatem illa permittere. Nôsti, majoris Hominum partis unicum desiderium & summam voluptatem consistere in immodico cibo, potu & Venere. Ista autem sunt, quæ & perfectioni Hominis ultimæ (*Intellectus* sc.) & perfectioni primæ sunt perniciosa, quæq; omnia ferè Politiæ & Oeconomiæ negotia conturbant. Nam cùm tantum pravis nostris concupiscentiis indulgemus, ut fatui quidam solent, tùm Appetitus speculativi cessant, corpus nostrum corrumpitur, Homo ante tempus suum naturale obit, curæ & sollicitudines multiplicantur, odiũ & invidia vel zelus augentur, contentiones denique, bella, rapinæ suscitantur.

Caussa hujus rei est, quòd stolidi Homines Voluptatem suam tanquam summum bonum, summumque suum finem sibi proponant.

Huic ergo pesti maturo consilio mederi voluit DEUS, dum præcepta dedit, quæ imaginarium istum finem tollerent, & cogitationes nostras inde abstraherent, omniaque ea, quæ ad voluptatem spectare videntur, prohibere: id quod præcipua Legis nostræ est Intentio. Nónne enim vides, quàm severè Lex præcipiat morte mulctare eum, qui nimiam voluptatem in cibo & potu quærere deprehenditur, eum nempe, qui in Lege vocatur *Filius rebellis & declinans, epulo* item *& potator.* Jubet namque Lex lapidare illum & maturè è medio tollere, antequàm latiùs ejus malitia progrediatur, ut tandem etiam cædes perpetret, aliisque Hominibus gulositate suâ noceat ac molestus sit. *Legis Intentio est cupiditatum extinctio & refrænatio:* Deut. 21.

Sic è generalibus Legis intentionibus est quoque, ut Homo sit placidus, mansuetus, erga proximum suum officiosus, non durus ac difficilis, sed voluntatem amicorum suorum faciens, petitiones ipsorum exaudiens, & votis annuens. Nôsti enim præceptum Divinũ; *Circumcidite igitur præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne induretis ultrà.* Item; *Ausculta & audi Israël.* Item; *Si volueritis & audiveritis.* *Charitas erga proximum:* Deut. 10. 16. Deut. 27. 9. Jesa. 1. 19.

Sic dicitur de iis, qui parati & prompti sunt recipere, quod recipiendum est; *Et audiemus atq; faciemus*: & alibi parabolicè; *Trahe me post te, curremus.*

Deut.5.27. Cant.1.4.

Sanctimonia: Post-hæc, Puritas & Sanctitas quoque est ex Legis nostræ Intentionibus; h.e. Continentia & Abstinentia à rebus Venereis, sicut infrà sum explicaturus. Cùm enim DEUS jussit sanctificare Populum ad Legem suscipiendam, dixit; *Sanctifica eos hodie & cras*: Item; *Ne appropinquetis uxoribus*: manifestè docens, quòd Sanctificatio sit Continentia à Venere; sicut alibi ait, quòd Abstinentia à Vino sit Sanctitas, de Naziræo inquiens, *Sanctus erit.* Sic legimus in libro *Siphra*; Sanctificate vos, *&* estote sancti: *Hæc est sanctitas Præceptorum.* Quemadmodum autem Scriptura impletionem & observationem Præceptorum illorum vocat Sanctitatem & Puritatem; sic illorum transgressionem, & rerum turpium perpetrationem vocat Impuritatem & Immunditiem, sicut explicabo.

part.3.cap.49. Exod.19.10. v.15. Num.5.5. Lev.11.44.

Mundities externa corporis. Mundities vestimentorum, Lotio corporis, Abstersio item sudoris & sordium, est quidem etiam de Legis intentione; verùm posterior est Purificatione operum & cordis ab opinionibus pravis & moribus inhonestis. Existimare enim, munditiem externam ablutionis corporis & vestimentorum sufficere Homini, licèt per reliqua omnis generis voluptatibus, Cereri, Veneri, & Baccho indulgeat, summa est insania! Hinc ait Jesajas; *Qui sanctificant se, & qui mundant se in hortis, post unum in medio, comedentes carnem suillam, abominationem*, &c. quibus verbis significat, quòd se in locis publicis mundent & sanctificent, posteà verò intra privatos parietes & in ædibus suis omnis generis peccatis se contaminent, cibos prohibitos, ut carnem suillam, abominationem atque mures comedant. Quod ait, *Post unum in medio*, illis verbis fortè denotat coitum prohibitum. Colligimus autem inde, quòd externa ipsorum fuerint munda; interiora verò cupiditatibus & concupiscentiis referta: id quod nequaquam cum Lege convenit. Principalis enim scopus Legis est, concupiscentias primò diminuere; deinde mundare exteriora, posteaquàm interna & abscondita mundata sunt. De istiusmodi Hominibus, qui corporis & vestimentorum munditiei nimiùm sunt dediti, intereà autem intùs pravis moribus præditi, impurisque actionibus addicti, inquit Salomon; *Est generatio, quæ munda est in oculis suis, & à sorde sua non est abluta; & est generatio, cujus excelsi sunt oculi*, &c.

Jesa.66.17. Prov.30.12.

Quòd si hæc ita probè consideraveris, quæ hactenus de finibus Legis

Legis recensuimus, multorum Preceptorum caussæ tibi innotescent, quæ anteà tibi erant incognitæ, &c.

CAP. XXXIV.

Legem accommodatam esse ad totam Gentem communiter, non ad singulos.

EX iis, quæ in hoc negotio cognitu necessaria sunt, est & hoc, quòd Lex non attendat ad ea, quæ sunt extraordinaria & rarò contingentia; sed quicquid docet, sive id ad doctrinam, sive ad mores spectet & actiones, respicit ad ea, quæ communiter & ordinariè solent fieri. Proinde non est ratio habenda illorum, quæ in paucioribus eveniunt, & ad damnum ac detrimentum, quod uni vel alteri accidit ex mensura & regimine legali; Lex enim est quiddam planè Divinum: sed considerare debes res naturales, in quarum universalitate utilitates illius sunt communes & frequentes, damna autem non nisi particularia & specialia, sicut ex nostris & aliorum verbis est manifestum. *Præcepta nō sunt accōmodata ad singula Individua; sed ad omnes in universum.*

Ideoq; juxta hanc considerationem nemo mirari debet, si Intentio Legis non in omnibus & singulis Individuis perficiatur, sed nonnulli quandoq; reperiantur, quos regimen aliquod Legale non perficit. Formæ etenim naturales non semper largiuntur cuivis Individuo omnia necessaria & requisita. Nam omnes proveniunt ab uno DEO, & operationem unam habent: omnes datę sunt à Pastore uno; contrariumque hujus rei est impossibile. Impossibile autem Naturam habere firmam & immutabilem, alibi demonstravimus.

Propterea juxta hanc considerationem impossibile etiam est, ut Leges secundùm diversas Hominum cōstitutiones, secundùm item diversitatem temporum, ad-instar Medicinæ, datæ sint; cuiq; enim Homini accommodatur Medicina pro ratione temperamenti ipsius, quod hac vel illâ horâ habet; sed necesse est, ut regimen Legale sit absolutum & universale, licèt uni sit conveniens, alteri verò non. Quòd si enim ad Homines esset accommodata Lex, corruptione utique vacare non posset: quod dicere procul à nobis absit! Hac itaque de caussa non decet, ut ea, quæ sunt de prima Intentione Legis, tempori vel loco sint accommodata; sed oportet Judicia & Statuta esse absoluta & universalia, sicut DEUS ait; *O congregatio, statutum unum est vobis!* intendique debent in illis emendationes universales, sicut exposuimus. Num. 15. 15.

Post-

Posteaquàm ergo ista sum præfatus, incipiam nunc explicare id, quod explicandum mihi proposui.

CAP. XXXV.

Dividuntur Præcepta omnia in quatuordecim classes.

Divisio Præceptorum in quatuordecim classes.

VIDETUR mihi, Præcepta omnia, juxta hanc Intentionem, in quatuordecim classes commodè posse dividi.

Prima classis. *Prima classis* complectitur Præcepta ea, quæ continent *articulos fundamentales Fidei*; ea nempe, quæ in Tractatu יסודי תורה h.e. *de Fundamentis Legis* enarravimus. Quò etiam pertinet doctrina *de Pœnitentia*, & *de Jejuniis*, sicut explicabo. De istiusmodi autem senrentiis fundamentalibus Fidei non potest quæri, quæ sit illorum utilitas?

Secunda. *Secunda classis* comprehendit præcepta *de Idololatria*, ea videlicet, quæ in Tractatu *de Idololatria* recensuimus. Pertinent autem hûc præcepta *de heterogeneis Vestimentis, de Vitibus diversi generis; de Fructibus item Arborum, qui tribus primis à plantatione annis proveniunt.* Hujus ordinis Præceptorum caussa nota est; inservit enim ad confirmandas & perpetuò conservandas sententias illas Fidei credendas.

Tertia. *Tertia classis* complectitur præcepta *de Emendatione Morum*, quæ recensuimus in *Halachoth deoth.* Notum autem est, Bonis moribus societatem & conversationem humanam perfici, quæ generis humani ordini est necessaria.

Quarta. *Quarta classis* continet præcepta *de Eleemosynis, de Mutuo, de Debitis*, & quæ his sunt affinia, ut sunt *Aestimationes sive Pretia, Anathemata, Judicia Mutui & Servorum*, atq; adeò omnia ea, quorum mentionem fecimus in Tractatu nostro *de Seminibus*, exceptis tantùm præceptis *de Heterogeneis & Fructibus trium primorum annorum.* Caussa horum omnium est manifesta, quia utilitas illorum ad omnes ferè redit. Qui enim hodiè est dives, ille ipse vel ejus posteri cras sunt pauperes; & qui hodiè est pauper, ille, vel illius filius, cras est dives.

Quinta. *Quinta classis* comprehendit præcepta *de Prohibitione Iniquitatis & Rapinæ* de quibus egimus in Tractatu *Nesikin*, h.e. *de Damnis.* Utilitas illorum est manifesta.

Sexta. *Sexta classis* complectitur præcepta *de Judiciis pecuniariis*, qualia sunt *de Furibus, Prædonibus, & falsis Testibus*, & maxima pars eorum, quę enarravimus in Tractatu שופטים h.e. *de Judicibus*, quorũ omnium usus est manifestus. Quòd si enim ejusmodi peccatores & raptores

non punirentur, nullus rapinarum & damnorum esset finis, nullusque Hominum istiusmodi sceleratorum & maleficorum numerus. Neque, ut stolidè quidam opinantur, intermissio vel remissio pœnarum est Clementia, sed potiùs Inclementia, Crudelitas, & ordinis Politici Eversio. Clementia est id, quod DEUS præcepit; *Judices & Præfectos pones tibi intra omnes portas tuas.* Deut.16.18.

Septima classis complectitur *Judicia pecuniaria*, ex mutuis Hominum inter se negotiationibus procedentia, ut, *de Mutuo, Elocato, Deposito, de Emptione & Venditione, de Hæreditatibus*, &c. quæ recensuimus in Tractatu קנין & משפטים, quorum utilitas est manifesta. Necessarium enim est, ut Homines facultatibus suis ubique inter se negotientur & communicent. Id autem fieri ritè non potest, nisi certæ æquitatis istiusmodi negotiorum habeantur Regulæ, justâque proportione æstimentur. *Septima.*

Octava classis complectitur præcepta *de Diebus solennibus*, ut *de Sabbatho & Diebus festis*, quæ recensuimus in libro זמנים. Caussas & rationes illorum Lex ipsa explicat, quòd videlicet inserviant vel ad alicujus articuli Fidei confirmationem, vel ad Corporis recreationem, vel ad utrumque simul, quemadmodum sum ostensurus. *Octava.*

Nona classis complectitur alias practici cultûs Divini partes, *de Precatione, de lectione* Audi Israël, & aliis, quæ enarravimus in Tractatu אהבה h.e. *de Amore*, excepto præcepto *de Circumcisione.* Utilitas illorum est evidens; confirmat enim opiniones de Dilectione DEI, de illis item, quæ de DEO sunt credenda, vel quæ illi attribuenda. *Nona.*

Decima classis continet præcepta *de Sanctuario, ejusq; Vasis, Instrumentis, ac Ministris*, quæ recensuimus in Tractatu עבודה. Utilitatem illorum jam in præcedentibus declaravimus. *Decima.*

Undecima classis complectitur præcepta *de Oblationibus*, & sunt illa ferè, de quibus egimus in Tractatu עבודה & קרבנות. Sed & horum Præceptorum utilitatem generaliter jam commemoravimus, cur nempe illo tempore fuerint necessaria? *Undecima.*

Duodecima classis comprehendit præcepta, quæ agunt *de Pollutionibus & Purificationibus*, quorum omnium generalis intentio est, ne quis temerè in Sanctuarium ingrediatur; sed ut debitam illi reverentiam, honorem & timorem exhibeant, quemadmodum alibi sum declaraturus. *Duodecima.*

Decima-tertia classis continet præcepta *de Cibis vetitis* & similibus, ea videlicet, quæ recensuimus in Tractatu *de Cibis vetitis. Vota* item & *Nasireatus* ad hoc quoque genus Præceptorum spectant. Univer- *Decima-tertia.*

sorum autem intentio est, immoderatum appetitum deliciarum & lautitiarum rescindere, modumque gulæ ponere, sicuti exposuimus in principio Commentarii nostri super librum *Avoth*.

Decima-quarta. *Decima-quarta classis* est præceptorum *de Concubitu illicito*, quæ exposuimus in Tractatu נָשִׁים, & in Tractatu אסורי ביאה Et ex hoc genere est quoque *Commixtio bestiarum diversæ speciei*. Intentio illorum est, Libidinem, quantum fieri potest, coërcere, ne modus in illa excedatur, vel pro fine habeatur, quemadmodum stulti solent facere, prout in *Massecheth Avoth* exposuimus. Pertinet hûc etiam *Circumcisio*.

Cæterùm, notum est, Præcepta quoque aliter dividi, in duas videlicet partes: in ea sc., *quæ respiciunt* DEUM *& Hominem*, & *ea, quæ respiciunt Homines inter se invicem*.

Homines inter se invicem respiciunt Classis quinta, sexta, septima, & ex parte tertia. Reliquæ respiciunt DEUM *& Hominem*. Nam omnia Præcepta, sive sint Affirmativa, sive Negativa, quorum intentio est, vel articulum aliquem Fidei, vel Virtutem aliquam docere, vel mores Hominis proprios informare & emendare, dicuntur esse inter DEUM & Hominem, licèt in veritate impellant & permoveât ad res, quæ inter Homines inter se invicem incidunt, sed post multas demùm res & considerationes intervenientes; quod animadverte.

Posteaquàm igitur Præceptorum omnium classes tibi indicavi, ad singula nunc revertar explicanda, quatenus nimirum videtur, ac si nullam utilitatem haberent, vel non intelligi possent, caussas & utilitates illorum exponendo, paucis exceptis, quorum Intentio ne quidem in hunc usque diem mihi innotuit.

CAP. XXXVI.

De Præceptis primæ classis, eorumq; rationibus & caussis.

Præcepta primæ classis. PRÆCEPTA, quæ sub prima classe comprehenduntur, sunt sententiæ illæ, quas enarravimus in *Halachoth Jesode Thora*, quarum caussæ sunt manifestæ. Considera illas sigillatim, & veritatem illarum invenies, videbisque, quòd sint demonstrativæ.

Usus præceptorum de discendo & docendo. Ita notum est, quanta sit utilitas adhortationum & admonitionum illarum, quæ occurrunt de discendo & docendo. Absq; sapientiâ enim & doctrinâ nulla forent bona opera, honestæ actiones, nullæ veræ sententiæ.

Docto-

Doctorum Legis reverentia & honor quantam habeat utilitatem, non est obscurum: nisi enim magni & honorati essent in oculis Hominum, nemo verbis illorum auscultaret, neque illa reciperet, quæ vel de rebus sciendis, vel faciendis, proponunt. Et huc pertinet quoq; illud, quod nobis præcipit, ut nos assuefaciamus ad pudorem & verecundiam, hoc est illud, quod ait; *Ante faciem canam assurge.* *Cur Doctores Legis honorari debeant?* Lev.19.32.

Ex hujus classis præceptis est quoque præceptum, quo nobis prohibuit, ne temerè aut falsò per Nomen ejus juremus, cujus usus est evidens, Gloria nempe DEI Opt.Max. Talia enim inducunt ad credendam ipsius Magnificentiam. *Cur non sit jurandum per Nomen Dei?*

Præceptum, quo nobis præcepit, *ut ipsum invocemus tempore necessitatis*, & quando dicitur, *Clangite buccinâ*, ex hoc etiam est genere. Confirmatur enim hac actione doctrina ista, quòd DEUS Opt.Max. nôrit & intelligat afflictiones nostras, & penes ipsum sit, illas vel lenire, si serviamus ei; vel exasperare & deteriores reddere, si rebellemus ei, nec per accidens nobis eveniant. Hoc sibi vult, quando ait, *Si ambulaveritis mecum* קרי Vult enim dicere, Quando adduco super vos afflictiones ad vos puniendos, si credideritis illas esse accidentales & fortuitas, tunc addam ex accidenti illo secundùm cogitationes vestras, duriores & graviores, sicut ait, *Si ambulaveritis mecum* קרי, *ambulabo & ego vobiscum in irâ* קרי. Nam quia credunt, quòd ea contingant ipsis per accidens, quæ ex illorum erroneis opinionibus & malis operibus consequuntur & eveniunt, inde fit, ut ab illis non convertantur, sicut dicitur, *Percussisti eos, & non doluerunt.* Sic præcepit nobis, Invocare ipsum, Deprecari apud ipsum, & Clamare coram ipso in tempore angustiæ. *Cur Invocationem sui Deus præceperit?* Psal.51. Num.10.9. Lev.26.27.28. Jerem.5.3.

Porrò manifestum est, doctrinam *de Pœnitentia* ad hoc quoq; genus pertinere, h.e. ex illis esse dogmatibus, quæ necessariò credenda sunt ab illis, qui Legi nostræ nomen dare volunt. Nullus etenim Homo dari potest, qui non peccet, vel ignoranter in dogmate & sententia aliqua amplectenda, aut qualitate eligenda, quæ non eligenda est, vel ob iræ aliorumque affectuum vehementiam & prædominationem. Quòd si verò crederet Homo, se nunquam errores istos corrigere & emendare posse, indefinenter in illis pergeret, ac fortè, nullum remedium superesse videns, peccata sua augeret & accumularet; sed si credat pœnitentiam, emendabit sese, ad meliorem frugem majoremque perfectionem redibit, quàm, antequàm peccaret, habebat. Et hac de caussa multiplicata sunt illa *Usus præcepti de Pœnitentia.*

opera, quæ realem & utilem hanc doctrinam confirmant: ut sunt, Confessiones, Oblationes pro peccatis tùm ex errore, tùm ex superbia commissis, Jejunia. Ratio autem communis conversionis à peccato omni est, ut ab eo recedamus; hicque est illius finis. Sic itaque horum Præceptorum omnium utilitas est manifesta.

CAP. XXXVII.

De caussis & rationibus Præceptorum secundæ classis, de Idololatria &c.

Præcepta secundæ classis. PRÆCEPTA, quæ secunda classis complectitur, sunt ea, quæ enarravimus in *Halachoth Avoda sarah*, de quibus manifestum est, illa ad Homines ab Idololatria arcendos esse tradita, aliisque falsis & hæreticis opinionibus, quæ Idololatriæ sunt affines, ut sunt Præstigiatorum, Incantatorum, Astrologorum, vel Magorum, Divinatorum, Pythonum, & Consulentium ipsos, aliorumque hujus farinæ Hominum.

Quòd si perlegeris omnes illos Libros, quorum mentionem apud te feci, patebit tibi, quòd Astrologia vel Magia fuerit opus Zabiorum, Casdæorum & Chaldæorum; frequentior tamen inter Ægyptios & Cananæos. Persuadebant autem Hominibus, & ipsimet credebant, quòd illâ arte admiranda in Rerum natura, tùm in certis personis, tùm in integris Provinciis, faciant opera. Opera verò illa ita sunt comparata, ut neque ratio possit capere, neque intellectus credere, quâ ratione aliquid per illa queat effici! ut, cùm certo tempore certam aliquam herbam colligunt, vel ex re aliqua certum ac definitum capiunt numerum, vel similia faciunt, quorum magnam habent copiam. Comprehendam autem ea sub tribus speciebus.

Operum Magicorum tres sunt species. *Prima species* est illorum, quæ versatur circa Plantas, Animalia & Metalla. *Secunda* consistit in circumscriptione & determinatione temporis, quo opera illa sunt facienda. *Tertia* consistit in Gestibus & Actionibus humanis, ut Saltatione, Manuum complosione, Clamore, Risu, Cubatione vel pronâ Expansione super Terram, Rei alicujus combustione, Fumi accensione, quorundam verborum denique, sive Intelligibilium, sive non Intelligibilium prolatione. Hæ sunt operum Magicorum species.

Sunt autem quædam, quæ non nisi his universis perficiuntur, ut cùm

cùm dicunt: Sumatur tale folium, de tali herba, idq; cùm Luna est in tali gradu & loco: vel, sumatur de cornu talis Bestiæ, vel de illius sudore, pilis aut sanguine, hæc vel illa mensura, quando Sol est in medio Cœli, aut alio aliquo certo loco: vel, capiatur de tali metallo, aut de pluribus metallis, liquefiant sub tali constellatione & Lunæ constitutione. postea proferantur hæc vel illa verba, ex talibus foliis conficiatur fumus, idq; hac vel illâ formâ, tùm hoc & illud eveniet.

Deinde, sunt quædam opera Magica, quæ unâ tantùm specie ex prædictis perfici posse arbitrantur. Atque de his dicunt, quod majori ex parte à Mulieribus perficiantur, sicut de Productione aquarum reperimus apud ipsos; Si decem Virgines se ornent, vestimenta rubra induant, saltent ita, ut una alteram impellat, idque progrediendo & retrogrediendo, digitos denique versùs Solem certis signis extendant, ad finem perductâ istâ actione aquas elici & prodire dicunt. Sic scribunt; Si quatuor Mulieres in tergo jaceant, & pedes suos cum complosione versùs Cœlum extendant, certa verba, certos item gestus adhibeant, illos turpi hac actione grandinem decidentem avertere. Ita similes vanitates & similia deliria multa alia passim habent, ad quæ non nisi Mulierum operâ & ministerio illos uti reperimus. Nullum autem Magicum opus sine Syderum respectu & consideratione potest perfici. Existimant enim, quamvis Plantam suam habere Stellam, quemadmodum & omnibus Animalibus & Metallis certa Sydera adscribunt. Arbitrantur etiam, opera illa esse peculiares Stellarum cultus, illasque tali actione, sermone vel fumo delectari, & ejus gratiâ, quicquid optant sibi, præstare.

Nullum Magicum opus sine Syderum respectu perficitur.

His itaque sic prælibatis, quæ ex Libris illorum hodiè inter nos extantibus desumpta sunt, meis quoq; verbis benignas præbe aures.

Quandoquidem totius Legis scopus & cardo, circa quem versatur, consistit in hoc, ut Idololatria è medio tollatur, nomen ejus deleatur, nullique Stellæ nocendi vel juvandi inter Homines virtus attribuatur, & hæc sententia necessariò ad cultum illarum permovet: ideò necessariò sequitur, omnem Magum occidendum esse; quia omnis Magus citra dubium est Idololatra, modo tamen peculiari & diverso ab eo, quo Vulgus Idola colit. Et quia major pars illorum operum à Mulieribus est perficienda, ideò dicit Lex; *Mechasschepha*, h. e. *Magam* vel *Præstigiatricem non sines vivere*. Quia verò naturaliter Homines clementiores sunt erga sexum muliebrem, nec facilè illas occidunt, idcircò disertè de Idololatria quoque dicitur, *Virum aut Mulierem*, ac secundâ vice repetitur; cui simile nec in Pro-

Cur Magi sint occidendi?

Omnis Magus est Idololatra.

Cur in specie Mulieres veneficas Lex jubeat occidere?

Exod. 22. 18.

Levit. 20. 27.

phanatione Sabbathi, nec in ullo alio Præcepto reperitur. Caussa autem hujus rei, ficuti dixi, est naturalis Hominum erga Mulieres Clementia.

Quoniam ergo Magi existimant, se multa posse magiâ suâ efficere, se næniis illis suis Animalia noxia, ut Leones, Serpentes & similia, è Civitatibus ejicere, omnia damnorum genera à Plantis arcere, (sicuti quidam inveniuntur, qui dicunt, se grandinem cohibere posse, vermes è vineis, ut non corrumpant eas, interimere, de qua re multa scripserunt in libro עבודת הנבטית: quidam etiam, qui efficere se posse jactitant, ne folia vel fructus ex Arboribus decidant); quia inquam ista omnia se facere posse arbitrantur, ideò dixit ad illos DEUS in verbis Fœderis, quòd propter Idololatriam & Magiam, quibus existimant se res istas noxias à se averruncare velle, eædem Deut.26.22. super ipsis sint mansuræ & commoraturæ. Sic enim ait; *Et immit-* Deut.32.24. *tam in vos bestiam agri.* Item; *Dentes quoq; bestiarum immittam in eos* Deut.28.33. *cum veneno serpentium super Terram.* Item; *Fructum Terræ tuæ & omnem* Ibid.v.39. *laborem tuum.* Item; *Vineam plantabis & coles, sed vinum non bibes, neq;* Deut.28.40. *colliges.* Item; *Olivæ erunt tibi in omni termino tuo, & oleo non unges te*, &c. Summa; Pronuntiat Lex omnibus illis, quibus prudenter uti se existimant Idololatræ ad cultum suum stabiliendum & confirmandum, Hominibusque persuadendum, quòd prædicta nocumenta depellant, contrariaque bona promoveant, omnibus inquam illis, ipsos utilitates exoptatas impedire, malaque super se attrahere. Sic ergo patet tibi, Lector benevole, quid specialibus illis Benedictionibus & Maledictionibus in verbis Fœderis sibi velit. Tu itaq; mensuram utilitatis illarum percipe & perpende. Et, ut tantò longiùs nos ab omni Magico opere abduceret, cavit, ut nihil secundùm consuetudines & ritus illorum faciamus, ne quidem in iis, quæ ad Terræ cultum spectant, & similibus: h.e. interdixit omnia ea, quæ contra speculationem naturalem specialibus & occultis viribus ac proprietatibus utilitatem afferre asserunt. Hoc enim est, quod dicitur: Levit.18.3.& 20.23. *In statutis ipsorum non ambulabitis; neq; in statutis Gentium incedetis.* *Via Amoræorũ.* Hæc sunt, quæ Rabbini nostri *Vias Amoræorum* nuncupant, quæ sunt quasi rami artis Magicæ; talia videlicet, quæ non ex ratione naturali, sed ex opere Magico sequuntur, & Stellarum dispositionibus ac rationibus innituntur, unde necessariò ad colendas & venerandas illas devenitur. Hinc dicunt; *In quocunq; est aliquid de Medicina, in eo nihil est de via Amoræorum.* Quo nihil aliud volunt, quàm hoc; Omne id esse licitum, in quo ratio aliqua naturalis apparet; contrà, reliqua omnia

omnia illicita. Sic, *quando dicitur, Arbor, quæ dejicit fructus suos, oneranda est lapidibus, vel stibio inungenda, quæritur, quid de hoc sentiendum sit? Cur lapidibus oneranda sit, est extra controversiam, videlicet ad debilitandam virtutem ejus. Sed cur stibio inungenda est? &c. Ecce, ista unctio, & similia omnia, quæ nullam rationem naturalem habent, sunt prohibita propter vias Amoræorum.* Sic dicunt de Abortivo rerum sanctarum, ubinam sc. sit sepeliendũ? *Ne suspendatur in arbore, neq; in bivio propter vias Amoræorum.* Neque scrupulum tibi moveat, quòd liberum reliquerunt usum clavi ex patibulo, & dentis vulpini. Temporibus enim illis his rebus fidem adhibuerunt, quòd experientiâ essent comprobatæ, & loco Medicinæ inservirent: quemadmodum Pœoniâ *(herbâ sic appellata)* utimur contra Epilepsiam, ægrotanti illam appendendo; Excrementis canis contra pustulas vel exulcerationes gutturis; Fumo item ex Aceto è Croco confecto contra apostemata & ulcera periculosa. Quicquid enim per experientiam verum esse comprobatum est, licèt nulla ejus ratio naturalis compareat, ejus usus licitus est, quia est pro Medicina. Tu itaque, Lector, in usum tuum converte mirabilia ista, quæ hîc tibi aperui, illaq; custodi, *quia additamentum gratiæ erunt capiti tuo*, &c.

In Opere nostro magno exposuimus, quòd *circumdatio anguli capitis* (h.e. rasio comæ instar) *& anguli barbæ* prohibita fuerit, propterea quòd ita se radere & tondére solerent Sacerdotes Idololatrici. *Cur Coma fuerit prohibita?* Lev.19.27.

Et hæc eadem quoque ratio est præcepti *de non gestando vestimento ex diversis generibus confecto*; quòd videlicet tùm temporis Sacrificuli Idololatrarum ita solerent incedere. Simul enim adhibebant tùm Plantas (h.e. *linum*), tùm Animalia (*lanam* sc.), ad vestimentum unum, ac præterea Annulum, qui ex Metallo aliquo erat, in digitis gestabant, sicut ista in Libris ipsorum invenies. *De Vestimentis ex diversis generibus confectis.* Lev.19.19.

Sic eadem caussa subest in illo, quod dicitur, *Ne Mulier induat vestimenta Viri*, &c. Invenies enim in Libro טומטום præcipi, ut Mulier gestet vestimentum muliebre coloratum, quando stat coram stella Veneris: similiter, ut Mulier induat loricam, & arma bellica, quando stat coram stella Martis. Hîc tamen alia quoque ratio mihi latére videtur; quòd scilicet actio ista excitet concupiscentiam, & ad scortationem occasionem præbeat. *Cur prohibitum fuerit, ne Mulier induat vestimenta Viri?* Deut.22.5.

Verùm ratio, cur usus Idolorum sit prohibitus *(in Idolis sc. vel emendis, vel vendendis)*, manifesta est. Fieri enim potest, ut quis Idolum accipiat ad confringendum illud, sed posteà integrum retineat, atque ita cum tempore in laqueum ipsi cedat. Quin-imò etsi illa *Emolumentũ ex Idolis capere cur prohibitum sit?*

con-

confringantur, vel fundantur, vel Christiano alicui vendantur, prohibitum tamen est ex pretio utilitatem capere. Caussa autem hujus rei est, *quia sæpè Vulgus res accidentales solet sumere pro caussis veris & substantialibus*, sicut multos invenimus dicentes; Ex quo tempore hic inhabitavit istam domum, vel jumentum istud, rem hanc vel istam emit, factus est dives, auctæ sunt facultates ejus, & benedictio DEI illi adfuit: atque ita istud Accidentale habent pro Caussa. Pari enim ratione fieri posset, ut ex pretio venditi Idoli alicujus negotiatio prosperaretur, ac substantia ejus augeretur, atque ita existimaret, pretium Imaginis vel Idoli illius caussam esse fœlicitatis suæ, & sic crederet id, cujus planè contrarium Lex Divina docet, sicuti ex omnibus Legis Divinæ verbis apparet. Eadem est caussa, cur omne commodum ex operimentis, oblationibus, & instrumentis Idolorum sit prohibitum; ut inquam ex errore illo liberaremur. Nam magna fuit in temporibus illis in Stellis fiducia, adeò ut crediderint, Vitam & Mortem, omne item Bonum vel Malum ab illis, Stellis inquam, promanare. Ideò omnibus viribus contendit Lex, opinionem istam per verba Fœderis, Testimoniorum, Juramentorum & Execrationum gravissimarum evellere; & in specie in illis prohibuit, ne quicquam de pretio Idoli accipiamus, vel in usum nostrum impendamus: indicavitque, quòd si ex istiusmodi pretio Homo aliquid cum reliquis suis opibus commisceat, id & reliquas ejus facultates absumpturum. Hoc enim est, quod dicitur; *Non adduces abominationem in domum tuam*, &c. Tantum abest, ut benedictionem aliquam inde impetrari sit credendum. Ita si omnia præcepta de Idololatria ordine percurras, manifestam invenies illorum caussam, ut videlicet omnes heterodoxiæ tollantur, & ad extremas Terræ oras relegentur.

Deut. 7. 26.

Astutia & calliditas Idololatrarum.

Ex iis autem, de quibus monendi hîc sumus, est & hoc: quòd falsarum istarum opinionum, quæ nec fundamentum, nec utilitatem habent, patroni, ad confirmandas suas superstitiones, & fidem illis conciliandam, hac astutiâ callidè utantur; quòd omnes illi, qui non faciunt actionem hanc vel illam, quæ superstitionem illorum confirmat, hac vel illâ plagâ perpetuò sint cruciandi. Quòd si enim plaga illa per accidens alicui fortè subsequatur, tùm actionem vel potiùs superstitionem illam magnifaciet, illique opinioni subscribet. Ita notum est in genere ex natura Hominum, quòd nihil æquè timeant & horreant, ac facultatum & liberorum suorum amissionem. Ideò publicârunt & sparserunt cultores Ignis, omnes ejus liberos

beros morituros, qui filium aut filiam suam per Ignem non traduxerit. Proinde nullum dubium est, quin unusquisque magnâ diligentiâ properârit ad faciendum illud, cùm ob magnam erga liberos suos clementiam, & timorem de illis amittendis, tùm etiam ob rei ipsius facilitatem, quia nihil aliud agendum erat, quàm Filium per ignem traducere; inprimis, cùm cura liberorum utplurimùm fœminis committatur, quarum in credenda quavis re facilitas, & intellectûs imbecillitas nemini est ignota. Hinc tantâ cum vehementiâ Scriptura isti actioni se opposuit, talibusque contra eam argumentis usa est, qualibus contra nullam aliam Idololatriæ speciem; *Ad contaminandum Sanctuarium meum*, inquit, *& polluendum Nomen sanctitatis meæ.* Deinde, indicat Vir fidelis *(Moses)* DEI Nomine, quòd eo ipso opere, quo existimant, se in vita conservare velle infantem, eundem perdant, eò quòd DEUS tùm opus hoc facientem, tùm semen ejus sit exterminaturus. Inquit enim DEUS; *Ego ponam faciem meam in Virum illum, & in familiam ejus.* Atque hujus superstitiosi operis vestigia etiamnum hodiè apparent in Mundo. Videmus enim obstetrices pueros recenter natos fasciis involutos sumere, ac odoriferis ingrati odoris super ignem positis per fumum inde ascendentem hinc-inde movere: qui ritus sine dubio ex reliquiis est Traductionis hujus per ignem, neque permittendus. Intelligis itaque hinc perversam Hominum istorum astutiam, quâ ratione hac persuasione errorem suum propagârint & conservârint, ita ut Lex Divina ipsis se opponere coacta fuerit, quod post duo millia annorum factum est; & quòd hodierno adhuc die nondum totaliter sit deletus error ille, sed vestigia illius supersint.

De non traducendis liberis per ignem.

Levit. 20. 3.

Ibid. v. 5.

Eandem rationem sequuti sunt Idololatræ circa opes & facultates. Statutum enim fecerunt, ut Arbor aliqua colatur, quæ *Ascherah* vocatur, ac de fructibus ejus pars aliqua offeratur, alia verò in Idolejo comedatur, sicut declaravimus in Judiciis, h.e. in proprietatibus *Ascherah.* Item, ut idem observetur in primitiis fructuum cujusvis Arboris fructus comestibiles ferentis, ut inquam pars illorum offeratur, pars in Idolejo comedatur; idque cum hac additione, omnem Arborem exarituram & perituram, de cujus fructuum primitiis non ita fieret, fructus ejus decisuros, vel imminutos iri, aut certè aliud infortunium ipsi eventurum; sicuti anteà dixerant, omnes infantes morituros, qui non traducuntur per Ignem. Bonorum itaq; suorum amittendorum metu Homines ad hoc quoq; faciendum festinârunt. Contra hunc autem superstitiosum morem Lex quoque insurrexit,

Vide in ערלה *cap.* 10.

Cur Lex praecepit trium primorum annorū fructus comburere?

Levit.19.23.

dum præcepit DEUS comburere fructus, qui tribus primis à plantatione annis proveniunt. Quædam enim arbores proferunt fructus intra anni unius spatium, quædam post biennium, quædam post triennium; prout tribus ferè modis Homines solent plantare arbores, Plantatione videlicet, Propagatione Vitis, & Insitione: non enim respicere debes hîc ad illos, qui grana aut ossa (h.e.*corticem cum grano vel nucleo)* serunt, (quia Lex nulla statuta sancivit, nisi de iis, quæ communiter & ordinariè solent fieri). Et summum tempus per quod ea, quæ plantantur in Terra Israëlis, fructus ferre differūt, est triennium. Prætereà testatus est, quòd per Fructuum istorum primorum perditionem, Arborum fructus multiplicentur, dum ait; *Ut multiplicet vobis fructum ejus.* Fructus autem quarti anni coram DOMINO comedere præcepit, loco ejus, quòd Idololatræ comedebant fructus primos in domibus Idolorum suorum, sicut explicuimus. Post-hæc & istud est ex eorum numero, quæ prisci illi Idololatræ commemorant in עבודת הנבטית. Putrefaciebant res quasdam (quas ibi nominant), posteà observabant, quando Sol in hoc vel illo esset gradu, aliaque Magica exercebant, & existimabant, rem illam, si præstò sit ei, qui plantat Arborem fructiferam, eamque circa Arborem spargat, illam citiùs, quàm aliàs solet, flores & fructus producturam. Et de hoc opere mirabili dicunt, quòd simile sit operibus Imaginum loquentium, quas habebant, atque adeò omnibus reliquis admirandis artibus Magicis, quibus fructus Arborum maturè produci possunt. Verùm jam ostendi tibi, quàm severè Lex Divina omnia Magica opera prohibeat. Ac hujus etiam rei caussâ prohibuit DEUS omnes fructus, quos tribus primis annis Arbores proferunt. Hac enim ratione nil necesse fuit laborare, ut citiùs fructus proferant, quemadmodum illi faciebant. Et cùm pleræque Arbores in Terra Israëlis naturali suâ consuetudine fructus tulerint anno tertio, iterum non opus fuit arte illâ Magicâ notâ tùm temporis & celebri. Intellige itaque & ista.

Levit.19.25.

Prætereà, ex notis illis sententiis, quas Zabii reliquerunt, est id, quod dicunt de Conjunctione, sive Insitione Arboris unius in aliam, si fiat, quando Luna in tali vel tali est constitutione, si his vel illis suffumigetur, si hæc vel illa verba in ipso insitionis momento proferantur, ex insita illa Arbore proditurum quidpiam, quod ad plurimas res conducat & salutare sit: quâ in re omnium tritissimum est id, quod commemoratur in principio libri העבודת הנבטית de Olivæ in Citrum insitione. Atque hujus farinæ meo judicio fuit liber ille, quem

quem olim abscondit Ezechias. Sed scribunt etiam, oportere, ut cùm una species in aliam inferitur, surculum inserendum manu suâ teneat formosa quædam Puella, quam præternaturali ratione Vir quidam vitiet & corrumpat, ipsaq; congressûs hujus tempore plantulam illam Arbori infigat. Hoc quin communissimum & usitatissimum illis temporibus fuerit, nullum mihi est dubium, cùm ad illas utilitates rei Venereæ voluptas accesserit. Ob hanc itaque caussam prohibuit Lex כלאים h.e. *Insitionem Arboris unius in aliam*, ut ab hac Idololatrarum hæresi liberemur, & detestandam præternaturalem ipsorum libidinem fugiamus. Quin-imò propter conjunctionem vel insitionem Arborum non licet quoque duo diversa semina congregare, vel propè conjungere & seminare. Ac, si inspexeris expositionem præcepti hujus de Arborum insitione, invenies, quòd propter illius transgressionem ubivis locorum vapulationis pœna infligatur, (quia est fundamentum prohibitionis, h.e. *principale, ad quod prohibitio ista spectat*): at conjunctio seminum non est prohibita, nisi in Terra Israëlis. Ita scribunt in dicto libro העבודה, quòd consueverint simul serere hordeum & uvas passas, existimantes non bonam futuram vineam, nisi hoc pacto fieret. Idcircò *prohibuit Lex conjungere diversa Vitium genera*, & præcepit, ut omnia talia comburantur. Omnia enim Gentium statuta, quæ peculiares virtutes & proprietates habere existimabant, quin-imò omnia ea, in quibus vel odor aliquis Idololatriæ subest, Lege sunt prohibita; sicut explicuimus in eo, quod dicunt, *Non suspendunt eam in Arbore*, &c. omnes item illi ritus, qui vocantur *Viæ Amoræorum*, quatenus Idololatria ex illis sequitur. Quòd si autem consideraveris ritus & ceremonias in cultibus ipsorum, invenies quasdam respicere Planetas (quinque sc.), quasdam verò duo Luminaria majora: quandoque etiam in satione rationem haberi ortûs Syderum cœlestium; item fumos & circulos ab eo, qui plantat vel seminat, confici, & quidem vel quinq;, juxta numerum quinq; Planetarum minùs principalium, exceptis duobus Luminaribus majoribus; vel septem, juxta septem Planetarum numerum, inclusis duobus Luminaribus. Atque his omnibus maximas & utilissimas inesse credebant virtutes ad Agriculturam, ut hoc medio Homines ad Stellarum cultum allicerent & permoverēt. Lex verò Divina de his statutis Gentium in genere pronunciavit; *Non ambulabitis in statutis Gentium*, &c. Et si quæ fuerunt vel notiora & usitatiora, vel manifestè idololatrica, de illis speciales & peculiares prohibitiones ordinavit, ut *de primorum Annorum Fructibus, de Diversis*

Cur Lex diversa semina & plantas prohibuerit simul serere vel plantare?

Lev. 19. 19.

Deut. 22. 9.

Cur Lex prohibuerit in statutis Gētium ambulare?

Levit. 20. 23.

& Heterogeneis,&c. Non possum autem hic non mirari dictum quoddam Rabbi Josiæ, in quo docet; *Tria ista, Triticum, Hordeum, & Uvas passas, uno jactu manûs esse seminanda & projicienda.* Sed nullum mihi dubium est, quin istud hauserit ex viis Amoræorum.

Sic ergo per indubitatam demonstrationem ostensum tibi est, quòd *Vestimenta heterogenea, primorum annorum Arborum fructus, diversarum item specierum Semina* propter Idololatriam sint prohibita; quòd denique *omnes in universum Gentium ritus* ideò sint prohibiti, quia Idololatriam post se trahunt, sicut declaravimus.

Cap. XXXIIX.
De caussis & rationibus Præceptorum tertiæ classis.

Præcepta tertiæ classis.

Præcepta, quæ sub tertia classe continentur, sunt ea, quæ enarravimus in הלכות דעות. Utilitas illorum est manifesta, quia continent doctrinas de Virtutibus, quibus mutua Hominum societas conservatur: idque ita est manifestum, ut non necesse sit, me illius demonstrationi longiùs immorari. Scito autem, quædam inter illa ita comparata esse, ut, licèt certa quædam opera comprehendant, quæ nullum videntur habere finem, tamen ad honestam aliquam virtutem generandam & acquirendam præcepta sint, quemadmodum suis locis singula explicaturi sumus; sed illa quod attinet, quæ in *Halachot Deoth* speciatim adduximus, de eis manifestum est, quòd ad honestas & laudabiles virtutes acquirendas & comparandas inserviant.

Cap. XXXIX.
De caussis & rationibus Præceptorum quartæ classis.

Præcepta quartæ classis.

Præcepta, quæ sub quarta classe comprehenduntur, sunt ea, quæ enarravimus in Tractatu זרעים h.e. *de Seminibus*, (exceptis כלאים h.e. *Heterogeneis, Consuetudinibus* item *æstimationum, & rerum anathemati devotarum*) in Tractatu עבדים h.e. *de Servis*, in Tractatu item *de Mutante & Mutuum accipiente*.

Ista præcepta omnia si ordine & sigillatim consideraveris, invenies, illa manifestam habere utilitatem; ut videlicet erga pauperes & egenos simus misericordes, illis in necessitatibus ipsorum succur-

curramus; indigentes non premamus; afflictis corde, ut Viduis, Pupillis &c. afflictionem non addamus. Sic aperta est ratio *donorum Pauperibus conferendorum.*

Oblationes, quæ sponte dabantur Sacerdotibus & Levitis, (Heb. תְּרוּמוֹת) & *Decimæ* cur præcepta sint, Lex ipsa explicat, dum ait; *Quia non est ei pars, neque hæreditas tecum*: cujus rei ratio iterum nota est; ut videlicet illa tribus tota *(Levitica)* addicta esset cultui Divino & Legis studio, neque arationi aut sationi incumbat, sed DEO tota consecrata maneat, sicut dicitur; *Docebunt judicia tua Jacobum, & Legem tuam Israëlem, ponent suffitum*, &c. Sic passim in plurimis Scripturæ locis invenies, quòd Levita, Peregrinus, Pupillus & Vidua Pauperibus annumerentur, & æquales quasi habeantur, quia nullam certam possessionem habebant.

Oblationū Therumoth & Decimarum ratio. Deut. 14. 27.

Deut. 33. 10.

Decimas secundas præcepit Lex tantùm in victualibus Hierosolymam asportare, eò quòd hoc necessariò cogat eleemosynas inde facere, cùm non nisi pro cibo & potu erogari potuerint, & facilè fuerit unicuique paulatim eas exsolvere; deinde, ut hac congregatione in uno loco amicitia & fraternitas inter Homines tantò firmiùs conglutinetur.

Decimarum secundarum ratio. Deut. 12.

Quartam plantam (h.e. *fructus quarti Anni)* quod attinet, præter id, quòd Idololatriam redolet, & cum præputio (h.e. fructu trium primorum Annorum) participat, eadem illius est ratio, quæ Oblationis *(Theruma)*, Placentæ, Primitiarum, & primæ Tonsionis, de quibus omnibus primitiæ DEO erant consecrandæ: finis etenim est, ut hoc medio Homines excitentur ad Liberalitatem, & à Gulositate Avaritiâque abstrahantur.

Ratio præcepti de fructibus quarti anni.

Atque hujus generis est, *quòd Sacerdos Brachium, Maxillas & Ventriculum accipere debebat. Maxillæ* namque sunt primitiæ corporis Animalium; & *Brachium dextrum* est primum ex illis, quæ instar ramorum ex corpore prodeunt; *Ventriculus* denique principium est Intestinorum omnium.

Cur Sacerdoti Armū, Maxillam & Ventriculum destinārit Deus? Deut. 18. 3.

Primitiarum Lex ad Humilitatem quoque addit stimulum: dum enim canistrum in humeros suos sumere cogebantur, & beneficia DEI prædicare, significabatur eo, non nullam cultûs Divini esse partem, ut Homo memor sit temporum Afflictionum & Tribulationum suarum, quando DEUS ei respirationem largitur; quem finem pluribus in locis Lex confirmat: ut, *Et recordaberis, quòd servus fuisti*, &c. Et hoc ideò, ut is, qui in divitiis & delitiis versatur, timeat à vitiis exinde libenter pullulantibus, à fastu nempe, superbiâ, apo-

Primitiarum ratio. Deut. 26. 2.

Deut.8.12. stasiâ, & aliis, sicut dicitur; *Ne comedas, & satureris.* Item; *Et impin-*
Deut.32.15. *guatus est Jeschurun, & recalcitravit,* &c. Et propter hunc timorem mandavit in Scriptura primitias fructuum singulis annis offerre coram DEO & Majestate ejus Divina. Ita nôsti, Scripturam vehe-
Deut.16.3. menter inculcare plagas Ægypti; ut, *Ut recorderis diei, quo egressus es*
Exod.10.2. *ex Aegypto.* Item; *Ut enarres in auribus filii tui, & filii filii tui,* &c. Id quod ita fieri decet in hoc negotio, quia demonstrant veritatem Prophetiæ, pœnarum item & præmiorum. Propterea notum est, quænam sit utilitas Præceptorum illorum omnium, quæ vel Miraculorum divinorum memoriam nobis commendant, vel fidem confirmant. Manifestè dicitur de primogenito Hominis & primogenito Bestię;
Exod.13.15. *Et fuit cùm indurâsset se Pharao, quò minùs dimitteret nos,* &c. *idcircò ego sacrifico* DEO,&c. id quod in specie & propriè de Ovibus, Bovibus & Asinis intelligendum esse inde clarum est, quia hæc Animalia sunt domestica, quæ ab Hominibus educantur, & ubique inveniuntur, inprimis verò in Terra Israëlis & inter Israëlitas: omnes etenim nos, patres nostri, & patres patrum nostrorum Pastores fuerunt,
Gen.47.3. sicut dicitur; *Pastores gregis fuerunt servi tui.* Equi autem & Cameli
Num.31. non ubique & apud quosvis habentur: unde in spoliatione Midjanitarum nullorum Animantium mentionem fieri invenimus, nisi Ovium, Boum & Asinorum, qui soli omnibus Hominibus necessarii sunt, præsertim verò illis, qui in agris & sylvis habent negotia.
Genes.32.5. Ita dicit Jacob; *Et sunt mihi Boves, Asini & Oves.* Verùm Equi & Cameli non apud quosvis reperiuntur, sed tantùm apud paucos quos-
Exod.13.13. dam insigniores, & aliquibus tantùm in locis. Primogenitum Asini decollari præcepit, eò quòd hoc permoveat ad redimendum illud, sicut dicitur; *Præceptum redemptionis præcedit præceptum decollationis.*

Ratio præceptorū de Anno Intermissionis & Jubilæo. Præcepta illa quod attinet, quæ enarravimus in *Halachoth* שמיטה ויובל h.e. in Tractatu *de Anno Intermissionis & Jubilæo*, illa partim data sunt propter Misericordiam erga Homines omnes in universum,
Exod.23.11. illorumque Respirationem ac refocillationem, sicut dicitur; *In septi-*
Levit.25. *mo verò relinques eam atque deseres: & comedent pauperes Populi tui, residuum autem eorum comedet bestia agri,* &c. & ut Terra ita deserta & relicta tantò uberiores fructus proferat: *partim* in specie in gratiam Servorum & Pauperum, in Remissione argenti & manumissione servorum: *partim* ad conservationem sustentationis & victûs Hominum perpetuam: ut, quòd Terra semper penes Dominos suos
Lev.25.23. manere debuit, nec vendi potuit, sicut dicitur; *Terra autem non ven-*

detur

detur absolutè: ut sc. hoc pacto facultates Hominis penes ipsum & hæredes ejus maneant.

Et sic declaravi tibi caussas & rationes omnium eorum Præceptorum, quæ in majore nostro opere *Jad* in Tractatu זרעים h.e. *de Seminibus* complexi sumus, iis tantùm exceptis, quæ agunt de commixtione diversarum specierum Animalium, quorum ratio suo loco tibi quoque explicabitur. Lev.19.19.

Præceptorum, quæ complexi sumus in Tractatu *de Aestimationibus & Anathematis, devotisq; ad usum sacrum*, eadem est ratio ferè quæ Eleemosynarum; illorum enim quędam respiciunt Sacerdotes, quædam ad sarciendas ruinas & restaurationē Domûs (h.e. Templi). Omnia autem in universum ducunt Hominem ad Liberalitatem; ut videlicet divitias propter gloriam DEI contemnat, neque avaritiæ locum concedat. Maxima enim malorum & damnorum pars, quæ inter Homines eveniunt, oritur ex nimio congerendi opes ac divitias studio, Avaritiâ inquam & Ambitione. *De Aestimationibus & Anathematis.* Levit.27.

Sic, si cuncta illa Præcepta, quæ recensuimus in Tractatu *de Mutuante & Mutuum accipiente*, sigillatim probè consideraveris, invenies, ea in universum hûc respicere, ut Misericordia, Beneficentia & Clementia erga Pauperes exerceatur; &, ut alimenta necessaria nemini deficiant: ut, *Non accipiet quisquam pro pignore metam & catillum, quoniam animam ipse acciperet pro pignore*. *De Mutuante & Mutuum accipiente.* Deut.24.6.

Eódem collimant Præcepta illa, quæ exposuimus in Tractatu nostro *de Servis & Servitutibus*, ad Pietatem inquam & Misericordiam erga egenos, cujus non minima pars est, *quòd jubetur Servus Cananaeus liber dimitti, cùm jacturam membri alicujus patitur*; ne videlicet simul affligatur servitute & tali infirmitate vel defectu; quin-imò, si vel dentem amiserit, ut jam de reliquis membris nihil dicam: *quòd item non licitum fuit ipsum percutere nisi loro vel calamo, aut alio aliquo simili instrumento*, sicut exposuimus in *Mischne Thorah*. Si autem & istis tàm graviter quis ipsum percussit, ut eum occiderit, morte mulctabatur, sicut pro alio homicidio. In illo verò, ubi dicitur, *Non trades servum DOMINO suo, qui eruerit se ad te à DOMINO suo*, præter Misericordiæ opus alia latet utilitas; quò videlicet ad laudatissimam & honestissimam hanc virtutem nos assuefaciamus, eos, qui auxilium & protectionem apud nos quærunt, non solùm adjuvandi, nec in manus eorum, à quorum conspectu aufugerunt, tradendi: sed & commodum ipsorum promovendi, omnibus modis illis benefaciendi, neque vel verbo illos lædendi aut offendendi. Hoc enim est *De Servis & Servitutibus.* Exod.21. *Profugos Servos cur recipere voluerit?* Deut.23.15.

quod

Exod.21.14. quod dicitur, *Tecum habitabit in medio tui, in loco, quem elegerit, ubicunq; placuerit ei, non vim inferes ei.* Quòd si verò teneamur hoc officii præstare vilissimæ conditionis hominibus, servis videlicet, quantò magìs faciendum id nobis est erga Virum aliquem præstantiorem & insigniorem, qui patrocinium nostrum requirit, ut pro merito & dignitate illius ipsum excipiamus? Verùm observandum hic est, si transiens vel transfuga fuerit Homo flagitiosus & perversus, nullam ipsi opem, nullam misericordiam esse exhibendam, neque de judicio ejus quicquam detrahendum & diminuẽdum, (h.e. *nec minimam ipsi gratiam esse communicandam*), etiamsi in re omnium præstantissimâ refugium quæsiverit, sicut dicitur; *Ab Altari meo tolles eum, ut moriatur.* Hic enim ponitur, personam talem, quæ patrocinium & auxilium quærit apud DEUM Opt. Max., & se recipit ad id, quod Nomini ejus dedicatum est, nullam opem impetrare debere, sed in Adversarii ipsius potestatem tradendam esse; quantò igitur minùs licebit privato alicui opem ferre ejusmodi Homini, vel misericordiam erga ipsum exercere? Misericordia enim talis, quæ Transgressoribus & sceleratis Hominibus exhibetur, Tyrannis & crudelitas est erga reliquas Creaturas. Atq; hæ sunt sine dubio virtutes æquitati congruentes, & justis DEI statutis ac judiciis respondentes; nequaquam verò illæ, quas stulti & imperiti laudandas ducunt, à quibus laudantur indiscriminatim omnes, qui quosvis venientes recipiunt & protegunt, nullâ ratione habitâ, an sint oppressi, vel oppressores, sicut ex ipsorum communibus sententiis & cantilenis liquet. Propterea claræ nunc sunt quoq; caussæ & utilitates omnium hujus classis Præceptorum.

Flagitiosis Hominibus nullū patrocinium est præbendum.

Exod.21.14.

CAP. XL.
De caussis & rationibus Præceptorum quintæ classis.

Præcepta quintæ classis.

PRÆCEPTA, quæ sub quinta classe comprehenduntur, sunt ea, quæ enarravimus in Libro נזיקין h.e. *de Damnis*, & occupantur ea omnia circa tollẽdam Iniquitatem & cohibenda Damna.

Præceptorum de Damnis illatis utilitas & ratio.

Ex multiplici autem prohibitione *Damnorum* est, quòd reus constituitur Homo omnium Damnorum, quæ vel ex Facultatibus, vel Rebus ejus proveniunt, quatenus, ne damnum inferatur, præcavere potuisset.

Hinc culpa nobis adscribitur Damnorum eorum, quæ à jumentis

nostris proveniunt, ut diligenter custodiamus ea, vel quia illa custodire possumus: ab igne item & cisternis, quia sunt talia opera, quorum damna Homines prævenire & cavere possunt.

Complectuntur ista Præcepta quasdam Justitiæ & Æquitatis partes, quemadmodum te docebo: ut; Si *Dens vel Pes (jumenti sc. alicujus damnum intulerit)* in loco publico, absolvitur *(Dominus ipsius* sc.): quia sunt *(Dens* sc. *& Pes)* res, quæ non custodiri possunt, & damnum inde redundans exiguum: adde, quòd is, qui rem aliquam in loco publico relinquit, ipsemet contra se peccet, & perditioni facultates suas exponat; reus autem erit de Dente & Pede, si in agro damnum fuerit illatum. Quòd si verò *Cornu vel simile quidpiam*, quod custodiri potest, damnum intulerit, ubicunque demùm fuerit, & à quo iter facientes in loco publico sibi cavere non possunt, ejus ratio & judicium idem quoque est ubique. Sed differentia est inter *Bovem integrum* (h.e. *mansuetum, de quo non constat, quòd cornupeta sit*) & inter *contestatum, (de quo possessori contestatio facta fuit, quòd sit cornupeta).* Nam si damnum illatum sit ab eo, qui non assuetus est id facere, obligatur tantùm de dimidio damno; si verò ab eo, qui ita facere consuevit, & ejus consuetudo nota fuit, tenetur ad integrum damnũ rependendum. *Servo illati damni pretium* hoc in casu constitutum, est dimidia pars pretii Hominis liberi, triginta videlicet siclorum argenti. Utplurimùm enim reperies Hominem liberum æstimari sexaginta siclis; Servum verò triginta. Quòd autem Bestia occidi debuit, quando Hominem interficiebat, id non fiebat ad pœnam sumendam de illa, quemadmodum absurdè contra nos cavillantur Tzadducæi, sed ad puniendum Dominum. Hinc enim prohibitus erat usus & esus carnium ipsius, ut diligentiam adhibeat Dominus bestiæ in custodienda ea, sciens, quòd, si magnum vel parvum, liberum vel servum occidat, pretium ejus sit amissurus; &, si contestata fuerit, præter amissionem pretii, redemtionem solvere teneatur. Atq; eadem hæc caussa fuit, propter quam *Bestia, cum qua Homo aliquis rem habuit,* interficiebatur; ut videlicet Dominus bestiæ eâ curâ & diligentiâ eam custodiat, quâ reliquos suos domesticos, neque facilè eam ex oculis suis elabi sinat. Non minori etenim amore & affectu solent Homines prosequi facultates, quàm proprias suas animas; quinimò reperies quosdam, qui longè pluris faciunt opes suas, quàm se-ipsos. Apud plerosque tamen æqualis utriusque est amor, sicut dicitur; *Ad accipiendum nos in servos & asinos nostros.*

De Bove cornupeta. Exod. 21. 29. Ibid. v. 35. 36.

Cur Bestia, quæ Hominem occidit, etiam interfici debuerit?

Cur Bestia, cum qua Homo rem habuit, interfecta fuerit? Lev. 20. 15.

Gen. 43. 18.

Ex iis porrò, quæ sub hac classe Præceptorum continentur, est etiam *Occisio Persecutoris*, (*h.e. ejus, qui peccatũ aliquod perpetrare sibi proposuit, illudq́, persequitur*). Illud verò judiciũ, ut occidatur is, qui conatur vel proponit sibi peccatum aliquod committere, antequam in effectum illud deduxit, non est permissum, nisi in duobus istis casibus; *primò*, cùm quis proximum suum persequitur ad occidendum eum; *deinde*, cùm quis persequitur nuditatem & pudicitiam Hominis alicujus: quia tales sunt transgresſiones, quæ perpetratæ, restitui & restaurari nequeunt. Reliquas quod attinet, quæ quidem etiam à Domo Judicii sub pœna mortis prohibitæ sunt, ut Idololatria, Transgresſio Sabbathi, quibus nemo læditur, sed quæ sunt tantùm scientiæ in mente, propter illas nemo interficitur ob nudam cogitationem, nisi re-ipsâ illas perfecerit. Ac de concupiscentia notum est, illam prohibitam esse propter desiderium; desiderium autem propter rapinam: id quod Sapientes nostri jam explanârunt.

In quibus casibus propositum peccandi morte mulctatum fuerit.

Cur *Res amissæ restitui jubeantur*, ejus ratio manifesta est. Nam præterquàm quòd virtus per se est laudatisſima, magnam etiam reciprocam habet utilitatem. Si enim non restitues tu rem amissam alterius, (*à te sc. inventam*), neque tua tibi restituetur; quemadmodum si non honores progenitores tuos, neque tui filii honorabunt te, &c.

Cur res amissæ sint restituendæ? Levit. 6. 4.

Quòd autem *is, qui aliquem per errorem occidit, è loco suo migrare jubetur*, factum est ad placandam animam Vindicis sanguinis; ut non in conspectu habeat eum, per cujus manum offensio illa facta est. Reditus autem ejus dependebat à morte Hominis in toto Israële præstantisſimi & charisſimi, (*summi Sacerdotis nempe*); quòd hoc quoq; medio placaretur animus ejus, cujus cognatus aut consanguineus occisus erat. Est enim naturâ omnibus Hominibus in afflictione constitutis insitum, ut consolationem inveniant, quando alii simile quid, vel majus contigisse vident. Nulla autem tristior mors nobis evenire potest, quàm mors Sacerdotis magni.

Cur jussus fuerit is, qui per errorem aliquem occidit, è loco suo migrare? Num. 35. 11.

Præceptum *de Vitula decervicanda* quod attinet, utilitas ejus pariter quoque est manifesta. Nam Vitulam adducens est Civitas proxima ipsi cadaveri occiso, & plerunque accidit, ut qui cædem perpetravit, ex illo sit loco: Seniores autem urbis DEUM testem appellant, quòd in viarum securitate & custodia nihil neglexerint, quòd omnes transeuntes diligenter examinârint & explorârint, sicuti exponitur in verbis Rabbinorum nostrorum p.m., dicentes; Non est interfectus iste, quòd aliquid obliti simus ex publicis & communibus nostris ordinationibus, neque constat nobis, quis interfecerit eum.

Ratio præcepti de Vitula decervicanda. Deut. 21.

eum. Propter istam autem in factum inquisitionem, propter Seniorum egressionem, & adstantes, propter Vitulæ deniq; acceptionem & decervicationem, plurimi necessariò inter Homines feruntur sermones, ac ita publicâ istâ actione vel cædis author invenitur, vel ab alio, qui vel rei conscius est, vel famâ de eo audivit, proditur, vel ex signis & τεκμηρίοις cognoscitur, quòd N. sit interfector. Nam si Homo quispiam, etiam Mulier, surgat ac dicat, N. interfecit eum, non decervicatur Vitula. Notum autem est, si quis authorem cædis sciret, ac taceret, DEUMque contra se testem ac vindicem appellaret, se nescire; summam id fore levitatem, summumque peccatum: ideoque valdè probabile est, quemlibet, etiam Mulierem, siquidem sciverit, rem detecturum. Quòd si verò rescitur, quísnam cædem perpetrârit, magna inde resilit utilitas. Nam si Domus Judicii nō morte afficiat eum, occíditur à Rege, qui potestatem habet ex indiciis & præsumptionibus aliquem occidendi: quòd si autem Rex non occídat eum, occídet eum Vindex sanguinis, qui insidias ipsi tamdiù struet, donec occasionem nactus fuerit ipsum occidendi. Proinde liquet hinc, Vitulam decervicatam inserviisse ad detegendum & cognoscendum eum, qui cędem aliquam perpetravit: quod inde etiam ampliùs confirmatur, quia locus ille, in quo Vitula decervicabatur, in æternum nec coli potuit, nec conseri. Hoc enim fecit, ut Dominus terræ illius omnem operam impenderit, nihilque neglexerit in inquirendo & rescifcendo Homicida, ne Vitula decervicetur, & Terra ejus ira perpetuò prophana reddatur.

CAP. XLI.

De caussis & rationibus Præceptorum sextæ Classis.

SEXTA classis Præceptorum agit *de Suppliciis & Pœnis à peccantibus & delinquentibus sumendis*, quorum utilitas in genere nota est & à nobis jam indigitata. Particularitates verò illorum, & singularum partium jura in hoc capite à nobis accipe. *Præcepta sextæ classis.*

Universalis cujusvis in alium delinquentis pœna est, ut ipsi fiat quemadmodum ille fecit alteri: si damnum intulerit in corpore, luit in corpore; si in pecunia, in eadem luet. Penes Dominum autem pecuniæ est, condonare ei, vel de pœna remittere. Sed si quis homicidium ex pura-puta malitia commiserit, ei nec pœna mitigari, nec λύτρον imponi potest, sicut dicitur; *Neq; Terra expiabitur propter sangui-* *Universalis & generalis pœna Talionis.* Num. 35. 33.

nem, qui effusus est in ea, nisi per sanguinem illius, qui effudit eum. Propterea licèt interfectus per horas vel dies aliquot adhuc vixerit, loquutus fuerit, sanumq; intellectum retinuerit, ac petierit, ut interfector suus liber dimittatur, testatusque fuerit, se ei condonare & remittere, non auditur, sed necessariò anima pro anima danda est æqualiter pro parvo & magno, servo & libero, sapiente & stulto. Inter omnia enim peccata Hominum nullum hoc peccato majus est. Ita, qui alium membro aliquo mutilavit, itidem eodem mutilabitur: in summa, quale vitium, quale detrimentum intulit proximo, tale inferetur & ipsi. Non est autem, quòd animum & cogitationes tuas defatiget, quòd hodiè mulcta pecuniaria istis imponatur. Scopus enim & intentio nostra hoc loco est, rationem & caussam reddere locorũ Scripturæ, non Talmudis, licèt habeam etiam quod dicam de sententiis Talmudis, quod autem coràm ex me audies.

Plagarum, quarum æquales reddi nequeunt, judicium sive pœna consistit in Recompensatione; sed sedere ejus, (h.e. die Versaumnuß/ *Jacturam, quam domi otiosus residendo patitur*), exsolvere, & curare eum cogitur.

Qui damnum intulit in facultatibus, damnum vicissim in facul-
Exod.22.9. tatibus suis patietur æquale, sicut dicitur; *Is, quem condemnaverint Judices, duplum reddet ei:* id nempe, quod abstulit, ac deinde tantum ex facultatibus propriis.

Peccatorum frequentium pœna sunt graviores. Porrò scias, illorum peccatorum & transgressionum, quæ magis frequentes sunt & usitatæ, pœnam quoque decere esse graviorem & asperiorem, ut tantò magis ab illis Homines se contineant; illarum
Exod.22.1. autem, quæ raro contingunt, leviorem. Hinc *is, qui furatus est oves,* duplum reddere cogitur illius, qui ex aliis mobilibus aliquid furatus est, quadruplum nempe, idque etiam, si illas jam vendiderit, sive jugulaverit. Ratio est, quòd ut-plurimùm perpetuò sint in agris, ubi res non tàm benè custodiri possunt, sicut ea, quæ habentur in medio Civitatis: ideò solent illi fures festinanter ea vendere, ne penes ipsos reperiantur; vel mactare, ut formam suam amittant, atq; ita non cognosci possint. Et hæc caussa est, quòd pœna rei frequentis sit major atque gravior.

Ibid. Ita *restitutio furti Boum* uno aucta est, quia furtum illorum est facilius. Oves etenim pascuntur gregatim, & facilè à pastore custodiri & observari possunt, ac vix nisi noctu furto possunt surripi; Boves verò pascuntur hinc-inde dispersi, (id quod in libro עבודת הנכשת quoque commemoratur), ac proinde non ita facilè à pastore custodi-

ſtodiri poſſunt. Et hinc quoque furtum illorum crebriùs ſolet contingere.

Sic *falſorum Teſtium judicium eſt*, ut fiat eis, ſicut ipſi cogitaverunt facere aliis: ſi cogitaverunt occidere, occidantur; ſi percutere, percutiantur; ſi damnum inferre in pecunia, tantundem in pecunia amittant. Deut.19.19.

In his omnibus intentio eſt, ut pœna & peccatũ ſint æqualia. Hoc enim ſenſu appellantur *Judicia juſta*.

Quòd verò *Raptor* non tenetur mulctæ loco aliquid amplius reddere, (nam quinta pars rapti, quam dare tenetur, eſt pro expiatione Juramenti falſi), ideò fit, quia rariùs rapina committi ſolet. Nam damnum Furti frequentiùs accidit, quàm Rapinæ: Furtum etenim in quovis loco committi poteſt; at Rapina in Civitate committi non poteſt, niſi cum maxima difficultate. Prætereà, Furtum fieri poteſt in rebus manifeſtis & occultis; Rapina verò non niſi in manifeſtis. Inſuper, à Raptore quis ſibi poteſt cavere, illique reſiſtere; à Fure autem nequaquam. Denique, Raptor notus eſt, & quæri poteſt, operaque navari, ut ipſi iterum res rapta auferatur; Fur autem non eſt notus. His itaque de cauſsis Fur ad mulctam obligatur; Raptor autem nequaquam. *Cur raptoris pœna mitior ſit, quàm furis?* Levit.6.

Pœnas autem quod attinet, ſcias, illarum magnitudinem & aſperitatem, parvitatem item & levitatem ex quatuor rerum conſideratione provenire. *Quatuor cauſſæ ſunt, quæ pœnas exaſperant & mitigant.*

Prima eſt *Magnitudo peccati.* Actiones enim illæ, ex quibus detrimentum magnum oritur, magnam merentur pœnam; quarum verò damnum eſt exiguum, exigua quoque eſt pœna. 1. *Quantitas peccati.*

Secunda eſt *Frequentia peccati.* Id enim, quod frequentiùs ſolet committi, graviori eſt pœnâ coërcendum; id verò, quòd rariùs occurrit, pro ejus raritate modicâ quoq; cohiberi pœnâ ſufficit. 2. *Frequentia.*

Tertia eſt *Inſtigatio* ſive *Cauſſa impulſiva peccati.* Nam ab illa re, ad quam Homo fortiùs incitatur & inſtigatur, ſive id fiat, quòd nimis vehementer à concupiſcentia ſua urgeatur, aut quòd longum nimis illius habitum & conſuetudinem attraxerit, aut quòd ejus intermiſsio magnum ipſi dolorem pariat; ab illa inquam re non niſi graviſsimæ pœnæ metu illum avelli & deterreri poſſe certum eſt. 3. *Cauſſa impulſiva.*

Quarta eſt *Facilitas peccati*; ut cùm in occulto & abſcondito perpetrari poteſt, nemine animadvertente & ſentiente. Tale enim quoque peccatum non niſi magnæ pœnæ metu inhiberi poteſt. 4. *Facilitas.*

His itaque ſic præfatis, ſcias, Pœnarum quoque ordinem quatuor *Quatuor pœnarum gradus.*

in Lege habere gradus. *Primus*, est Reatus mortis à Domo Judicii infligendæ: *secundus*, est Excisio (כָּרֵת) & Percussio cum loro, (cum hac fide, quòd hoc peccatum sit unum ex gravissimis): *tertius*, est Vapulatio, Percussio nempe cum loro, (at non credere cogitur, quòd illud peccatum sit ex peccatis magnis, sed negativum tantùm), aut Mors per manus DEI: *quartus* gradus est Prohibitionum sine Vapulatione, & est omnium Præceptorum negativorum, in quibus nulla continetur actio, excepto eo, qui falsò vel temerè jurat, qui non vult credere id, quod tenetur credere de magnificando DEO, qui renuit offerre oblationes DEO debitas, qui convitiis maledicit socio suo per Nomen DEI, (eò quòd Vulgus maledictiones & convitia pluris æstimat, quàm damna corpori illata): damnum enim, quod à reliquis Præceptis negativis, quæ nullam habent actionem, provenit, est exiguum, nec facilè quis sibi inde cavere potest, (eò quòd sunt tantùm verba, & si sub pœna Vapulationis essent prohibita, nullus reperiretur, cujus tergum non toto anno plagarum foret mancipium), ac præthereà nulla de illis est admonitio.

De numero plagarum in Malkut.

In numero verò Plagarum sapientia & discretio adhibenda est. Is enim definitus & præcisus quidem est respectu summi sui gradûs, sed non itidem respectu Hominum & singulorum Individuorum. Nam nemo percutitur ultra mensuram, quam sustinere potest. Summus autem Plagarum numerus est quadraginta, ultra quem nemo plures recipit, licèt adhuc centum sustinere valeret. *Reatum Mortis à Domo Judicii* infligendæ nunquam invenies in cibis vetitis, eò quòd non magnum detrimentum illa inferant, neque etiam Homo tàm vehementer ad illa incitetur, sicuti ad rem Veneream. Quibusdam verò cibis *Excidium* interminatur: ut primò *Sanguini*, propter nimium Hominum ad comedendum eum in temporibus illis appetitum & præcipitantiam in certa quadam Idololatriæ specie, quemadmodum in libro מסכם explicatur. Et hæc unica caussa est, cur tàm severè fuerit prohibitus. Deinde, *Adipi* quoque Excidii pœna est injuncta, eò quòd Homines illum in deliciis habere soleant, sicuti hac de caussâ quoque DEUS sacrificia sua illo honorare voluit. Prætereà, *Excidium* determinatur *Fermentato* in festo Paschatis, h.e. comedenti fermentatum in festo Paschatis, & comedenti in die Jejunii, h.e. in die Expiationum, propterea quòd dolor & molestia quædam illi est conjuncta, & quia sunt talia opera, quibus confirmantur sententiæ, quæ sunt fundamenta Legis, Exitus nempe ex Ægypto, unà cum Miraculis, quæ

Sub Excidii pœna prohibitus est Sanguis. Lev. 7.26.27.

Adeps. Ibid. v. 24.25.

Fermentatü in festo Paschatis.

quæ in illo contigerunt, & Fides conversionis vel Resipiscentiæ, sicut dicitur; *Dies expiationum est, ad expiandum vos coram* DOMINO Lev.23.18.
DEO *vestro.* Tandem de *Excidio* tenetur, *qui comederit aliquid de residuo* (Sacrificii pacifici in die tertio) *& prophano: immundus* item, *qui comedit de Sancto*, sicuti is, qui adipem comedit. Intentio verò harum Sanctionum est, ut tantò major reverentia concilietur Sacrificiis. Lev.19.5.6.7.8. Lev.7.21.
At *Mortem Domus Judicii* invenies tantùm in rebus magnis & arduis, ut putà *ob corruptionem Fidei* (i.e. hæresin), vel ob aliud aliquod grave peccatum, *Idololatriam, Adulterium, Incestum, Homicidium, & quicquid his occasionem præbet*; item *ob Sabbathi violationem*, eò quòd per illud *(Sabbathum)* stabiliatur fides de Novitate Mundi. Præterea infligitur *falso Prophetæ, Seni rebelli*, propter maxima mala ab illis provenientia. *Et* item, *qui patrem suum aut matrem suam verberârit, aut illis maledixerit*, eò quòd hoc desperatæ malitiæ & audaciæ signum sit, ordinemque domesticum, qui non postrema, sed prima Politiæ pars est, subvertat. *Filio* insuper *contumaci & rebelli* propter malum inde secuturum; certò enim eò tandem delabetur, ut homicida fiat. *Et* item, *qui furatur animam*, h.e. plagiario, quia videtur illum Hominem ad occidendum eum abduxisse. *Illi* quoque, *qui in Effossione deprehenditur*, quia animo occidendi ingredi videtur, quemadmodum Rabbini nostri explicârunt. Quòd verò isti tres, Filius rebellis, Ingrediens per effossionem, & Plagiarius, pro Homicidis sint habendi, res est manifesta. Denique, non invenies Mortem à Domo Judicii in alia re, quàm in magnis & gravibus, infligi. Nam non omnis quoq; *Scortatio* Morte Domûs Judicii punitur, sed illa tantùm, *quæ est magis facilis, frequens, turpis, inhonesta, & ad quam Homo plus incitatur*; quæ talis non est, ei Excidium est determinatum. Ita nec omnes *Idololatriæ species* hac pœnâ mulctantur, sed tantùm magis principales: ut, *qui preces suas ad Idolum dirigit, qui in Nomine ejus prophetat, qui liberos suos traducit per Ignem, Augur, Pytho, Incantator.* Quia verò sine pœnis & judiciis esse non potest, ideò clarum est, requiri ut *Judices* constituantur per singulas Civitates, ut habeantur *Testes*, ut sit *Rex*, qui timeatur, qui omnibus modis ista cohibeat & coërceat, qui manus Judicibus porrigat, eosque juvet.

Mors à Domo Judicii quibus infligatur. Deut.13.& 18. Deut.17. Exod.21.15. Levit.20.9. Deut.21. Exod.21.16. Exod.22.

Et sic exposui tibi caussas & rationes omnium Præceptorum, quæ in Tractatu שופטים h.e. *de Judicibus* enarravimus. Necesse autem est, ut de pauculis quibusdam adhuc admoneamur, quæ ibi commemoravimus, & ad argumentum hujus libri spectant; de eo videlicet, quod ex præcepto de Sene rebelli dependet. Dico itaque: Cùm

DEUS

Deut.17.11.12. DEUS cognovit Judicia Legis hujus necessaria futura omnibus temporibus, ac secundùm locorum, novitatum & rerum vel casuum varietatem nonnullis interdum aliquid esse addendum aut detrahendum, ideò prohibuit quidem, ne quicquam illis addatur aut adimatur, sicut ait; *Non addetis ad Verbum, quod ego præcipio vobis hodiè, neque detrahetis de eo:* nam in præjudicium magnum Legi Divinæ hoc cederet, ac videri posset, ac si non à DEO originem traheret. Sed omnium temporum & ætatum Sapientibus, h.e. Domui Judicii magni permisit sepes constituere ad Judicia Legis stabilienda in rebus quibusdam, quas innovare volunt ad sartam-tectam conservandam Legis authoritatem, & sepes illas in æternum stabilire, sicut dicitur; *Et facient sepem Legi.* Præterea facultatem concessit illis, quædam præcepta Legis tollere, & quædam prohibita permittere in certa quapiam re & casu, non autem in perpetuum, sicuti declaravimus in expositione Mischnæ.

Deut.4.2. — * vel, *Et fecerunt.*

Atque hac ratione conservari & in usu retineri potest Lex aliqua quibuslibet temporibus & in quibusvis casibus pro necessitate. Nam si exceptio ista specialis data esset cuivis Sapienti, perirent Homines propter multitudinem & varietatem opinionum. Sed ideò prohibuit DEUS, ne reliqui Sapientes id faciant, sed sola Domus Judicii magni, & mandavit, ut occidatur, quicunque illis sese opposuerit. Si enim cuivis permissum esset ab illis discedere & dissentire, tolleretur planè illius finis & utilitas.

Deut.17.12.

Actiones Trãsgressionum Legis sunt quadruplices.

Porrò scias, Actiones Transgressionum in quatuor partes dividi; quædam enim fiunt *Coactè*, quædam *per Errorem*, quædam *Superbè*, quædam *Manu elatâ*, h.e. protervè & pertinaciter.

Coactè.

Quod attinet eum, qui *Coactè* peccat, is nullâ pœnâ afficitur, neq; etiam peccatum illi imputatur, sicut DEUS ipse dicit; *Non facies quicquam puellæ: non enim est illi puellæ peccatum mortis.*

Deut.22.26.

Ex errore.

At verò peccatum habet is, qui *per errorem* peccavit. Nam si diligenter se continuisset sibiq; cavisset, non incidisset in errorem. Ideò licèt nulla afficiatur pœnâ, opus tamen habet expiatione, ac propterea oblationem offerre cogitur. Differentiam autem hîc facit Lex inter Virum Eximium, Litteratum & Idiotam; inter Regem & Sacerdotem magnum, vel eum, qui tradit Halacham *(sententiam aliquam vel ritum)*, & docet nos, quòd quicunque facit aut docet Halacham aliquam secundùm proprium suum intellectum, (h.e. *ex proprio suo cerebro*, vel *ex sua ignorantiâ)*, nisi fuerit Domus Judicii magni aut Sacerdos magnus, sit ex eorum numero, qui superbè peccant, neque cen-

censeatur inter errantes. Hinc morte mulctatur Senex rebellis, etiamsi faciat & doceat secundùm id, quod ipsi videtur. Domus autem Judicii magni potestatem habet judicandi pro suo arbitratu, &c, si errent, habentur pro iis, qui ex errore peccant, sicut dicitur; *Quòd si tota Synagoga Israël erraverit*, &c. Ex hoc fundamento dixerunt Rabbini nostri, *Error doctrinæ reputatur pro superbia* : h.e. Si quis imperfectus fuerit in sapientia, & secundùm suam inscitiam & ignorantiam docuerit vel fecerit, habetur pro superbo. Nam non est eadem ratio ejus, qui comedit de adipe renum, existimans se comedere adipem caudæ, quæ illius, qui comedit adipem renum, sciens quòd sit adeps renum, sed ignorans quòd adeps renum sit prohibitus. Hic enim licèt oblationem offerat, tamen aliquo modo tantùm superbè peccanti est affinis, si solummodò ita faciat, (h.e. *opere transgrediatur*); sed qui secundùm suum intellectum (*pro suo arbitratu, vel secundùm suam ignorantiam*) docet, is sine omni dubio & exceptione talis est. Scriptura enim neminem liberat vel excusat ab errore in doctrina commisso, nisi Domum Judicii magni. Lev. 4.13.

Per superbiam.

Qui *per superbiam* delinquit, tenetur de judicio scripto, (h.e. *de pœna in Lege scripta*); nimirum vel Morte Judicii magni, vel Vapulatione, vel Castigatione Præceptorum negativorum, propter quæ non vapulant, vel denique Mulctâ pecuniariâ. Sed illas Transgressiones quod attinet, in quibus perinde est, sive ex errore, sive ex superbia perpetratæ sint, id fit propter nimiam illarum frequentiam & facilitatem, & quòd nulla in illis sit actio. Tale est *Juramentum testimonii*, *Juramentum depositi*, *Ancillæ* item * *contempta violatio*, eò quòd & hoc frequenter accidat, quia talis liberè quasi est exposita; neque enim est ancilla mera, neque merè filia libera, neque etiam uxor Viri alicujus mera & vera, sicuti Cabbala exponit in explicatione hujus præcepti. Lev. 19.20.

* vel *desponsata.*

Manu elatâ.

Qui denique peccat *Manu elatâ*, est superbus, qui callum peccandi attraxit, ac publicè liberéque peccat. Hic enim non solùm concupiscentiæ suæ causâ, aut propter malitiam qualitatum suarum (h.e. *ex prava consuetudine*) peccat Legemque transgreditur, sed expressè studio contradicendi Legi, contraque eam insurgendi, unde dicitur, DOMINUM *probris afficit*, ac propterea sine omni dubitatione morte est plectendus. Nam nemo ita peccat, nisi cujus animo insidet opinio vel dogma aliquod Legi Divinæ repugnans, in quo ab ipsa dissentit. Hinc communis & recepta hujus Legis expositio est, quòd in ea Scriptura loquatur de Idololatra, eò quòd is primariis & Num. 15.30.

principalibus Legis fundamentis adversetur. Nullus etenim colit Stellam vel Planetam aliquem, nisi credat ejus antiquitatem vel æternitatem, (*quæ* subint. *Scripturæ fundamentis repugnat*), sicuti sæpiùs jam in libris nostris explicuimus. Eadem autem ratio esse mihi videtur omnium Transgressionum, quæ protervè contra Legem fiunt & committuntur; etiam si Israëlita aliquis tantùm comederet carnem cum lacte, vel heterogeneis vestimentis se vestiret, vel angulum capitis sui coronæ instar tonderet in contemptum Legis; idq; propter consequentiam, quæ inde sequi videtur, ac si nimirum non crederet, hanc Legem esse veram. Et hoc est meo judicio id, quod dicitur; *DOMINUM probris afficit*. Occidendus autem est talis Morte abnegationis, (h.e. ut Hæreticus, Apostata, qui fidem abnegavit), non Morte pœnæ, quemadmodum * *Cives urbis ad Idololatriam impulsæ* morte hæreticorum & apostatarum interficiuntur; non verò morte pœnæ, unde facultates ipsorum comburendæ sunt, neque hæredibus relinquendæ, sicut reliquorum, qui à Domo Judicii interficiuntur. Ita ajo, si totus aliquis cœtus vel congregatio Israëlis per superbiam transgrediatur præceptum aliquod, & manu excelsâ illud faciat, omnes esse occidendos. Probationem hujus rei habemus in historia filiorum Gad, & filiorum Ruben; ubi *primò* dicitur, *quòd totus cœtus filiorum Israël convenerint, ut ascenderent contra eos ad pugnam: deinde*, quod graviter expostulârint cum ipsis, quòd apostatæ facti sint, (dum in Transgressionem illam unanimiter consensêrũt), & à Lege Dei planè defecerint: hoc enim sibi volunt, dum ajunt; *Ut avertamini hodiè, ne eatis post DOMINUM: tertiò*, quomodo & illi responderint, ac regesserint; *Si per rebellionem, & si per prævaricationem*, &c. Nunc itaq; tu in usus tuos converte, quæ de Pœnis hactenus à me dicta sunt.

* *vide* Deut. 13. 13. &c.

Jos. 22.

Ratio præcepti de delenda memoria Amalekitarum.

Deut. 25. 19.

Cæterùm, ex iis, quæ in Libro שפטים h.e. *de Judicibus* comprehenduntur, est quoq; præceptum *de delenda memoria Amalekitarum*. Quâ etenim ratione punitur Homo unus seorsim, eâdem puniendа est integra aliqua familia & natio, ut reliquæ familiæ id videntes ac audientes à similibus peccatis & damnis abstineant. Dicent enim apud se; Fortè idem contingeret nobis, quod contigit filiis N., vel fortè idem continget nobis, quod facturi sumus illis: ita ut, si filius aliquis perditus & degener inter illos nascatur, qui nullam vitæ vel salutis suæ rationem habet, neque malum, quod perpetratum it, perpendit, non facilè patronum aliquem in familia sua hac ratione sit reperturus, qui ei in sceleribus suis, quæ patrare vult, sit patrocinaturus.

turus. Ita de Amalek, qui primus gladio adortus est Israëlitas, dicitur, *ut gladio memoria ejus deleatur*. *Ammon & Moab*, qui ex avaritia fecerunt id, quod fecerunt, & per astutiam malum nobis intulerunt, non aliâ quàm hac pœnâ affecti sunt, ut affinitatem ipsorum fugiamus, nulloque amore illos prosequamur. Omnia ista divinam habent mensuram & proportionem pœnarum, cui nec addendum, nec detrahendum, sed unicuique, ut DEUS ipse explicat, *secundùm impietatem suam* reddendum. Exod.17. Deut.25.v.ult. Deut.23. Deut.25.2.

Ad hæc, pertinet ad hunc librum (*Schophetim*) præceptum *de constituendo extra Castra spatio & paxillo*, (pro Naturæ sc. necessitatibus contegendis). Ex intentione enim hujus Legis inprimis quoq; est Mundities, & omnis generis sordium, fœditatum & impuritatum vitatio, ne Homo sit instar brutorum Animalium. Sed & istis actionibus confirmare voluit DEUS fidem belligerantium, quòd Majestas Divina inter ipsos habitet, sicut dicitur in caussa hujus præcepti; *Nam DOMINUS DEUS tuus indesinenter ambulat in medio Castrorum tuorum*. Ad quod aliam adhortationem adjungit, dicens; *Itaque non videat in te nuditatem aliquam, cujus caussâ à te avertatur*: quibus verbis deterrere & dehortari vult à scortatione, quæ nimis trita & vulgaris esse solet inter Milites, quamdiù à domibus suis absunt. Ut itaque ab operibus istis impuris liberemur & abstineamus, præcepit nobis DEUS talia opera, quæ nobis in mentem revocant, Gloriam ipsius in medio nostri habitare, sicut dicitur; *Et sint Castra tua sancta, & ne videat in te turpitudinem aliquam*. Ita jussit *eum, qui casum nocturnum passus est, extra Castra educere usque ad Solis occasum, & tùm demùm reduci*: ut uniuscujusque animo altè infixum hoc hæreat, quòd Castra ipsorum debeant esse sicut Sanctuarium DEI, & non sicut Castra Gentium, in quibus omnis generis corruptiones, transgressiones, rapinæ, furta, aliaq; scelera liberè grassantur. Verùm Intentio nostra est, dirigere Homines ad cultum DEI, ejusq; rationes ordinare; prout tibi jam indicavi, me eorum tantùm caussas & rationes redditurum, quæ in Scriptura reperiuntur. *De constituendo loco & paxillo extra Castra.* *Vide* Deut.23. 13.14. *Castra cur mūda haberi & cōservari voluerit Deus?* Ibid.v.10.11.

Tandem pertinet huc *Judicium Mulieris formosæ captivæ*. Nôsti, quid Sapientes nostri dicant; *Non loquitur hoc Lex, nisi respectu concupiscentiæ malæ*. Sed subest in hoc Præcepto etiam aliquid ad bonos mores & virtutes spectans, in quibus Homines liberales se exercere debent, de quo te nunc sum commonefacturus. Licèt enim Concupiscentia mala ita dominium in Homine obtineat, ut non possit illius vim sufferre, sustinere aut subigere; non publicè tamen illam debet *Præceptum de formosa muliere captivè abductâ.* Deut.21.10. 11.&c.

perficere, sed in locum privatum & occultum debet Mulierem deducere, unde dicitur; *Introduces eam in medium domûs tuæ:* neque permissum est ei, in bello ipsam comprimere: sicut explicant ibi, quòd non liceat ipsi eam secundâ vice violare, donec quiescat ac sedetur luctus & mœror ejus, neque à luctu, fletu, & lotione impedire, sicut dicitur; *Ac flebit patrem suum & matrem suam.* Lugentibus enim lachrymæ quietis & recreationis loco sunt, donec vires corporis planè debilitentur, ut accidens illud animæ non ampliùs sustinere queant, sicut Hominibus lætis risus quietis loco est. Et hac de caussa clementiâ usa est Lex erga illam, facultatemque horum omnium ipsi concessit, donec lassa & defessa fiat ad lugendum & plorandum. Novisse autem quoque debes, quòd non violare audeat eam nisi in Gentilismo, h.e. dum adhuc gentilis & pagana est, & quòd triginta dies liberè possit Legem & Relligionem suam, etiam Idololatricam, retinere; neque intra hoc temporis spatium quisquam ipsi contradicere vel molestus in fide esse debeat. Ac licèt ipsam ad consuetudines & ritus Legis non possit convertere, non licet tamen ipsi eam vendere, aut pro ancilla habere. Ex quibus vides, Legem prohibuisse accessum carnalem, etiamsi ipsa in rebellione sua, h.e. gentilis & pagana remanserit: quin imò dicit insuper; *Non abutitor eâ ad quæstum, pro eo, quòd afflixisti eam.*

Atque ita explicatum tibi hactenus est, quæ'nam Virtutes in istis Præceptis quoque nobis commendentur, & simul caussæ indicatæ omnium hujus libri *(de Judicibus* sc. *& Judiciis)* Præceptorum.

CAP. XLII.

De caussis & rationibus Præceptorum septimæ classis.

Septimæ classis. SEPTIMÆ classis præcepta sunt *de Judiciis pecuniariis*, quæ enarravimus partim in libro *Mischpatim* h.e. de Judiciis, partim in libro *Kinjan* h.e. de Possessionibus.

Caussa illorum est manifesta; sunt enim quasi mensura æquitatis Judiciorum in negotiis & contractibus, quæ inter Homines tractari solēt, & ut negotiantes vel contrahentes se invicem adjuvent, unusque commodum alterius promoveat, non ut alteruter illorum duorum solus suam rem agat, totumque lucrum ad ipsum redeat.

Præcepta de Vēditionibus. Primum omnium, quod hoc loco occurrit, est, *ut nulla fraus committatur in Venditione*, sed lucrum sit consuetum, ordinarium & notum,

rum, ut certæ conditio. observentur, quibus venditio confirmetur, nullaque in verbis fraus vel impostura fiat, sicut notum est.

Deinde, pertinet hûc *Judicium quatuor Custodum*, cujus æquitatis ratio est manifesta. Nam qui custodit gratis & nullam inde utilitatem consequitur, sed potiùs ipse alii benefacit, is liber est ab omni damno, & si quod damnum accidat, id Domino rei adscribitur. Sed qui petit, ut omnem ex re custodita habeat utilitatem, & cui Dominus mercedem dat, is reus fit omnium, & ex ejus crumena refundenda sunt damna omnia, quæ accidunt. Cùm verò uterque, & qui mercedem dat, & qui mercedem accipit, h.e. Custos & Dominus rei custoditæ, de utilitate participant, tùm ex æquo etiam uterq; damnum patitur. Damnum, quod accidit ex negligentia Custodis, ut *quod furto est ablatum, vel amissum*, repetitur à custode; quia ideò accidit, quòd non, ut decet, custodiverit. Damna verò, quæ nullo consilio, nullâq; curâ & diligentiâ præcaveri possunt, ut est *fractum*, (cùm pecus vel jumentum aliquod membrum quoddam frangit), *captum*, vel *mortuum*, illa Domino imputantur.

De Custodibus. Exod.22.7.8.9. Exod.22.10.11.

Post-hæc, summam *Mercenariorum* curam gessit, propter paupertatem ipsorum; præcipiendo, ut illis citò & maturè detur merces ipsorum, nec in minimo vis aut fraus aliqua ipsis inferatur; h.e. ut merces ipsis detur secundùm opus ipsorum. Et ex intima hac Misericordia provenit quoque, quod præcipit, ut non prohibeatur (*mercenarius*), imò ne quidem jumentum, comedere de cibis, in quibus laborant secundùm judicia Legis hujus.

De Mercenariis. Deut.24.14.15. Deut.25.4.

Insuper, ex Judiciis istis pecuniariis sunt quoque *Hæreditates*, de quibus præcipitur, ne quis subtrahat bona sua ab eo, cui jure debentur; sed cùm ad mortem vadat, hæredibus suis illa non invideat, neque ea prodigat aut dispergat, sed iis, quibus præ aliis decent, relinquat, illis nempe, qui magis è familia sua ipsi sunt propinqui. Hinc specialiter declaravit, quænam in illis ratio sit observanda; quòd nempe filius debeat præcedere, deinde sequi filia, posteà frater, inde fratres patris, sicuti notum est. Item, ut jus primogenituræ detur filio natu majori, quia ipsius amor est prior: neque hic affectibus suis quisquam indulgeat, ad filium magis dilectæ (*uxoris*) jus primogenituræ transferendo, &c. Atque hanc virtutem (ut videlicet propinquiorum potiorem rationem habeamus, magisque illis benefaciamus) commendat & confirmat nobis ubique Lex hæc æquissima. Hinc dicit Propheta; *Et qui turbat carnem suam, vel propinquum suum, crudelis est.* Sic inquit Lex in præcepto de Eleemosynis; *Fratri*

De Hæreditatibus. Num.27.8 9. 10.11. Prov.11.17. Deut.15.11.

tuo, Pauperi tuo, &c. Et Sapientes nostri supra modum commendant eum, qui benefacit propinquis suis, & filiam sororis suæ suscipit. Quousq; autem hîc debeamus progredi, & quàm commendata nobis hæc virtus esse debeat, docet nos Lex satis superq;, dum vult; Ut propinquorum nostrorum, & qui cognatione nobis juncti sunt, rationem habeamus, licèt nos offenderint: imò, licèt pessimus & corruptissimus esset aliquis illorum, non tamen avertendam esse ab eo

Deut.23.7. benignam faciem, sicut dicitur; *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus est.* Ita, quotiescunque & quandocunque in angustia reperis eum, cujus ope aliquando indiguisti, & à quo beneficium olim accepisti, obligatus es meminisse illius, quod anteà tibi præstitit, licèt

Ibid. posteà tibi malefecerit. Sic dicit DEUS; *Non abominaberis Aegyptium, quia peregrinus fuisti in Terra ejus.* Notum autem est, quantis malis posteà nos Ægyptii affecerint.

Ita ergo vides, quot bonas & laudabiles virtutes ex Præceptis istis addiscamus; sed duo postrema propriè non hûc pertinent. Ex illis autem, quæ de proximis Hæredibus dicta sunt, ad sermonem illum de Idumæo & Ægyptio delapsi sumus.

CAP. XLIII.

De caussis & rationibus Præceptorum octavæ classis.

Octava classis. PRÆCEPTA sub octava classe comprehensa, sunt ea, quæ in Tractatu *Semanim* h.e. *de Temporibus* enarravimus. Caussæ illorum, paucis exceptis, in Lege ipsa sunt explicatæ.

De Sabbatho. Caussa & ratio *Sabbathi* nota satis est, neque ulteriori explicatione indiget. Palàm est, quantam Homini quietem procuret; ut nempe septima vitę ejus pars à labore & defatigatione vacua sit & libera, nemoque vel magnus, vel parvus inde excipiatur. Cui conjunctum est & hoc, quòd perpetuò conservet & confirmet præstantissimam illam de Mundi Creatione historiam ac doctrinam.

De Jejunio in die Expiationū. Levit.16.& 23. *Jejunium Diei Expiationum* quod attinet, caussa illius quoque est manifesta. Excitat enim studium Resipiscentiæ. Ac prætereà est Dies ille, quo Princeps Prophetarum (Moses) cum tabulis secundis de monte descendit, & Populo peccati ipsorum magni Remissionem annunciavit. Hinc in æternum electus est in diem merum Resipiscentiæ & cultûs Divini, (h. e. *quo Resipiscentiam nostram coram DEO testemur, & cultui Divino unicè vacemus*): ideoq; prohibita est in

eo

eo omnis corporalis tàm voluptas, quàm labor & defatigatio, (h.e. *omnia opera corporalia*), nihilque in eo faciendum, nisi peccatorum confessiones, (h.e. nisi peccata confiteri, & ab illis se convertere).

Reliquos Dies Festos quod attinet, instituti illi sunt omnes lætitiæ caussâ, & propter publicas Hominum congregationes ac conventus, qui Hominibus & sunt necessarii, & utiles ad mutuum inter se amorem fovendum, qui inter Homines in civilibus ac politicis conventibus necessariò requiritur. *De reliquis Diebus festis.*

Particulares autem & *proprias Dierum circumstantias* quod attinet, habent & illæ suas caussas.

Festum enim *Paschatis* quod attinet, *cur septem diebus celebrandum sit*, manifestum est; quia nempe circumactio vel revolutio septem dierum est circumvolutio media inter Diem Solarem & Mensem Lunarem, quæ ut magnum habet (*sicuti nôsti*) usum in rebus Naturalibus, ita quoque in Legalibus. Lex etenim perpetuò assimilatur Naturæ, & res Naturales aliquo modo perficit. Nam Natura non pollet ratione vel intellectu; Lex autem est Regula & Directorium quasi DEI Opt. Max., qui intellectum dedit omnibus intellectu prędìtis. Sed hæc præter scopum hujus capitis. Revertamur itaque ad id, in quo hîc versamur. *Cur festum Paschatis septem diebus celebrandum fuerit?*

Festum Septimanarum (h.e. Pentecostes) est Dies ille, quo Lex data fuit. Ad hujus diei honorem pertinet, quòd dies à præcedenti solenni festo (*Paschatis*) ad illum usque diem numerantur, quemadmodum quis optimum ac fidelissimum amicorum suorum exspectans, dies & horas numerare solet. Hæcque vera caussa etiam est numerationis *homer* à die, quo egressi sumus ex Ægypto usq; ad diem promulgationis Legis, quæ præcipua fuit caussa & finis Exitûs ipsorum, sicut dicit; *Et adduxi vos ad me*: vel, *Ut adducerem vos ad me*. Quia verò Visio illa magna non nisi unum diem duravit, ideò & memoria ejus quotannis per unicum saltèm diem celebratur. Sed si comestio Azymi unico tantùm die duraret, non sentiremus illud, neque rationem ejus consideraremus; sæpè enim accidere solet, ut Homo per duos aut tres dies pane azymo vescatur. Animadvertitur autem & illustris redditur, quando per integram revolutionem (h.e. *septimanam*) comeditur. *De festo Septimanarum vel Pentecostes.* *Vide* Lev. 23. 15. Exod. 19. 5.

Ita *Principium Anni* per unum diem celebratur, quia est Dies Resipiscentię vel Conversionis, & Excitationis Hominum à somno suo; quæ caussa est, *quòd buccinâ eo die clangendum sit*, sicut in *Mischne Thorah* declaravimus: præterea quasi præparatio est ad Diem Jejunii, (h.e. *De Principio Anni.* Lev. 23. 24.

Expia-

Expiationum), quemadmodum manifestum ex decem illis diebus, qui intercedunt inter Principium Anni & inter Diem Expiationū.

De festo Tabernaculorum.

Festum Tabernaculorum quod attinet, cujus finis est Lætitia & Hilaritas, septem dies illud celebratur, ut patefiat & ubique divulgetur ejus caussa. Cur autem illo tempore ferietur, ejus caussam apertè Lex indicat, dum ait; *Eò quòd collegeris opera tua ex agro*, q.d. quia tùm requies tibi est & respiratio à tuis negotiis. Ita meminit Aristoteles in libro octavo Ethicorum, idem in more olim fuisse apud Gentiles, in hunc sensum ferè scribens; *Sacrificia antiqua, cœtusq; & conventus, qui Sacrificiorum caussâ habebantur, facta fuerunt post collectionem fructuum & proventuum, quasi essent Sacrificia pro Respiratione facta.* Hæc ille. Sed & ideò factum esse potest, quia illo tempore tolerabilis maximè est commoratio in Tabernaculis, eò quòd tùm neque æstus, neq; pluvia molesta nimis esse soleat.

Exod. 23. 16. cap. 9.

Doctrina & utilitates, quæ hauriuntur ex festo Tabernaculorum & Paschatis.

Cæterùm, duo ista festa, *Tabernaculorum* nempe, & *Paschatis*, utilissimas nos *doctrinas* & *virtutes* docent.

Ac *Paschatis* quidem doctrinas quod attinet, inservit illud ad recordationem Miraculorum in Ægypto factorum, illorumque in omnes ætates conservationem; *Festum* verò *Tabernaculorum* ad conservandam memoriam signorum in deserto.

Virtutes quod attinet, discimus ex illis, memorem esse debere Hominem dierum malorum in diebus bonis, ut indesinenter DEO Opt. Max. pro liberatione gratias agat, Mansuetudinemque & Humilitatem discat, dum panes azymos & herbas amaras in Paschate comedit; ac in memoriam sibi revocat, quæ contigerunt nobis. Sic, *quòd* (in festo Tabernaculorum) *exire jubemur ex ædibus nostris, ad habitandum in tabernaculis*, Eremitarum more, qui cum magno dolore & molestia in desertis commorantur, recordari facit nos, quòd talis fuerit conditio nostra in principio, sicut dicitur; *Ut sciant generationes, quòd in tabernaculis habitare feci filios Israël*, &c. & ab ista conditione translati simus, ad habitandum in domibus pictis, in loco optimo ac pinguissimo totius Terræ, per singularem DEI gratiam, & juxta promissiones ipsius Patribus nostris factas, eò quòd fuerint Homines perfecti in scientiis & virtutibus; Abraham inquam, Isaac & Jacob. Est enim hoc quoque unum ex iis, à quibus Lex dependet, h.e. *ex fundamentis Legis*, quòd omne bonum, quod DEUS nobis fecit, vel faciet, fiat propter meritum Abrahami, Isaaci & Jacobi, quia custodiverunt viam DOMINI, faciendo justitiam & judicium. Sed *quòd ex Tabernaculis eximus ad aliam solennitatem, die sc. octavo*, quo *Festum* est

Cur in festo Tabernaculorum jussi fuerint ædes suas derelinquere, & in Tabernaculis habitare?

Levit. 23. 43.

Fundamentum straminеum.

Lev. 23. 36. 39.

Inter-

Interdicti, illud facit ad perfecta reddenda gaudia nostra, quod in Tabernaculis fieri nequit, sed in amplis & angustis domibus ac palatiis.

Quod attinet *quatuor species frondium*, vel *ramorum, qui illis diebus festi* Lev.23.40.
Tabernaculorum gestandi sunt, illius rei caussam Allegoricam (pro more suo) Rabbini nostri dederunt. Solent enim, ut illi nôrunt, quibus consuetudo ipsorum nota est, *Allegoriis* vehementer delectari, & crebrò illis uti; non quòd existiment, hanc esse mentem & sensum Scripturæ, sed instar jucundi alicujus ænigmatis, (h.e. *delectationis gratiâ*). *Duo autem sunt Hominum de Allegoriis judicia. Quidam* existimant, illas ab ipsis adduci ad declarandam Scripturam; *alii* verò irrident & contemnunt eas, cùm certum sit, non esse eam Textûs sententiam. *Priores* omnibus viribus pugnant ad tuendas & verificandas Allegorias, & credunt illas esse de sensu Scripturæ; idemq; esse judicium Allegoriarum, quod Traditionum per Cabbalam acceptarum. Sed neutri ex istis duobus rem intellexerunt. Sunt enim instar ænigmatum, quorum sensus intelligentibus non est dubius: illa enim docendi ratio illis temporibus admodùm fuit trita & usitata; quemadmodum Poëtæ quoque istum morem observant. E. G. Dixerunt Rabbini nostri p.m., *Tradit R. Kappara, Scriptum est* וְיָתֵד תִּהְיֶה לְךָ עַל־אֲזֵנֶךָ. *Ne* Deut.23.13.
legas אֲזֵנֶךָ. *sed* אָזְנֶךָ; *nam docet, quòd Homo digitum in aures suas immittere debeat, cùm obscœnum aliquod verbum audit.* Mirum equidem esset, si magnus iste Doctor Talmudicus credidisset, secundùm illorum stultorum sententiam ita versum hunc exponendum & intelligendum esse, ut per יָתֵד sive *Paxillum* intelligatur *Digitus*, & per אֲזֵנֶךָ Arma sive Instrumenta, *Aures*. Non existimo autem, quemquam sanæ mentis id dicturum. Verùm est Allusio & Ænigma elegans, quod elegantem hanc *νουθεσίαν* & doctrinam nobis suppeditat; Quâ ratione prohibitum est rem obscœnam dicere, eâdem prohibitum quoque esse eam audire. Et hoc tanquam parabolam aliquam illustrem expositioni versûs adjecit. Atque hic est sensus omnium illarum expositionum Allegoricarum, in quibus dicitur; *Ne legas sic, sed sic.* Sed extra terminos nostros egressi sumus; necessarium tamen fuit ea monere, ut quilibet Intelligens illa sciat. Ad seriem itaque verborum nostrorum redeo, & dico: *Quatuor illas frondium seu ramorum in festo Tabernaculorum species* mihi videri signum esse Lætitiæ propter Exitum è Deserto (quod nec erat locus seminis, ficuum, vitium, malogranatorum, neque aquarum ad bibendum) in locum Arborum fructiferarum & fluviorum. In memoriam itaq; istius rei jussit sumere

De Allegoriis Rabbinorum.

De quatuor speciebus ramorum in die Tabernaculorum.

de *optimis* Terræ illius *fructibus, rebus ejus suaveolentissimis, foliis pulcherrimis, herbis* deniq; *præstantissimis*, (videlicet ערבי נחל, quod exponunt, *Salices torrentis*). Has verò quatuor species tria conjunxerunt, (h.e. *quatuor autem ista species ob tres caussas conjunctæ sunt*): *primum* est, quia in temporibus illis ubiq; extabant in Terra Israëlis, & à quovis haberi poterant: *secundum*, Pulchritudo & Viriditas illarum, quarum quædam gratissimi suavissimique erant odoris, ut *Citrus & Myrtus*; quædam verò nullius planè, ut *Palma & Salix*: *tertium* est, quia per septem integros dies viriditatem & humiditatem suam retinent, id quod in *Persicis, Malogranatis, Asparagis*, & similibus fieri non potest.

CAP. XLIV.
De caussis & rationibus Præceptorum nonæ classis.

De præceptis nonæ classis.

PRÆCEPTA sub nona classe comprehensa, sunt ea, de quibus egimus in libro אַהֲבָה *de Amore*. Eorum caussa est manifesta. Intentio quippe cultuum illorum est, ut DEUM perpetuò ob oculos habeamus, timeamus, diligamus, mandata ejus custodiamus, de eo credamus ea, quæ quilibet orthodoxæ Religioni addictus credere tenetur. Cultus autem illi sunt, *Precatio, Lectio* Audi, *Consecratio Cibi*, & quæ his adhærent; *Benedictio* item *Sacerdotum, Thephillin, Mesusoth, Zizith, Emptio libri Legis, ejusq; diligens certis temporibus Relectio.* Omnia ista ejusmodi sunt opera, quæ multas utiles doctrinas & opiniones nos docent: quod ita est manifestum, ut pluribus verbis non sit opus.

CAP. XLV.
De caussis & rationibus Præceptorum classis decimæ.

De præceptis classis decimæ.

PRÆCEPTA sub decima classe comprehensa, sunt ea, quæ enarravimus in Tractatu *de Domo electa*, in Tractatu *de Vasis Sanctuarii ejusq; Ministris*, & in Tractatu *de Ingressu in Sanctuarium.* Utilitatem hujus classis alibi jam in genere indicavimus.

Notum est, Idololatras olim ad Idolorum suorũ Templa & Imagines loca alta & excelsa elegisse, ita ut in montibus collocata essent. Hinc elegit Abraham pater noster p.m. montem Morijah, eò quòd altissimus fuerit montium in illis regionibus, ac publicè in illo

illo Unitatem DEI professus est, & quidem ad Occidentem, *quia Sanctum Sanctorum futurum erat in Occidente.* Hinc dicunt; *Majestas Divina est in Occidente.* Et expressè docent Rabbini nostri in Gemara; *Abrahamum patrem nostrum designasse Occidentem pro loco Sancti Sanctorum.* Caussa autem hujus rei meo judicio est, quòd, cùm communis eo tempore superstitio fuerit, Solem adorare ac pro DEO habere, sine dubio omnes Homines ad Orientem se converterint. Itaq; convertit se Abraham Patriarcha ad Occidentem in monte Morijah, h.e. in Sanctuario, ita ut tergum suum Soli obverteret. An ignoras enim, quid fecerint Israëlitę, cùm apostatarent & ad errores istos antiquos declinarent? *Posteriora sua* (inquit Propheta) *verterunt Templo DEI, & faciem suam ad Orientem versùs, & incurvabant se ad ortum Solis,* vel, *versùs Orientem ipsi Soli.* Tu hoc admiratione & notatu dignum observa! Porrò, nullum dubium mihi est, quin locus ille, quem Abraham spiritu Prophetico separavit & designavit, Mosi & multis aliis notus fuerit; quia Abraham illis præcepit, ut ibi locus esset cultûs Divini, (h.e. *ut ibi Templum erigeretur*), quemadmodum Onkelos Paraphrastes Chaldęus explicat, ita scribens; *Et servivit & adoravit ibi Abraham in loco illo, & dixit coram DOMINO: Sic erunt servientes generationes,* &c. Quòd locus ille non apertè & clarè, sed obscurè tantùm in Lege subindicetur, dum dicitur, *In locum quem eliget DOMINUS,* in eo tria magna, meo judicio, latent mysteria: *primò,* ne Gentes illum occuparent, ac ejus caussâ bella moverent, intelligentes, hunc locum esse finem Legis: *secundò,* ne illi, in quorum manibus tùm locus ille fuerat, omnibus viribus eum vastarent ac destruerent; *tertiò,* (quod præcipuum est), ne quælibet tribus cuperet eam in sorte & ditione sua habere, ac ita lites inter ipsas propterea oriantur, sicut accidit de Sacerdotio. Hinc præceptum fuit, ne ædificetur Domus Sanctuarii, nisi constituto Rege, qui præciperet ædificare illud, ut omnis disceptatio tollatur, sicut explicuimus in libro *Schophetim.*

Sanctum Sanctorum fuit versùs Occidentem.

Antiqui versùs Orientem adorârunt.

Ezech. 8. 16.

Cur locus Sanctuarii nō apertè in Lege indicetur?

Deut. 12. 26. vel 16. 6.

Constat etiam, Homines illos Templa exstruxisse Stellis, in eisq; collocâsse Imaginem, ad quam colendam unanimiter consenserunt, Imaginem nempe, Stellæ vel Syderi alicui dedicatam. Hinc *jussi sumus nos Templum ædificare DEO Opt. Max.*, atq; in eo collocare Arcam, & in illa reponere duas Tabulas lapideas, in quibus scriptum est, *Ego* (sum sc. DOMINUS DEUS tuus), & *Non erunt tibi,* &c. (h.e. in quibus exarata sunt decem Decalogi præcepta).

Cur jusserit Deus sibi Templum ædificare? Exod. 25.

Præterea notum est, quòd articulus fidei de Prophetia præcedat fidem Legis; (nam si non est Propheta, non est Lex): Prophetia

autem non obtingat Prophetæ, nisi mediante Angelo, (sicut dicitur;
Genes.22.15. *Et clamavit Angelus DOMINI*. Item; *Et dixit ipsi Angelus DOMINI*: &
Genes.16.9. sic innumeris vicibus; ita ut Mosis Doctoris nostri Prophetiæ prin-
Exod.2.2. cipium quoq; factum fuerit per Angelũ, sicut dicitur; *Apparuit ei Angelus in flamma Ignis*:) & per consequens, quòd fides existentię Angelorum prior sit fide Prophetiæ; & fides Prophetiæ prior fide Legis. Cùm autem Zabaistę ignorarēt essentiam DEI Opt.Max., & existimarent, quòd Ens illud æternum omnis privationis expers, sit *Cœlum cum Stellis suis*, & ab ipso omnes virtutes in *Imagines* & *Arbores* quasdam (illas nempe, quę אשרות in Lege vocantur) influant; ideò existimàrunt, *Imagines* & *Arbores* esse illa, quæ verba Prophetiæ in os Prophetarum ponunt, cum illis in Visione loquuntur, eisq; futura mala vel bona indicant, sicut ostendi tibi alibi ex sententia ipsorum *de Prophetis Baal* & *de Prophetis Haascherah*, (h.e. Arborum vel Lucorũ). Ast, cùm veritas Sapientibus patefacta, & per demonstrationem scitum est, esse Ens aliquod, quod neq; sit corpus, neq; virtus corporea, (*DEUS nempe verus*), quod sit unum, & quòd præter illud alia quoq; sint Entia abstracta & incorporea, quòd super illa DEUS bonitatem & lucem suã effundat, *Angeli* videlicet, (sicut declaravimus), & quòd ista Entia omnia sint aliud quàm Sphęræ cœlestes & Stellę illarum: hinc indubitanter sciverunt, Angelos ponere verba veritatis in os Prophetarum, non autem Imagines vel Arbores (*Ascheroth*). Ex prędictis ergo patet tibi, quòd fides existentiæ Angelorum sequatur fidem existentiæ DEI, & quòd per illos Prophetia & Lex disponatur, vel confirmetur.

Cur Deus jusserit supra Arcam duorum Angelorum figuram facere? Ad hujus igitur Doctrinæ confirmationem præcepit DEUS, *supra Arcam duorum Angelorum figuram facere*, ad existentiam Angelorum in animis Hominum confirmandam, quæ secundus est articulus sciendus post fidem existentiæ DEI, principiumque Prophetiæ & Legis.
Exod.25.18. Quòd si una tantùm figura fuisset, h.e. unius tantùm Cherubini forma, id facilè errandi caussam præbuisset. Existimare enim quis potuisset, ac si esset figura DEI colendi, sicut Idololatræ faciunt; vel, quasi Angelus unicum tantùm esset Individuum, atque ita in multiplices errores inducere. Duos autem Cherubinos faciens, cum hac declaratione, *DOMINUS DEUS noster, DEUS unus*, extra omne dubium istos articulos posuit; quòd Angeli existant, & illorum sint multi: deinde etiam omnem caussam errandi vel cogitandi, ac si illi DEUS essent, sustulit, declarando, quòd DEUS sit unus, & quòd ille hos multos creârit.

Post-

Post-hæc, *coram Arca reponere jussit Candelabrum*, ad decorem & honorem ipsius Domûs. Illam enim Domum, in qua semper Lucerna ardet intra velum abscondita, apud Homines in summa haberi veneratione, certum est. Nôsti enim, quàm sollicitè & vehementer Lex laboret, Magnificentiam & Venerationem Sanctuarii nobis persuadere; ut ex ejus intuitu addiscamus Humilitatem, Mansuetudinem, & Misericordiam. Ita dicit, *Sanctuarium meum timebitis*, continuò post præceptum de observando Sabbatho, similiter ad Venerationem Sanctuarii augendam.

Quare coram Arca jusserit ponere Candelabrum?
Exod.25.&26.
Levit.19.30.

Necessitas *Altaris Thymiamatis, Altaris Holocausti, & Instrumentorum ipsorum*, manifesta est.

Sed *Mensam* quod attinet, & *quòd Panis perpetuò super illa esse debuit*, ejus rei caussam, & quónam illud referre debeam, in hunc usq; diem nescio.

Prohibitionis illius, *quâ* DEUS *probibuit, ne Altare exstruatur ex lapidibus cæsis, & ne super illo ferrum moveatur, vel eleveturr*, nôsti, quam Rabbini nostri caussam reddant, dum ajunt אין דין שיניף המקצר על המאריך, quæ quidem optima est secundùm rationem Allegoricam. Sed vera illius caussa est manifesta, hæc nempe; Quia Idololatræ tùm temporis Altaria sua ex lapidibus cæsis ædificârunt, ideò interdixit, ne assimilemur ipsis: &, ut omnibus modis id vitemus, præcepit Altare fieri ex Terra, sicut dicitur; *Altare terreum facies mihi*: &, siquidē absq; lapidibus fieri non possit, ut lapides in forma sua naturali maneant, neque cædantur, vel dolentur, sicuti etiam prohibuit *Lapidem pictum*, & *Plantationem Arborum juxta Altare*. Horum quippe omnium una & eadem est Intentio, videlicet, Ne colamus ipsum eo modo, quo Idololatræ fictitia sua colere solebant: quam rem generaliter & universaliter prohibuit, dicendo; *Ne dicas, quomodo Gentes illæ colunt Deos suos, si faciam & ego.* Vult dicere, illos non debere ita facere DEO, idque propter caussam, quam subjungit, *Quia omnem abominationem* DOMINI, *quam odit, fecerunt Diis suis.*

Deut.27.5.
Cur Deus noluerit Altare suum ædificari à lapidibus cæsis?
Exod.20.24.
Levit.26.1.
Deut.16.21.
Deut.12.30.

Porrò, non te latet, quâ ratione olim Idololatricus cultus Pehoris perficiebatur, *Retectione* nempe *Nuditatis*. Hinc præcepit DEUS Sacerdotibus *sibi facere femoralia, ad nuditatem suam tegendam, quando cultui Divino vacant*: Item, *Ut non ascendant ad Altare per gradus, ne detegatur*, sicut inquit DEUS, *Turpitudo tua juxta illud.*

Cur Sacerdotes femoralia gestare, & per gradus ad Altare non ascedere debuerint?
Exod.28.42.
Exod.20.26.

Custodiam & Vigiliam perpetuam circa Sanctuarium quod attinet, præcepta illa fuit propter Honorem & Majestatem ejus: item, ne vel stulti, vel immundi, vel etiam alii in luctu constituti, aut

De custodia circa Sanctuarium.
Num.3.

corpore illoto in illud imprudentes irrumpant, sicut est manifestum.

Cur non cuivis in Sanctuarium ingredi fas fuerit? Præterea, ex iis, quæ permovent ad Sanctuarium reverenter habendum, venerandum & timendum, est, *quòd in illud neq; ebrius, neque immundus, neque illotus capite* (qui comam nempe habet), *neque laceris vestibus indutus* intromittebatur: *quòd* item *omnes ejus Ministri debuerunt sanctificare manus suas & pedes suos.*

De cōditionibus requisitis in Sacerdotibus. Ad Magnificentiam insuper Domûs augustiorem reddendam, *magnificavit dignitatem Ministrantium in ea, separatosq; esse voluit Sacerdotes & Levitas ab aliis. Præcepit item Sacerdotibus honoris causâ, ut vestibus pulchris & pretiosis induti sint*, sicut dicitur; *Vestes sacras in gloriam & decorem*: &, *Ne ad Ministerium admittatur, qui defectum aliquem habet corporis*: quin-imò qui deformes sunt, ad Sacerdotium inepti fuerũt, sicuti in Talmud hoc præceptum explicatur, quia non dijudicat Vulgus Homines secundùm veram ipsorum formam, *(Animam nempe rationalem, vel Intellectum)*, sed secundùm membrorum perfectionem, vestiumque pretiositatem vel ornatum. Omnium itaque istorum finis est, ut in debito honore & reverentiâ habeatur Domus apud quosvis.

Exod.28.2.

Levitæ propter vocem inepti cēsebantur. *Levita* autem, qui non offert vel sacrificat, & de quo non dicitur, quòd expiet iniquitates, sicut dicitur de Sacerdotibus; *Et expiabit pro eo*: Item; *Et expiabit pro ea*: sed cujus officium tantùm consistit in dicendo Cantico, h.e. in cantu peragendo, is *propter vocem* ineptus censetur. Nam in cantu spectatur potissimùm, ut verbis illis animæ afficiantur. Hæ autem non afficiuntur aut moventur, nisi vocibus ac melodiis suavibus, instrumentisque Musicis, quemadmodum semper in Sanctuario moris erat.

Quin-imò *Sacerdotibus legitimis in Sanctuario ministrantibus probibitum erat in eo habitare, aut quovis tempore in Templum ingredi. In Sanctum verò Sanctorum non licebat ulli ingredi, nisi Sacerdoti in die Expiationum, quatuor vicibus, neque ultrà.* Omnia hæc iterum propter auctoritatem Sanctuarii.

Et quia quotidiè in Sanctuario magnum numerum Bestiarum mactabant, carnes ibi in frusta scindebant, intestina item & crura lavabant & comburebant, odor ejus, si in hoc statu illud reliquissent, sine dubio instar macelli alicujus fuisset; *ideò præcepit* DEUS, *ut bis quotidiè suffitus in eo fiat, mane* sc. *& vesperi*, ad gratum reddendum odorem ejus, & odorem vestimentorum Ministrorum ejus. Hinc est illud, quod Rabbini nostri dicunt; *A' Jericho odorabantur odorem suffitûs.*

Cur Deus jussit suffitum facere in Sanctuario?

fitûs. Et hoc itaq; ex illis est, quæ reverentiam ac venerationem huic loco acquirebant. Nam si non habuisset bonum odorem, sed contrarium ejus, (h.e. *malum*), cùm effecisset hoc quoque in animis Hominum contrarium reverentiæ (h.e. *contemptum*). Sicuti enim Anima mirificè bono odore delectatur, eumque sequitur; ita econtrà malum odorem detestatur atque fugit.

Oleum Unctionis duas habebat utilitates, Suaveolentiam nempe illius, quod ungebatur, & ejusdem *Dignitatem & Sanctitatem*, quòd nempe ad præstantiorem usum separatum fuerit ab aliis suæ speciei, sive fuerit Homo, sive Vestimentum, sive aliud quoddam Instrumentum. Omnia hæc iterum referebantur ad reverentiam Sanctuarii, quæ *(reverentia)* caussa est reverentiæ vel timoris DEI; quia affectus Hominis ad singularem devotionem moventur, quando in Sanctuarium ingreditur, cordaque dura emolliuntur & flectuntur. Sapientia autem ista Divina ad emollienda & flectenda Hominum corda, quando ingrediuntur in Sanctuarium, hûc facit, ut tantò majori alacritate recipiant præcepta DEI, eumque timeant, sicuti nobis in Lege declaratur, cùm dicitur; *Et comedes coram DOMINO DEO tuo in loco, quem elegerit, ut habitare faciat Nomen suum ibi, decimam frumenti tui, vini tui, olei tui, & primogenita boum tuorum, & pecudum tuarum, ut discas timere DOMINUM DEUM tuum omnibus diebus.* Sic itaque patet tibi, quisnam actionum prædictarum omnium finis fuerit. *Caussa autem prohibitionis, ne tale oleum vel talis suffitus ab aliis conficiatur*, est manifesta, videlicet, ut nullibi quàm illic odor ille habeatur, & ita tantò majori affectione Homines illum prosequantur: item, ne illi, qui tali oleo fortè inungerentur, existimarent, se præstantiores factos, atque ita multa mala magnæque dissensiones orirentur.

De Olei Unctionis utilitate. Exod.30.31.

Deut.14.23.

Exod.30.32.33.

Quòd verò Arca super humeros, non in curribus, portabatur, fiebat cùm honoris caussâ, tùm, ne forma & structura ejus corrumperetur, præsertim quando vectes ex annulis educendi essent; præterea hac ratione quoque non corrumpebatur amiculum & pectorale.

Cur Arca super humeros portāda fuerit? Numer.7.9.

Opus autem Vestimentorum omnium textile esse totum voluit sine sutura, ut non corrumpatur forma ipsius texturæ.

Vestimenta sacra fuerunt tota contexta sine sutura.

Ita admonuit omnes ministerium obeuntes in Sanctuario, ne unus alterius officio se immisceat; nam cùm negotia pluribus commissa sunt, nec unicuique peculiare suum officium designatum est, negligentia & pigritia facilè omnes occupat.

Cur ministeria confundi & cōmisceri noluerit Deus?

Denique manifestum est, quòd *Gradatio illa locorum, dum videlicet Judicia certa data sunt Montis Domûs, certa Antemurali, certa Atrio Mulierum,*

Cur unicuique loco certa ministeria assignārit?

num, & certa alteri Atrio, & sic consequenter usque ad Sanctum Sanctorum; quòd inquam ista omnia ad tantò majorem reverentiam & auctoritatem Domûs inservire debebant.

Atque ita commemoravimus tibi caussas omnium istius quoque classis Præceptorum.

CAP. XLVI.

De caussis & rationibus Præceptorum classis undecimæ.

Præcepta classis undecimæ.

PRÆCEPTA sub undecima classe comprehensa, sunt ea, quæ enarravimus in reliqua parte libri *de Cultu Divino*, & in libro *de Oblationibus*, quorum utilitatem in genere jam explicuimus; nunc verò in specie pro virili rationem illorum quoque reddemus.

Ægyptii coluerunt signum Arietis.

Dico ergo: Docuit nos Lex Divina (secundùm expositionem Onkeli), Ægyptios coluisse *sydus* vel *signum Arietis*, ac propterea non solùm prohibitum inter ipsos fuisse mactare Oves, sed & in summo contemptu & abominatione fuisse Pastores ovium. Hinc dicit Moses; *Ecce, sacrificabimus abominationem Aegyptiorum!*

Exod.8.22.

Zabii coluerunt Dæmones, & existimabāt, illos Hircorum *formam habere.*

Ad hunc modum ex Zabiis quidam fuerunt, qui Dæmones colebant, & existimabant, quòd formam *Hircorum* habeant; unde etiam Dæmones *Seirim* h.e. Hircos appellabant. Quæ opinio Mosis tempore jam longè latéq; in Orbe diffusa fuit, sicut ait; *Et non sacrificabunt ultrà sacrificia sua* lasseirim *hircis*, (h.e. Dæmonibus ita appellatis). Et hinc apud illud Hominum genus prohibitus quoque erat esus *Hircorum*.

Levit.17.7.

Jumēta in maximo pretio habuerunt Idololatræ, eorumq; mactationē sunt abominati.

Jumentorum autem mactationem maxima pars Idololatrarum abominata est semper, omnesque hanc irrationalium Animalium speciem maximi fecerunt. Hinc in hodiernum usque diem in India reperies Homines, qui illa nunquam mactare solent; & quidem in illis etiam locis, ubi pecudes mactare consueverunt.

Cur Deus in sacrificiis jusserit offerre oves, boves, & hircos?

Ut ergo memoria erronearum istarum opinionum ex animis Hominum deleretur, præcepit nobis, ut has tres Bestiarum species (*Arietes* sc., *Hircos*, & *Boves*) solùm in sacrificiis nostris offeramus, sicut dicitur; *De bovibus & pecudibus offeretis oblationem vestram*: ita ut illud, quod ipsi pro summo peccato habebant, DEO offerri debeat, illoque peccata nostra expianda sint. Hoc nempe pacto curandæ sunt opiniones istæ pravæ, quæ sunt veluti morbi & ulcera Animæ humanæ, per extremum ipsorum contrarium.

Levit.1.2.

Hoc

Hoc fine *praecepit nobis in die Paschatis mactare Agnum, ejusq; sanguine anteriorem ostiorum nostrorum partem aspergere*, cùm ut nos à perniciosis istis opinionibus purgemus, cùm ut contrarium illarum profiteamur, Hominibusq; persuadeamus, actionem illam, quam ipsi mortiferam judicabant, à morte liberare, sicut dicitur; *Transiliet DOMINUS juxta ostium, neque permittet vastatorem ingredi domos vestras ad percutiendum:* ad retributionem nempe cultûs, quo contrarium planè faciebant ejus, quod illi Idololatræ faciebant. Hæc ergo caussa est, propter quam illæ tres species Animalium præ aliis ad Sacrificia eligebantur: ad quam accedit & ista, quòd illæ dictæ tres species ubique inveniri & haberi potuerint; nequaquam verò illæ, quibus Idololatræ utebantur, qui offerebant Leones, Ursos, Tygros, aliasque feras bestias, sicut in libro טמטם commemoratur.

Cur in die Paschatis praeceperit Deus mactari Agnum &c.? Exod.12. Exod.12.23.

Quia verò in multorum facultatibus non erat Boves offerre, *idcircò praecepit, ut Sacrificia etiam de Avibus fierent*, quæ frequentiores & in majore copia erant in Terra Israëlis, quales sunt *Turtures & Pulli Columbarum.*

Cur Aves quoque jusserit offerre?

Qui verò nec hoc potuit, ei licitum fuit offerre *Panem*, quocunque demùm modo & artificio, pro consuetudine illorum temporum, sive in furno, sive in sartagine, sive in aheno coctus & præparatus fuerit.

Cur Panem?

Cui autem & hoc grave nimis fuit, Panem videlicet coctum offerre, is *nudam Similam* offerre potuit.

Cur Similam nudam?

Omnia verò ista erant libera; posteà enim exponit de hac cultûs Divini specie, *Oblationibus* inquam, quòd, licèt illas prorsus non faciamus, ad nullum peccatum nobis imputetur, sicut ait; *Si autem desieris vovere, non erit in te peccatum.* Deut.23.22.

Prætereà, quia Idololatræ Panem fermentatum solùm offerebant, ac res dulces ad oblationes suas eligebant, easque melle inungere consueverant, sicuti ex sæpiùs jam à me allegatis ipsorum libris patet, *Sale* autem in illis non utebantur; *ideò prohibuit DEUS nobis Panem fermentatum vel Mel offerre. Sale autem in omnibus Sacrificiis uti seriò praecepit*, sicut dicitur; *In omni oblatione tua offeres sal.*

Cur Deus panem fermentatum & mel in Sacrificiis prohibuerit; sal autem praeceperit? Levit.2.13.

Ad hæc præcepit, *ut omnes Oblationes sint, quoad ejus fieri potest, perfectissima*, ne in contemptum veniant ea, quæ DEO Opt. Max. consecrata sunt, sicut dicitur; *Offer illud Principi tuo*, &c.

Cur oblationes debuerint esse perfecta? Malach.1.8.

Hinc *prohibuit offerre id, quod octo dies non compleverat*, eò quòd tale in specie sua adhuc imperfectum existat. Simile enim est abortivo.

Et hæc ratio quoque est illius, *quòd prohibuit adducere mercedem meretricis & pretium canis*, propter utriusq; nempe vilitatem; Ejus item, Deut.23.18.

Levit.1. *quòd maximos ex tauris offerre jussit,& optimos ex pullis columbarum*, idem hoc est fundamentum. In majoribus enim columbis nulla inest suavitas,nullæ deliciæ.

Cur Mincha cũ oleo & simila miscẽda fuerint? Levit.2.1. Sic *præcepit Minchas miscere cum oleo & cum simila*, quia ita dulciores sunt, & melioris saporis, *elegitq́, ad eam Thus*,propter bonitatem odoris fumi ipsius in illis locis, ubi fœtor est ex carnibus combustis.

De excoriatione Holocaustorũ,& Intestinorũ cum cruribus lotione. Propter honorem etiam Oblationis, & ne contemnatur, *præcepit excoriare Holocaustum,& Intestina cum cruribus lavare*, licèt omnia comburenda fuerint.

Levit.1.6.9. Mal.1.12. In summa, ubique hanc rationem observatam & inculcatam invenies: ut; *Cùm dicitis, Mensa DOMINI polluta est, & verbum eorum, contemptibilis esca ejus.*

De comestione rerum sacrarũ. Levit.7.19. Eadem ratio est, *quòd esus oblationum prohibitus fuit præputiatis & immundis, quòd oblationem ipsam,cùm immunda facta fuit, comedere non licuit, quòd non comedi debuit post tempus designatum, neque item cùm suspecta est*,(de verbo ad verbum,*cùm cogitata fuit de ea cogitatio mala*): item quòd præcepit, *ut in certo loco comedatur. Sed Holocaustum, quia totum consumebatur,non comestum fuit omninò.*

De sacrificiis pro peccato. Levit.6.26. Quod offerebatur pro peccato, ut חַטָּאת h.e. *Sacrificium pro peccato*, & אָשָׁם h.e.*Oblatio pro reatu, comedendum fuit in Atrio, & quidem eo ipso die ac nocte,quo mactatum fuit.*

De sacrificiis pacificis. Levit.7.15. *Sancta levia.* *Sacrificia pacifica* (שְׁלָמִים), quæ prioribus sunt inferiora, & à Rabbinis nostris vocantur קָדָשִׁים קַלִּים h.e. *Sancta levia,comedi potuerunt in urbe Hierosolyma tantùm, & quidem eo die, quo oblata fuerunt, & crastino, non verò posteà*, propterea quòd post eum diem sordes contrahunt, & corrumpuntur.

Levit.5.15.16. Deut.15.19. Propter auctoritatem insuper Oblationum, omniumque eorum, quæ DEO Opt.Max.dedicata sunt, obligavit nos, *ut,quisquis utilitatem aliquam ceperit ex re sanctificata,pro Prævaricatore habeatur, expiatione opus habeat, ac præterea quintam partem illius addat, etiam si per errorem fecerit.* Ita prohibitum est *operâ sanctificatorum uti,vel tondere ea*, propter ipsorum honorem & reverentiam.

De sanctis non permutandis. Levit.27.10. Ibid. Sic cautum est in Lege,*ne sacra permutentur*:nam si hoc liceret,permutarent sæpè bonum pro malo, ac dicerent, id melius fuisse. Ideò decretum de eo est; *Et illud,& commutatio ejus erit sanctitas.*

De redemtione rei sanctificatæ? Levit.27.13. Quòd verò præceptum est, *ut is,qui rem aliquam ex rebus suis sanctis vult redimere, quintam ejus partem superaddat*, ejus ratio non est obscura. Nam Homo semper commodum suum spectat, & naturâ suâ ad avaritiam & facultatum suarum parsimoniam propendet,neque accuratè

curatè rei sanctæ pretium considerat, vel ita illam, ut opus est, ostendit, ut justum ejus pretium statui queat. Idcircò obligavit illum ad additamentum aliquod, ut aliud quid æqualis pretii vendere cogatur. Totum autem hoc, ne vile habeatur id, quod DEI Nomen gerit, eique consecratum est.

Quòd *Oblatio Mincha Sacerdotis comburi debebat*, ideò fiebat, quia omnis Sacerdos debuerat oblationem suam offerre per se-ipsum. Jam verò, si ipsemet Mincham adduceret, & comederet, perinde esset, ac si nihil fecisset, (h.e. *obtulisset*). Nam *de Mincha alterius alicujus Hominis privati nihil offerebat, nisi Thus ejus, & Pugillum* (de Simila). Hæc verò Oblationis diminutio non suffecisset, si adducens eam, illam quoque comedisset, nullumque cultum fecisse videretur. Ideò ergo combusta fuit. *Mincha Sacerdotis cur comburenda fuerit?* Levit. 6.23. Levit. 2.2.

Statuta & consuetudines Paschatis proprias quod attinet; ut, *quòd assum igne solummodò comedendum erat; in domo una; nullumque os ipsi frangendum fuit:* istorum omnium ratio manifesta est & evidens. Quemadmodum enim *Infermentatum* erat propter festinationem; ita festinationis caussâ fiebat quoque *Assatio*, quoniam non fuerat eis illic otium ad cibos exquisitè coquendos & præparandos: neque etiam tardare poterant *ad ossa ejus confringenda, & ea, quæ prohibita erant, extrahenda*. Istud enim fundamentum in his omnibus Lex ipsa nobis explicat, dum ait; *Comedetisque cum festinatione*. In festinatione autem non datur otium ad ossa confringendum, de domo una in alteram de carne mittendum, &c, donec nuncius revertatur, expectandum; quia hæ actiones omnes requirunt otium & vacationem. *De ritibus Paschatis.* Exod. 12.9. v.46. Exod. 12.11.

Ratio verò, propter quam *festinandum ipsis erat*, fuit, ne fortè quidam nimis diù cunctarentur, atque ita cum multitudine exire nequientes interciperentur, & occiderentur. *Ut autem in sempiternum ista observentur*, ideò præcepit, ut sempiterna quoque illius rei esset memoria, sicut dicitur; *Observabis itaque rem istam pro statuto tibi & filiis tuis in seculum.* Exod. 12.24.

Quòd *non comedi debuerat nisi à numeratis ejus*, hac de caussa factum fuit, ut unusquisque maturè & diligenter sibi de eo prospiceret, neq; vel in amico, vel propinquo suo, vel alio quopiam confidat, atque ita negligentes hac in parte fierent. Ibid. v.4.

Præputium habentibus sive Incircumcisis cur prohibitus fuerit ejus esus, ejus rei caussam reddiderunt Sapientes nostri, dicentes: *Ipsi intermiserunt præceptum Circumcisionis, cùm prolongaretur commoratio ipsorum in Aegypto, ut similes fierent Aegyptiis. Ideò cùm injunctum fuit nobis præce-* Exod. 12.48.

ptum Paschatis, hanc ei conditionem annexit DEUS, *ut nemo illud mactaret, nisi postquam se-ipsum, suos filios & domesticos circumcidisset, atq; ita tùm demùm accederet ad Agnum Paschalem comedendum. Circumciderunt se omnes, & tantus circumcisorum fuit numerus, ut sanguis Circumcisionis misceretur cum sanguine Paschatis: quemadmodum hujus rei vestigium habe-*

Ezech.16.6. *mus apud Prophetam, dicentem*; Et vidi te conculcatam in sanguinibus tuis, h.e. *in sanguine Circumcisionis & sanguine Paschatis.*

Zabii sanguinē comedebant. Porrò scito, quòd, licèt *Sanguis* immundus & impurus admodùm fuerit in oculis Zabiorum, tamen ab illis comestus fuerit, eò quòd existimarent, cibum hunc esse Dæmonum, & quòd is, qui eum comedit, hac ratione communicationem aliquam cum Dæmonibus acquirat, ita ut familiariter cum illo conversentur, & futura ei aperiant, prout Vulgus Dæmonibus ista attribuere solet. Fuerunt tamen quidam inter illos, quibus valdè durum & difficile videbatur, sanguinem comedere, (est enim res, à qua naturâ Homo abhorret). Hi mactantes Bestiam aliquam, Sanguinem ejus accipiebant, & in vase vel fossula aliqua colligebant, carnem verò mactatam circa illum sanguinem in circulo sedentes comedebant; imaginantes sibi, in hoc opere, ipsis carnem comedentibus, Dæmones illum sanguinem comedere, & hunc ipsorum esse cibum, hocque medio amicitiam, fraternitatem & familiaritatem inter ipsos contrahi, quia omnes in una mensa edunt, & uno consessu accumbunt: prætereà opinabantur, Dæmones in somnio sibi comparere, futura indicare, plurimumque prodesse. De harum omnium opinionum, quæ in illis temporibus erant receptæ, approbatæ & usitatæ, veritate nullus tùm inter omnes dubitavit.

Ideò tàm severè ejus esum Lex prohibuit. Idcircò venit Lex Divina, quæ perfectos reddit eos, qui nôrunt ipsam, ad auferendos istos inveteratos morbos, *esum Sanguinis prohibendo, & prohibitionem istam additâ sanctione*, planè ut in præcepto de Idololatria, *confirmando*. De comedente enim Sanguinem inquit

Levit.17.10. DEUS, *Ponam faciem meam in comedentem Sanguinem*, eodem modo,

Levit.20.3. quo de illo, qui filium suum Molecho immolat, *Ponam faciem meam in Virum illum*: neque occurrit hæc ratio loquendi in tertio aliquo præcepto, præter ista duo, de Idololatria & comestione Sanguinis, quia illius comestio ad speciem aliquam Idololatriæ, Dæmonum videlicet cultum, ansam & occasionem præbebat.

Sanguini mundandi vim attribuit Lex. Attamen & *mundum pronuntiavit Sanguinē Lex, & ordinavit, ut, quicquid tangeret, mundaret*, sicut dicitur; *Atque asperges super Aharon, & super vestes ejus, & super vestes filiorum ejus cum eo, & sanctificabitur ipse,*

Exod.29.21. *vestesq;*

vestesq; ejus, &c. Ita præcepit, *ut Sanguis super altare aspergatur.* Ibid.v.20.
Omnem verò cultum eo peragendum jussit fieri *per Effusionem*, non *Sanguinis cultus fiebant per ejus Effusionem, non Collectionē.*
per Collectionem ejus, sicut dicitur; *Ego autem dedi illum vobis super Altare ad expiandum animas vestras*, per effusionem sc. illius, sicut alibi ait; *Et totum sanguinem reliquum effundet*,&c. Item; *Sanguis autem aliorum* Levit.17.11.
Sacrificiorum tuorum fundetur super Altare,&c. Quin-imò universaliter omnium Bestiarum, quæ mactantur, sanguinem jussit effundere, Levit.4.18. Deut.12.27.
etiamsi non sint Oblationes; *Super Terram*, inquit, *effundetis illum instar aquæ.* Deut.12.16.
Post-hæc, prohibuit quoque *convenire vel congregare se circa sanguinem, & ibi epulari*, dicendo; *Non comedetis ad vel apud sanguinem.* Levit.19.26.
Quia verò in rebellione & contumacia sua perrexerunt, & in eo, in quo educati fuerunt, continuè progressi sunt, sociosque se Dæmonibus præbuerunt circa sanguinem comedendo, ideò præcepit DEUS,
ut non comedamus carnem desiderii in deserto, sed ut omnia Sacrificia sint pacifica. Levit.17.
Caussam autem, propter quam voluit, ut effundatur sanguis super Altare, & non circa illum congregentur, indicat, dum ait; *Ut* v.5.
afferant filii Israël sacrificia sua,&c. Item; *Et non sacrificabunt ultrà sacrificia sua hircis*, (h.e. Dæmonibus ita appellatis). v.7.
Animalium ferorum nullam ibi mentionem fecit, ut & Volucrium, quia ex Animalibus feris nulla fiebat oblatio, neque Volucres in Sacrificiis pacificis offerebantur. Posteà autem præcepit, *ut omnium ferarum & volucrium licitorum sanguis, ubi mactata fuerint, pulvere operiatur*, ita, ut non possint circa illum convenire & commessari; atque ita irrita reddatur fraternitas inter illos, quos in rei veritate Dæmon possidet, & inter Dæmones ipsorum. *Sanguis effusus pulvere operiendus erat.* v.13.
Obiter hic scias, quòd tempus Fidei istius propinquum fuerit diebus Mosis Doctoris nostri, & quòd Homines vehementer illam sequuti & amplexati fuerint, sicuti id videre est in Cantico ejus *(Mosis)* האזינו, ubi ait; *Sacrificabunt Dæmoniis, non DEO.* Deut.32.17.
Ubi Sapientes nostri verba illa [*Non DEO*] ita explicârunt, quòd non destiterint à cultu rerum existentium, donec etiam coluerunt Imaginationes. Verba libri *Siphre* sunt hæc; *Non satis fuit ipsis, quòd coluerunt Solem, Lunam, Stellas, & Signa cœlestia, sed coluerunt etiam* בבואה h.e. *Umbram illorum*, (בבואה enim idem significat quod צל). Sed revertor ad propositum nostrum. Novisse itaque debes, quòd *Carnes concupiscentiæ vel desiderii nullibi fuerint prohibitæ, nisi in deserto.* *Carnes desiderii in deserto cur prohibuerit?*
Ex erroribus enim illis antiquis fuit & hoc, quòd Dæmones in desertis habitent, loquantur & appareant, in Urbibus verò & locis habitatis nequaquam conspiciantur; ita ut, si quis ex Urbis alicujus Incolis ludicrum & inane ejusmodi opus velit facere, extra Urbem in

sylvas & loca deserta se conferre necesse habeat. Hinc *permissa fuit Caro desiderii, postquam in Terram promissam ingressi fuerunt.* Præterea, ut gravitas hujus morbi debilitaretur, discipuli harum opinionum diminuerentur, & quia res quasi impossibilis fuit, ut omnes carnem jumentorum edere volentes Hierosolymam venirent, propter has rationes non nisi in deserto prohibuit Carnem concupiscentiæ.

Quantò peccatū erat gravius, tantò vilior erat oblatio. Porrò scito, *quantò peccatum aliquod fuit gravius, tantò vilioris speciei esse ejus oblationem. Hinc pro errore Idololatriæ* (h.e. pro Idololatria per errorem commissa) *Capra tantùm, & pro cæteris peccatis Hominis alicu-*

Lev. 4.27. &c. Num. 15.27. *jus singularis & privati, Agna & Capra offerenda fuit*, quia fœmella vilior habetur mare in omnibus speciebus. Nullum autem peccatum ma-

Levit. 4.22. jus est Idololatriâ; & nulla species vilior Caprâ. *Propter Majestatem verò Regis, fuit oblatio pro errore ipsius, Hircus. Sacerdotem magnum, & totam Congregationem* quod attinet, quia error ipsorum non est merum opus vel actio, sed doctrina, idcircò *separata est oblatio ipsorū in Juvencis, pro Idololatria autem in Hircis.* Sic, quia peccata, propter quæ offerebatur *Ascham* (h.e. Sacrificium pro reatu), inferiora fuerunt illis, propter quæ offerebatur *Chattath* (h.e. Sacrificium pro peccato): idcircò fuit *Oblatio τῦ Ascham* h.e. Reatus, *Aries, aut Agnus ex grege*; de nobiliore specie (sc. Animalium) & de præstantione speciei parte (h.e. *sexu*), quia debuit esse masculus ex grege. An non enim vides, quòd *in Holocausto*, quia totum consumendum erat, *non nisi mares, perfectioris sc. sexûs, adhibendi erant.* Hinc etiam *minor requirebatur præstan-*

Levit. 5.1. &c. Num. 5.12. *tia, minùs item suavis odor in Mincha peccantis* (חוטא), *& in Mincha Mulieris declinantis*, (h.e. *de adulterio suspecta*), quia fiebat tantùm propter

Levit. 5.11. & Num. 5.15. suspicionem peccati, & prohibuit, *ne offerantur cum oleo & thure.* Hunc verò splendorem abesse voluit, eò quòd turpes ejus *(peccantis)* actiones caussa sint oblationis illius *(Minchæ)*, quasi hoc ipsum ad Pœnitentiam & Resipiscentiam stimulare debuisset, dictumque ipsi fuisset; Propter turpitudinem actionum tuarum oblatio tua imperfectior est reliquis. *Declinantis autem Mulieris*, cujus actiones turpiores sunt, quàm illius, qui per errorem delinquit, *oblatio ipsa quoq; ex viliori fuit materia, ex farina nempe hordeacea.* Hanc igitur rationem sequuntur ista statuta omnia sigillatim, ratioq; illorum mirabilis valdè est.

Cæterùm, Sapientes nostri p.m. meminerunt rationis cujusdam,

Levit. 9.2. *quare die octavo Impletionum seu Consecrationum Vitulus filius bovis in Sacrificium pro peccato offerebatur*; ad expiandum nempe peccatum Vituli *(aurei)*: sic, *quòd in die Expiationum Sacrificium pro peccato fuerit Juvencus filius bovis*, itidem fuisse ad expiandum peccatum Vituli. Secun-

cundùm hanc rationem, cujus meminerunt, videtur mihi, quòd *omnia Sacrificia pro peccato tùm privati alicujus Hominis, tùm Ecclesiæ totius, trium nempe principalium Festorum, Noviluniorum, Diei Expiationum, & Idololatriæ, quòd inquam Sacrificia ista Hirci fuerint*; ejus rei caussa hæc mihi videtur esse, quòd maximum peccatum, & gravissima ipsorum rebellio tùm temporis erat, quòd Hircis sacrificarent, sicut dicit Scriptura; *Et non offerent ultrà sacrificia sua* lasseirim *hircis.* Sapientes verò nostri ideò factam dicunt Expiationem totius Ecclesiæ per Hircos, quia peccatum totius congregationis Israëlis factum fuit circa Hircum, quando vendiderunt Josephum justum, sicuti in ipsius historia dicitur; *Et jugulaverunt hœdum caprarum.*

Cur sacrificia pro peccato fuerint Hirci? Numer.28.

Gen.37.31.

Ibid.

Neque levis tibi hæc ratio videri debet, quoniam omnium istarum actionum finis & scopus est, animo uniuscujusque peccatoris hoc insculpere & imprimere; Necesse esse, ut indesinenter peccati sui memor sit, sicut David dicit; *Et peccatum meum coram me est jugiter:* & quòd per talem cultum ipse, filii & posteri ejus debeant expiationem facere, qualis fuit rebellio ipsa & peccatum ipsum; ita ut, si peccatum ejus fuerit circa opes & facultates, ipse vicissim opes suas liberaliter convertat ad cultum Divinum: si peccatum corpore suo commiserit, illud quoque jejuniis, vigiliis aliisque afflictionibus ad cultum DEI spectantibus maceret & affligat: si verò circa qualitates, ac in vitia aliqua enormia lapsus fuerit, operam det, ut contrariis virtutibus illa emendet, sicuti in *Halachot deoth*, & alibi declaravimus: si denique peccatum ejus consistit in speculatione, ut vel propter ingenii sui tenuitatem, vel propter suam in rebus Divinis indagandis ac scrutandis negligentiam, falsum aliquod dogma credat; in contrarium incumbat, cogitationes suas à rebus mundanis avertendo, ac in solius veritatis inquisitione per assiduam lectionem & meditationem detinendo. Sic ait Job; *Et seduxit sese in abscondito cor meum, & osculata est manus mea os meum:* quod parabolicè dictum est de hæsitatione & cunctatione circa dubium aliquod, sicuti ab initio hujus libri explicuimus. Sic vides factum in Aharone; quum enim lapsus esset *circa Vitulum*, oblatio quoq; tùm ipsius, tùm omnium ex semine ipsius exsurgentium, fuit *Juvencus* & *Vitulus:* ita cùm peccatum fuit circa *Hircum lactentem*, oblatio quoque fuit *Hircus lactens.* Cùm itaque hæc semel altè pectoribus infixa fuerint, sine dubio efficient, ut Homo sibi à peccatis caveat, ne DEUM offendat, atque ita longâ, diuturnâ & molestâ expiatione opus habeat, quam fortè toto vitæ suæ tempore nunquam perficiet; & per consequens

Psal.51.5.

Qualia sũt peccata, tales quoq; debent esse expiationes.

Jobi 31.27.

sequens studebit Homo principium & radices peccati fugere & vitare. Et hæc itaque utilitas manifesta est. Tu proinde in usus tuos, quæ dicta sunt, converte.

Cur de hirco in principio mensis oblati dicatur, Sacrificium pro peccato DOMINO.

Num.28.15.

Placet vero hîc aliam adhuc, eamque mirabilem te docere rationem, licèt secundùm simplicem suum sensum non videatur ad argumentum hujus libri pertinere; *Cur* videlicet *tantùm de Hirco* Chattath *sive Sacrificii pro peccato in principio mensis dicatur* Chattath ladonaj, h.e. *Sacrificium pro peccato* DOMINO; *id quod de Hircis principalium Festorum non legitur, neq; etiam de Hircis reliquorū Festorum?* Ratio enim hujus rei meo judicio admodùm manifesta est, hęc videlicet; Omnes illę oblationes, quas offert Ecclesia temporibus Festorum addititiis, sunt holocausta, & unoquoque die illorum Hircus unus Caprarum in sacrificium pro peccato, qui comedebatur, holocausta verò omnia tota comburebantur, ac propptereà de illis dicitur; *Ischeb ladonaj*, h.e. Igne absumendum DOMINO: non dicitur autem, *Chattath ladonaj*, h.e. Sacrificium pro peccato DOMINO; neque etiam, *Schelamim ladonaj*, h.e. Pacifica DOMINO; eò quòd ista comesta fuerunt: ita ut non convenerit de Sacrificiis pro peccato, quæ comburebantur, etiam dicere, *Ischeb ladonaj*, h.e. Ignitum, vel Igne absumendum DOMINO, quemadmodum rationem ejus in hoc capite sum expositurus. Propptereà non est existimandum, ideò de Hircis dici, *Chattath ladonaj*, h.e. Sacrificium pro peccato DOMINO, quòd comederentur, non cremarentnr. Et quia timendum erat, ne quis cogitet de Hirco Neomeniæ, quasi Lunæ esset sacrificium, sicuti Ægyptii facere solebant; idcircò dicit disertè in præcepto, DEO hoc faciendum esse, non verò Lunæ. De Hircis autem Festorum principalium & anniversariorum nequaquam hoc timendum fuit, quia dies illi non erant initia mensium, neque signo aliquo naturali distinguebantur, sed ex instituto Legis; initia verò mensium non erant ex impositione Legis, & consueverant Gentes in illis Lunæ sacrificia offerre, sicuti sacrificabant Soli in ipsius Ortu, & cùm in certos gradus ingrederetur, prout in libris ipsorum explicatur. Hac de caussa ergo novo loquendi genere usa est Lex de isto Hirco, & dixit de eo,
Num.28.11. *Olah ladonaj*, h.e. *Holocaustum* DOMINO, ad auferendum cogitationes istas ex cordibus Hominum inveteratâ & exitiali istâ lue laborantium. Animadverte itaque & istud.

Prętereà scito, quòd omne *Chattath*, h.e. *omne Sacrificium pro peccato*, de quo creditur, quòd unius vel plurium peccatorum magnorum
Levit.4.v.13.21. expiationem faciat, quale est *Chattath* totius *Synagogæ Israëlis, cùm errat,*

errat, & res latuerit in oculis congregationis, & similia; quòd inquam *illa extra Castra comburenda erant, non verò supra Altare*; quia super Altari holocausta tantùm & similia comburenda sunt, unde etiam vocatur *Altare holocausti. Combustio enim holocausti est odor gratus* DOMINO, quemadmodum etiam omne Suffimentum. Hoc autem sine dubio ita fiebat, ad tollendas omnes Idololatricas opiniones, sicut exposuimus. *Finis* verò *combustionis istorum Sacrificiorum pro peccato* fuit, docere, illud peccatum non aliter jam deletum & sublatum esse, quàm corpus illud combustum: & quemadmodum nulla ampliùs est memoria illius Sacrificii, sed per combustionē periit; ita nullam etiam memoriam actionis illius superesse. *Fumus verò illorum non fuit odor acceptus* DOMINO, sed contrarium potiùs, ingratus & abominabilis, ac propterea comburi jubentur extra Castra. Nónne enim vides, quòd de Mincha Mulieris declinantis (h.e. *extravagantis, de adulterio suspectæ*) dicatur; *Mincha memoriæ, in memoriam revocans iniquitatem?* Num. 5. 15. nequaquam autem, quòd sit res placabilis. Sic, quia *emittebatur Hircus* ad maximorum omnium peccatorum expiationem; ita ut nullū sacrificium pro peccato tantum expiet, quantum ille, omnia quasi peccata simul portans, ideò non idoneus erat ad sacrificandum, vel comburendum, aut sepeliendum; sed ad extremos quasi Garamantas, in Insulam aliquam & Terram non habitatam emittebatur. Nemo enim dubitat, peccata nequaquam talia esse onera, quæ ab humeris Hominis unius, in humeros alterius transferri possint. Sed erant istæ actiones omnes parabolicæ, ad timorem animis Hominū incutiendum, & conversionem hoc medio operandam. Q. D. Immunes sumus ab omnibus nostris transgressionibus, post tergum nostrum illa projecimus, & ad extremas Terræ oras relegavimus.

Cur Vinum in Sacrificiis adhibuerit Deus?

De *Oblatione* autem *Vini* perplexus sum in hodiernum usq; diem, *cur illud offerri voluerit?* nam Idololatræ quoque illud offerre solent. Alii præter me hanc reddunt rationem, quòd, sicuti præcipuum objectum facultatis Concupiscibilis, vel Appetitûs, cujus scatur go est in hepate, est *Caro*; sic facultatis Vitalis, cujus origo est in corde, esse *Vinum*: &, cujus vena est in cerebro, facultatis nempe Animalis objectum, *Musicam & suavem harmoniam Instrumentorum Musicorum*; & propterea offerre DEO unamquamque facultatem id, quod ei est acceptissimum, & ex Carne, Vino, & Musica sive Cantu, Oblationem constare.

Ratio institutionis Festorum.

Ratio & utilitas institutionis *Festorum* manifesta est, quia per cœtus & congregationes illas tùm Pietas & Devotio erga Legem ac-

cenditur, tùm Fraternitas & Societas inter Homines confirmatur.
Deut.4.10. Inprimis verò evidens est ratio præcepti de congregando Populo, in promulgatione Legis sc., ut nempe illam audiant.

Deut.12. Sic pretium Decimarum secundarũ, quod illûc (Hierosolymam)
† cap.39. vehendum erat, sicut † exposuimus: Planta item quarta & Decimæ Bestiarum, quæ itidem, tanquam decimæ, illûc portandæ erant, fuerunt ad multiplicandum ibi cibos, neque permissum erat illa vel vendere, vel ab uno tempore in aliud differre & rejicere, sed, sicut di-
Deut.14.22. cit DEUS, *singulis annis.*

Quòd verò Eleemosynarum in solennitatibus non sit obliviscen-
Deut.16.14. dum, id-ipsum quoq; DEUS monuit, dicens; *Et lataberis in Festis tuis tu, & filius tuus, & filia tua,* &c.

Et sic commemoravimus quoque rationes particularium hujus classis Præceptorum.

CAP. XLVII.

De caussis & rationibus Præceptorum classis duodecimæ.

Præcepta classis duodecimæ. PRÆCEPTA, quæ sub duodecimo genere comprehenduntur, sunt ea, quæ recensuimus in Libro טהרה h.e. *de Purificationibus.* Etiamsi autem jam aliquo modo in genere utilitatem illorum indicârim, tamen quædam nunc adjiciam, & quidem primò generalia, deinde specialia, quæ quidem mihi nota & perspecta sunt.

Dico itaque, quòd Lex hæc Divina, quæ Mosi data est, & ipsi attribuitur, nullâ aliâ de causâ venerit, quàm ut minuat cultus & labores circa res sacras: & si quid est, quod molestiâ & defatigationem aliquam habere videtur, id non aliunde provenire, quàm ex eo, quòd nos ignoramus ritus & consuetudines in illis temporibus usitatas.

Considera enim, quanta sit differentia inter illum, qui Filium proprium in honorem DEI sui, & illum, qui pullum columbæ in servitium & honorem DEI nostri comburit. Scriptum enim
Deut.12.31. est in Lege; *Nam etiam filios suos, & filias suas comburunt Diis suis.* Hic fuit cultus ipsorum (Gentium sc.), quem Diis suis exhibebant cui analogus est in Fide nostra Combustio pulli columbæ, aut pugilli similæ. Hoc sensu redarguit DEUS apud Prophetam Populum no-
Mich.6.3. strum, tempore rebellionis ipsorum; *Popule mi,* inquit, *quid feci tibi, &*
Jerem.2.30. *in quo laborare feci te? Loquere contra me.* Item; *Num solitudo fui Israeli? num Terra tenebrosa? Ut quid ergo dixerunt Populus meus, Dominamur, non*

addu-

adducemus ultrà ad te? Q. D. Qualénam præceptum molestum & laboriosum habuerunt in hac Lege, ita ut ab illa egressi sint? Sic inclamat nos alibi DEUS Opt. Max., *Quid invenerunt patres vestri perversitatis in me, quòd elongaverunt se à me?* &c. Omnium istorum Scripturæ locorum una eademq; est intentio. Et hæc præfatio magni est momenti, nunquamque ex animo tuo debet excidere. Jerem. 2.5.

Post illam dico, unicum scopum circa *Sanctuarium*, sicuti jam exposuimus, fuisse, ut *Devotio* & *Zelus* ingrediendi illud in Hominibus generetur; & ut illud *timeant ac revereantur*, sicut dicitur; *Sanctuarium meum timebitis.* Vilescit autem ac imminuitur omnium rerum, etiam præstantissimarum, amor & affectio, si quotidiè illam Homo ante oculos videat: de quo nos Sapientes nostri monuerunt, quando ajunt; *Bonum est ingredi in Sanctuarium omni tempore, quo libuerit.* Item; *Contine pedem tuum a domo amici tui.* Quia itaq; hic fuit scopus, hæc intentio, ideò præcepit DEUS, *ne polluti ingrediantur in Sanctuarium*; cùm tamen tot sint pollutionum genera, ut vix reperire liceat aliquem, qui mundus sit, vel certè paucissimos! Nam si quis liber sit à *contactu cadaveris*, vix tamen effugere poterit, ne *contactu alicujus ex immundis illis octo reptilibus*, quæ subinde in domos, cibos & potum incidunt, contaminetur, vel ambulando ea conculcet. Et si hoc quoq; effugiat, fortè nō evadet *à contactu mulieris menstruatæ, vel sanguinis profluvio laborantis, vel leprosi*, aut ad minimum *cubilis vel lecti ipsorum.* Ac licèt ab istis quoq; conservetur, non tamen evitabit forsitan *amplexum Uxoris suæ*, vel *casum & pollutionem nocturnam.* Quamvis autem mundus sit ab istis etiā pollutionibus, tamen non permissum est ei ingredi Sanctuarium, donec occubuit Sol ejus; neq; etiam noctu, postquàm Sol ipsius occubuit: sicut explicatum est in Tractatibus Talmudicis *Middoth & Thamid.* Illâ autē nocte quàm facilè fieri potest, ut vel cum Uxore sua se commisceat, vel nova aliqua immunditiei caussa ipsi contingat, ita ut manè in eadem pollutione surgat ut die præcedente. Hęc enim omnia caussantur, ut Homo à Sanctuario abesse cogatur, nec quovis tempore illud calcare & intrare possit. Præter hæc nôsti, quòd Rabbini nostri dicant; *Non debet Homo ingredi in atrium ad cultum faciendū, licèt mundus sit, nisi priùs laverit se.* Per istas autem actiones conservatur *Reverentia, Affectio, Devotio erga Sanctuarium*, per quam Homo incitatur ad *Humilitatem*, quæ præcipuè hic spectatur. Omnis verò *Immunditia* quantò est frequĕtior, tantò ejus purificatio est gravior & diuturnior. Ita, quia *conversatio & cōtrectatio mortuorum, inprimis propinquorum*, frequentior est omnibus reliquis pollutionibus, ideò non potest ejus

Sanctuarii finis.

Levit. 19.30.

Polluti cur non ingredi debuerint in Sanctuarium?

De Purificationibus.

Num. 19.

Purificatio fieri, nisi cinere Juvencæ, licèt difficulter haberi possit, & post septem demùm dies. *Fluxus, & Menstruum*, quia crebriora sunt & graviora, quàm contactus immundorum, ideò ii, qui illis laborant, septem dierum; & is, qui illos tangit, unius diei purificatione opus habet. Non perficitur autem fluxum patientis Viri, Mulieris, & Puerperæ purificatio, nisi oblatione, quia minùs raro contingit, quàm Menstruum. Atque ista omnia sunt quoque fœda & abominanda, profluvio inquam laborantes, mulier menstruata, leprosus, mortuus, morticinum, reptile, & coitus.

Levit. 15.

Ex illis verò consuetudinibus magnas & multas addiscimus utilitates: *primò*, Fugiendam esse omnem fœditatem, sorditiem & spurcitiem: *secundò*, Custodiendum esse Sanctuarium: *tertiò*, Ut oculos nostros intendamus in receptam tùm consuetudinem; nam labores magnos habuerunt Zabæi circa pollutiones, sicuti paullò pòst ex me audies: *quartò*, Quòd Hominem à laboribus & molestiis illis sublevent, ne ratio pollutionis vel purificationis in ordinariis suis negotiis ipsum impediant. Nam hoc præceptum de Munditie & Immunditie non dependet nisi à Sanctuario & ejus Sanctitatibus, sicut dicitur; *Nullam rem sanctam attinges, neque ad Sanctuarium appropinquabis:* alias verò res, quascunque ipsi libuerit, tractare citra peccatum potest, etsi in pollutione sua permaneat, & ex cibis communibus, prophanis, comedere potest, quicquid ipsi placuerit. Consueto autem & usitato more receptum erat apud Zabios in partibus Orientis, h.e. inter reliquias חמגורתי, (ut impressa editio, vel חמגוסי, ut Manuscriptum exemplar habet), ut Mulier menstruo laborans separatim sit in domo aliqua, ut loca, in quibus ambulavit, comburantur, &, quisquis cum ea loquutus fuerit, pro polluto habeatur; quin-imò, si ventus idem transeat super menstruatam & super mundum aliquem, ut pro polluto habeatur. Unde vides, quantum intersit inter istud, & inter id, quod nos docemus. Omnes etenim operas, quas uxor marito suo præstare solet, facere potest & menstruata suo marito, excepto coitu, quamdiù in pollutione sua permanet. Prætereà, ex Zabiorum consuetudinibus erat istud quoque, quòd omnia ea, quæ separantur à corpore, ut pili, ungues, sanguis, pro immundis habebantur. Unde tonsores omnes ipsis immundi erant, quia sanguinem & pilos tangunt. Quicunque novaculam super carnem suam transire sinebat, lavare se cogebatur in aqua fontana, clara, limpida. Et sic alias plures defatigationes & tædiosas consuetudines habebant.

Levit. 12. 4.

Zabiorum consuetudines circa pollutiones.

Nos

Nos verò Munditiem & Immunditiem non habemus nisi in rebus Sanctis & in Sanctuario. Quòd autē DEUS Opt.Max.ait, *Sanctificate vos,& estote sancti*, id non intellexit de externa munditie vel immunditie. Sic enim legimus in libro Siphre,(sc. ad hæc verba), *Hæc est sanctitas præcepti*. Ita ad id, quod alibi dicitur,*Sancti eritis*,scribunt; *Hæc est Sanctitas præcepti*. Hinc vocatur *Transgressio præcepti* etiā *Immunditia* sive *Pollutio*, & dicitur de principalibus ac fundamentalibus præceptis, de Idololatria,de Retectione Nuditatis,de Effusione Sanguinis. De Idololatria dicitur; *Quia de semine suo dedit Molocho, ut pollueret Sanctuarium meum,& prophanaret Nomen sanctum meum*. De Retectione Nuditatis; *Ne polluamini in omnibus his*. De Effusione Sanguinis; *Ne ergo polluatis Terram, in qua habitatis*. Homonymus itaq; hæc vox טוּמְאָה h.e. *Pollutio* de tribus dicitur: *primò*, de qualitatibus Hominis, ejusque tùm Theoricorum, tùm Practicorum præceptorum Transgressionibus,(h.e. eorum,quæ tùm Doctrinam, tùm Vitam ejus spectant): *secundò*, de sordibus & inquinamentis externis, sicut dicitur; *Immunditia ejus in aliis ejus: tertiò*,de istis rebus imaginariis, h.e. rei alicujus immundæ contactu vel gestatione super humeros: de qua ultima specie Rabbini nostri dixerunt; *Verba Legis non recipiunt pollutionem*. Et sic è contrario *Sanctitas* æquivocè quoque dicitur de tribus rebus istis oppositis. Quia verò Pollutio à contactu mortui contracta nō potuit elui, nisi post elapsos septem dies,& per cinerem Juvencę, ac Sacerdotes semper in Sanctuarium ingredi necesse habebant, ut ibi offerrent: idcircò *prohibitum fuit Sacerdotibus, mortuis se polluere*, nisi magnâ interveniente necessitate; cùm difficile sit per naturam, planè se cohibere ab accessu parentum, liberorum, vel fratrum in morte ipsorum. Et quia magna erat necessitas, ut Sacerdos magnus semper sit in Sanctuario, sicut dicitur; *Et erit super frontem ejus jugiter*: idcircò *injunctum ipsi fuit, ut nullis, ne quidem propinquis & amicis, mortuis se contaminet*. Nunquid enim vides,quòd in hac prohibitione *(Sacerdoti communi & Sacerdoti summo factâ)* non comprehendantur uxores filiorum Aharon, neque etiam filiæ Aharonis, propterea quòd Mulieribus non incumbat oblationes facere? Et quia fieri non potest, ut non quandoque aliquis ex Israële per errorem peccet, vel etiam per superbiam, Sanctuarium ingrediendo aut res Sanctas comedendo, prout impii Homines sæpè multas & magnas transgressiones per superbiam committunt; idcircò pręcepit DEUS *Oblationes offerre, quæ essent expiatoriæ pollutionis Sanctuarii & sanctorum instrumentorum ejus*, sive per errorem, sive per superbiam

Lev.11.43.

Trāsgressio Præceptorum vocatur Immunditiâ vel Pollutio.

Levit.20.3.

Levit.18.24.

Num.35.33.34.

Pollutio *dicitur æquivocè de tribus.*

Sacerdotes non ausi fuerūt mortuis se polluere sine magna necessitate.

Levit.21.

Summus sacerdos nunquam.

Exod.28.38.

Lev.21.10.11.12.

Levit.16.

factæ, secundùm diversas illarum species, quales (*Oblationes* sc.) fuerunt Hirci Festorum, Hirci Neomeniarum, & Hircus emissarius, sicuti in locis suis explicatum est: idque, ne fortè is, qui per superbiam peccavit, existimet, se exiguum & leve peccatum commisisse, Sanctuarium polluendo, nihilominùs tamen sciat, id sibi propter hircum illum remitti, sicut dicitur; *Ne moriantur propter immunditias suas.* Item; *Feretq; Abaron iniquitatem sanctificationum.* Et sic aliquoties ratio ista repetitur. *Pollutionem Lepræ* quod attinet, ejus rationem tùm nos jam reddidimus, tùm etiam Rabbini nostri p.m. Fundamentum rationis illorum hûc redit; quòd sit pœna pro Lingua mala, h.e. Detractione & Calumniâ; & quòd mutatio illa incipiat in parietibus domûs. Quòd si tùm pœnitentiam agat, iterum recedere; si verò in rebellione sua perstiterit, ulteriùs diffundi in ejus supellectilem domesticam; si nondum desistat, occupare vestes, ac deniq; etiam corpus. Atq; hæc demonstratio recepta erat in Gente nostra, sicut Aquæ Mulieris declinantis. Utilitas itaq; hujus fidei est manifesta, cum qua conjunctum est & hoc, quòd Lepra est adhærens, h.e. contagiosa, omnesq; Homines quasi per naturam illam abominentur, detestentur & fugiant. *Cur verò purificatio illius facta fuerit Ligno Cedrino, Hyssopo, Cocco Vermiculi & duobus Passeribus?* ejus rei ratio quidem indicata est in Medraschoth; sed non quadrat ad institutum nostrum, & mihi neq; in hodiernum diem ullius ex illis vera constat ratio: quemadmodum nec *Ligni Cedrini, Hyssopi, & Cocci Vermiculi in Vacca rufa*; *Fasciculi etiam Hyssopi, quo aspergebant Sanguinem Paschatis*, nullam invenio rationem, cui inniti possem.

[Margin: Levit.15.31. — Exod.28.38. — *De Pollutione Lepræ.* Lev.13.&14. — Levit.14.4. — Num.19.6. — Exod.12.22.]

Ratio autem, propter quam *Vacca rufa* vocatur *Chattath*, h.e. *Sacrificium pro peccato*, hæc est, quòd perficiat mundationem pollutionis ex mortuo contractæ, ut pollutus iterum possit ingredi in Sanctuarium & res sanctas comedere. Nam posteaquàm immundus factus est, in sempiternum nunquam auderet ampliùs in Sanctuarium ingredi, nisi esset ista Vacca rufa, quæ portat hoc peccatum, sicut *Lamina Pontificis*, quæ placationem faciebat pro immunditia, & sicut *Hirci, qui comburebantur.* Hac de caussa polluebat is, qui circa Vaccam illam occupabatur, vestimenta; sicut de Hirco emissario credebatur, quòd propter multitudinem iniquitatum, quas portat, contaminet tangentes illum.

[Margin: *Cur Vacca rufa vocetur Chattath?* Num.19.17. — Exod.28.36.37.38.]

Sic itaque & hujus classis Præceptorum caussas & rationes reddidimus.

CAP. XLIIX.

De caussis & rationibus Praeceptorum classis decimae-tertiae.

PRÆCEPTA, quæ comprehenduntur sub Classe decima-tertia, sunt ea, quæ enarravimus in *Halachoth maachaloth*, h.e. *de Cibis vetitis*, & in *Halachoth Schechita*, h.e. in Tractatu *de Ritibus Mactationis*, ac denique in Tractatibus *Nedarim* & *Nesiruth*, h.e. *de Votis & Nasireatu*.

Præcepta classis decimæ-tertiæ.

Licèt autem satis plenè & prolixè in genere egerimus de horum Præceptorum utilitate tùm in hoc Libro, tùm in Commentario nostro super librum *Avoth*; addemus tamen hîc explicationem quotundam particularium Præceptorum ibi enumeratorum.

Dico ergo, quòd omnes illi cibi, qui in Lege nostra nobis sunt prohibiti, alimentum habeant vitiosum, nec quicquam inter omnia illa vetita esse, de quo dubitari possit, an noxium sit nec'ne, nisi *Porcus* & *Adeps*.

Verùm nullus hîc dubitationi locus est. Nam *Porcus* nimis humidæ est naturæ. Potissima autem *caussa, propter quam Lex nobis prohibuit carnibus suillis vesci*, est fœda porcorum sordities, & quòd multas sordidasque res comedant. Nôsti enim, quàm anxiè Lex omnes sordes, omnemq; immunditiam prohibuerit, in agris quoq; & castris, ut nil dicam de ipsis urbibus. Quòd si autem permissum esset porcos comedere, plateæ & domus omnes longè sordidiores essent quàm sterquilinia & latrinæ, sicuti in Galliis hodiè videre licet. Scis etiam, quid vulgò Rabbini dicant, פי חזיר כצואת עוברת דמי.

De carne suilla. Levit. 11. 7.

Adeps Intestinorum nimis saturat, concoctionem impedit, sanguinemque frigidum & crassum generat; unde longè satius est, ut comburatur, quàm ut comedatur.

De Adipe Intestinorum. Levit. 3. 17. & 7. 24.

Sanguis & Morticinum difficilis sunt digestionis & pessimi nutrimenti.

De Sanguine & Morticino. Levit. 7. 26. & 17. 15.

Terepha sive *Discerptum* quod attinet, est nil aliud, quàm initium morticini.

De Discerpto. Lev. 17. 15. & 22. 8.

Signa illa Revocationis vel Ruminationis cibi & fissionis ungularum in Bestiis, pinnarumq; & squamarum in Piscibus, noveris illa non esse caussas, propter quas sint licitę & permissę; sicuti nec defectus illorum, caussas, cur prohibeantur: sed signa tantùm, unde nobilis & insignis aliqua species ab alia minùs præstantiore & noxiâ potest discerni.

De signis Ruminationis cibi; & fissionis Ungularum, &c. Levit. 11.

Cur

De nervo femoru. Cur *nervus femoris* sit prohibitus, ejus ratio habetur scripta.

Genes.32.32. *De Membro Animalis vivi.* Genes.9.4. *Membrum Animalis vivi*, h.e. ab Animali vivo abscissum, prohibitum fuit; quia id signum est crudelitatis, & quia tùm temporis Reges gentiles ita solebant facere, & quidem Idololatriæ caussâ. Accipiebant enim Animal, & abscindebant illi membrum aliquod, ac posteà comedebant illud.

Carnem cũ Lacte comedere cur non licuerit? *Carnem simul cum Lacte, vel in Lacte comedere*, præterquàm quòd est cibus sine dubio crassissimus, nimiamq; repletionem generat, ideò quoque prohibitum fuisse mihi videtur, quia aliquam videtur subolere Idololatriam; ac fortè Idololatræ in aliquo suo cultu Divino vel Festo ita facere solebant. In qua opinione non parùm me confirmat, quod videam Legem duabus vicibus ejus mentionem facere, Exod.23.19. & 34.26. post præmissum de tribus anniversariis solennitatibus præceptum, *Tribus vicibus conspicietur omnis masculus tuus*, &c. Quasi voluisset dicere; Quando in Festis vestris coram me comparetis, non coquetis cibum vestrum secundùm consuetudinem horum N.N. qui ita facere solebant. Hæc ratio magnum apud me pondus habet, licèt eam hactenus in libris Zabiorum nondum viderim.

De mactatione Animalium. *Mactationis Animalium* præceptum fuit necessarium, propterea quòd nutrimentum Hominum naturale constet ex plantis Terræ & carnibus Animalium. Illam autem carnem esse optimam, quæ nobis concessa est ad comedendum, nullus Medicorum ambigit. Posteaquàm ergo propter bonitatem nutrimenti & alimenti necessarium fuit Animalia occidere, selegit Lex mortem omnium levissimam, & *prohibuit, ne crudeli & difficili mactatione affligantur*; *ne item nares illis findantur*; *vel membrum aliquod abscindatur*, sicut explicuimus.

Levit.22.28. Similiter prohibuit *mactare jumentum & filium ejus uno eodemq; die*, ad præcavendum, ne filius occidatur coram matre; quia summum inde Animalia concipiunt dolorem, neque hac in parte differentia est inter dolorem Hominis & dolorem Animalium irrationalium. Amor enim matris erga infantem non sequitur intellectum, sed facultatem Hominis imaginatricem, quæ in plerisque Animalibus eodem modo reperitur sicut in Homine. Et hoc judicium peculiare & proprium fuit *Boum & Pecudum*, propterea quòd illorum solum Animalium comestio erat licita, ex Animalibus domesticis quæ edi solent, & in illis certò matrem à nato dignoscere possumus. Atque

De nido Aviũ. Deut.22.6.7. hæc eadem ratio est in præcepto *de Nidis avium*. Nam ova, quibus mater incubat, & pulli, qui matre suâ adhuc indigent, magnâ ex parte non sunt permissa ad comedendum; & cùm dimittitur mater, non

non affligitur conſpiciendo direptionem liberorum ſuorum. Sæpè itaque accidet, ut hoc cauſſa exiſtat omnia intacta relinquendi; quia id, quod licitum eſt accipere, ſæpiſsimè quoque non erit legitimum ad veſcendum. Quod ſi verò Lex curam voluit habere hac in parte Beſtiarum & Avium, ut à mœrore iſtiusmodi liberentur, quantò magis Hominum?

Noli autem mihi hîc objicere id, quod dicunt: *Super nidum avis pertingunt miſerationes tuæ*, &c. Nam iſtud dicitur ſecundùm illorum ſententiam, qui arbitrantur, Præcepta Legis nullam habere rationem, niſi ſolam Voluntatem & Beneplacitum DEI; nos verò alteram ſententiam ſequimur, *(quòd Præcepta Legis certas cauſſas & rationes habeant)*.

Cauſſam præcepti *de operiendo Sanguine* jam commemoravimus, &, quòd peculiare ac proprium fuerit Animalibus feris & Avibus mundis, indicavimus. *De operiendo Sanguine.* Lev. 17.13.

Quemadmodum verò Lex præcepta nobis dedit de prohibitione Ciborum; ſic quoque præcepta nobis dedit *de Votis licitis & illicitis.* Nam cùm quis dicit, *Hic Panis mihi eſt vetitus*; vel, *Hæc Caro mihi eſt vetita*; non licet ipſi eam comedere. Totum autem hoc in eum finem, ut hoc medio virtutem τῆς Αὐταρκείας vel Continentiæ acquirat, immoderatumque gulæ ſuæ appetitum refrænet. Hinc dicunt, נדרים סייג לפרישות *Vota ſunt ſepes ſeparationis* (h.e. ſeparatæ & ſanctę vitæ, vel abſtinentiæ). Et quandoquidem Mulieres proclives admodùm ſunt ad iram, propter affectuum ſuorum vehementiam, animique impotentiam, ſi juramenta in ipſarum eſſent facultate, maximæ hinc in œconomia ſæpè orirentur incommoditates, diſſenſiones, corruptiones, & confuſiones, dum hæc ciborum ſpecies licita eſſet marito, vetita uxori, hæc permiſſa filiæ, prohibita verò matri, &c. hac de cauſſa *datum hoc jus eſt Patrifamiliâs in omnibus, quæ emolumentum vel detrimentum afferre poſſunt.* Vides enim, quòd *illa, quæ eſt propriæ poteſtatis, neque maritum habet, eandem, quam Vir in votis faciendis poteſtatem habeat*, h.e. illa, quæ neque maritum, neque patrem habet, & pubertatis annos attigit. *De Votis licitis & illicitis.* Num. 30. Num. 30.10.

Ratio & cauſſa pręceptorum *de Naſireatu* eſt manifeſta, Abſtinentia videlicet à Vino, quod multis primis & ultimis exitium attulit, (h.e. *quod olim & hodiè multos Homines perdidit*), *& robuſti ſunt omnes occiſi ejus. Et iſti quoque in Vino errârunt*, (inquit Propheta). Naſireatus verò proprietas eſt, ut per prohibitionem ab omnibus ex vite confectis potibus Homo ad excellentiorem dignitatem promoveatur, & *De Naſireatu.* Numer. 6. Prov. 7.26. Jeſa. 28.7.

rebus necessariis contentus esse discat. Nam qui ab eo abstinet, vocatur *Sanctus*, & collocatur in gradu Sacerdotis magni, quoad Sanctitatem, dum non ausus fuit se polluere patre aut matre suâ defunctis. Hæc etenim dignitas ipsi à solâ à Vino abstinentiâ provenit.

Cap. XLIX.

De caussis & rationibus Præceptorum classis decimæ-quartæ.

Præcepta classis decimæ-quartæ.

PRÆCEPTA, quæ sub decima-quarta classe comprehenduntur, sunt ea, quæ recensuimus in Tractatu *Naschin* h.e. *de Mulieribus*, & in Tractatu *de prohibitis Congreßibus & Incestu*. Sed & præceptum *Circumcisionis* ad hanc classem referendum.

Generalem verò & horum Præceptorum scopum & intentionem in præcedentibus jam indicavimus. Nunc itaque ad specialia quoque illorum descendemus.

Amicis Homo semper indiget.

Dico ergo, in confesso esse apud omnes, Hominem per totam suam vitam Amicis indigere; id quod Aristoteles etiam *in lib.9.Ethic.* testatus est. In rebus enim secundis & prosperis conversatio & commercium illorum ipsi est jucundum, in adversis necessarium, in senectute denique utilissimum.

Iste autem amor vel ista amicitia maximè reperitur inter Liberos & inter Consanguineos, neque perficitur Amor, Fraternitas & Benevolentia mutua, nisi in Familiis & Affinitatibus; ita ut, cùm Familiam unam conjungit idem Avus vel Proavus, mutuam quoq; inter illos cernere liceat Amicitiam, Benevolentiam, Amorem: id quod unum est ex Principalibus Legis Intentionibus.

Cur Scorta sint prohibita? Lev.19.29. Deut.23.17.

Hac de caussa prohibita sunt *Scorta*, quia per illorum licentiam Familiæ destruuntur & confunduntur, natiq; illorum pro alienis habentur omnibus Hominibus, ita ut nullos ipsimet sibi cognatos sciant, neque ex propinquis eorum ullus ipsos velit agnoscere. Quid verò pejus tùm ipsis, cùm parentibus illorum posset accidere?

Magnâ autem ex parte ob hanc quoque rationem Scorta publica sunt prohibita, ut hoc pacto Libido & Lascivia cohibeatur. Nam per varietatem prostibulorum illorum non parùm augetur libido Hominis. Nunquam etenim tàm vehementer accenditur Homo erga corpus illud, cui est assuetus, sicut accenditur erga corpora nova, formis & proprietatibus discrepantia.

Præthereà, ex hac Scortorum prohibitione & ista redit utilitas, quod

quòd ita multæ rixæ & contentiones tollantur. Nam si Scorta essent permissa, sæpè uno & eodem tempore ad eandem Mulierem plures Viri fortè convenirent, inter quos necessariò dissensiones, pugnæ, & per consequens etiam non rarò homicidia orirentur, ut vel illi se invicem, vel ipsam meretricem occiderent; sicuti ex perpetua experientia notum est. Hinc dicit Scriptura; *In domo meretricis* יִתְגּוֹדָדוּ h.e. *turmatim convenerunt*. Ad impediendum itaque ista mala, & econtrà ut hoc bonum promoveatur, distinctio sc. Familiarum, prohibitæ sunt meretrices & meritorii vel cynœdi, nec ullus concubitus permissus est, nisi cum propria Uxore, quæ publicè in matrimonium ducitur. Nam si sufficeret privatim illud facere, multi reperirentur, qui meretricem in ædes suas ad tempus aliquod, de quo inter se convenerunt, introducerent, ac dicerent, Uxor mea est. Propreteà *constitutum est*, ut, postquàm Homo privatim per sponsalia sibi aliquam despondavit, *Nuptiæ posteà publicè celebrentur*, sicut dicitur de Boas; *Et accepit Boas decem Viros*, &c. Jerem. 5.7. *Cur uxores publicâ nuptiarû solennitate sint ducendæ?* Ruth. 4.2.

Quandoquidem verò nonnunquam accidit, ut nequeant in pace & concordia unà vivere, & familiam, sicuti oportet, administrare, idcircò permissum est Marito *Uxorem suam ejicere & repudiare*. Hoc autem si vel verbis nudis fieret, aut simplici ejus è domo eductione, quævis Mulier exire posset è domo, & dicere, se repudiatam esse, & cùm scortaretur, ipsa & adulter dicerent, quòd sit repudiata. Itaque præceptum nobis est, *ut nonnisi cum libello repudii dimittatur Uxor*, in quo hujus rei testimonium ipsi perhibeatur, sicut dicitur; *Et scribet ei libellum repudii*. Et quia suspicio scortationis & dubitationes ejus de Uxore incidunt plurimæ, *idcircò datum est nobis præceptum de judiciis Mulieris declinantis*, (h.e. quæ suspicionem adulterii Marito suo præbet). Istud enim permovet omnem Mulierem Viro junctam, ut exactissimè sibi caveat, ne cor Mariti sui ægritudine afficiat, propter metum *Aquarum Mulieris declinantis*. Nam etiam innocentes Mulieres pleræque, & quæ benè sibi sunt consciæ, omnibus suis facultatibus actionem illam ignominiosam redimerent, quin-imò mortem jucundiorem haberent, quàm publicam illam ignominiam, quâ *caput Mulieris discooperiebatur, capilli detondebantur, vestimenta usque ad pectus dilacerabantur, atque ita ligata in Sanctuario in conspectu omnium Virorum & Mulierum, totiusq; Synedrii magni sistebatur*. Ob hujus ergo rei timorem magni & exitiales morbi ordinem domesticum destruentes impediti fuerunt. *Cur licitum sit Uxorem repudiare?* Deut. 24.1. *Libellus repudii.* *De muliere marito suspecta de adulterio.* Num. 5.12. *De aquis, quibus probabatur mulier declinâs.*

Quia autem Virgines nubere possunt unicuique indifferenter, id- *De eo, qui Virginem violavit.*

Exod.22.16.17. circò ad nullam aliam pœnam condemnatus fuit, *qui blandimentis Virginem seduxit, quam ut ducat eam.* Nam hic sine dubio aptissimus ipsi erit, & longè meliùs fractionem (h.e. *violationem*) ejus poterit & sanare,& perferre,quàm si duceret eam alius. Quòd si verò vel puella vel parentes ejus non delectentur eo, *tenetur ipsi dare dotem.* Illius autem, *qui per vim aliquam oppressit*, graviorem pœnam constituit,
Deut.22.29. nempe, *ut non possit eam dimittere omnibus diebus vitæ suæ.*

De jure Leviratus. Deut.25.5. Ratio *juris Leviratus* scripta est. Nam fuit consuetudo antiqua,quæ viguit ante datam Legem. Lex verò eam retinuit,& præcepit insuper *Exutionem calcei* &c. eò quòd illæ actiones tùm temporis turpes & ignominiosæ habebantur,atq; ita fortassis levir ignominiæ istius evitandæ caussâ commoveatur leviri officium erga illam præstare. Sic enim scribitur in Lege; *Sic fiet Viro illi*, &c. Item; *Et vocabitur Nomen ejus in Israele*,&c. Ex facto autem Judæ præstantissimam de moribus *Virtutem* & justam in actionibus *Aequitatem* observandam
Gen.38.23. possumus addiscere. Dicit; *Accipiat sibi, ne forte simus in contemptum, ecce misi hœdum hunc*: quorum verborum declaratio est; quòd coitus cum scorto ante datam Legem fuerit, sicut coitus Hominis cum Uxore sua; h.e. quòd fuerit opus licitum, neque illud Homo ullo pacto fugerit: & quòd merces, quæ Meretrici dabatur, fuerit sicut dos, quæ hodiè datur Uxori, cùm dimittitur, ad cujus solutionem Vir est obligatus. Quod autem ait, *Accipiat sibi, ne fortè simus in contemptum*, docet nos, de actionibus vel negotiis copulationis carnalis, etiam licitæ, non posse nos loqui sine pudore: & conveniens esse, ut illam etiam cum facultatum nostrarum jactura reticeamus & occultemus, sicut Judam hic fecisse videmus, dum ait; Melius est, ut nos amittamus,& ipsa sibi servet,quod à nobis habet, quàm ut nos, illud requirendo, negotium divulgemus, atq; ita pudorem augeamus. Hæc est *Virtus* moralis,quam ex historia illa addiscere possumus. Sed *Aequitas* vel *Justitia*, quæ inde addiscenda nobis est,conspicitur in eo, quòd ad innocentiam suam à violentiæ suspicione vindicãdam,& quòd nihil de eo, quod cum ipsa pactus est, mutârit vel demerit, ostendendum, ait: *Ecce, misi hœdum istum.* Nam nullum est dubium,quin hœdus ille ex specie sua fuerit optimus,qua de caussa ait: *Istum*; *Hœdum istum.*

De Æquitate & Justitiâ. Et hæc est Æquitas vel Justitia, quam hæreditario quasi jure accepimus ab Abrahamo,Isaaco & Jacobo,quâ Homo in verbis suis non est inconstans, pacta non mutat, & suum unicuiq; tribuit: quâ item nulla est differentia inter facultates proximi nostri, quas in potestate nostra habemus, sive ratione mutui, sive ratione depositi, sive ratio-

ratione conductionis pro mercede: quâ denique eadem est ratio dotis Mulierum, quæ mercedis mercenariorum: nihilq́ue interest, sive quis injustè detineat mercedem operarii, sive dotem ratam Uxoris suæ; sive quis opprimat aut occasiones quærat mercenarium mercede suâ defraudandi, sive ita agat cum Uxore sua, ut eam dote suâ exuat. Exemplum illustre summæ istius æquitatis & justitiæ in Statutis & Judiciis illis justis videre est *in sententia, quæ lata est contra eum, qui diffamare studet Uxorem suam*. Certum enim est, illum Virum non amare Uxorem suam, qui infamiâ illam notat, neque gratiam habere in oculis ejus. Quòd si autem vellet illam repudiare secundùm Leges repudii, nemo ipsum prohiberet, sed teneretur ipsi dare suum ratum. Ut verò liber sit, nec quicquam illi cogatur dare, quærit occasiones verborum contra illam, quò ipse retineat, quod aliàs illi dare teneretur, quinquaginta videlicet siclos, quia hæc est dos Virginum definita in Lege DEI. Hac de caussa decrevit DEUS Opt. Max., *ut duplum persolvat, centum nempe siclos*, secundùm fundamentum illud Legis: *Is, quem condemnaverint Judices, reddet duplum proximo suo*; secundùm judicium item Testium falsorum, sicuti explicuimus. Qui diffamat Uxorem suam, in animo habet ipsi quinquaginta siclos auferre, quos debebat illi dare: pro iis condemnatur ad centum, in pœnam ejus, quòd detinuerit injustè id, quod de jure ei conveniebat ac debebatur. Præterea autem operam debebant (Judices) dare, *ut prehendant eum*, & in ejus pœnam, quòd famam & honorem ejus *(Uxoris sc.)* diminuerit, scortationis rumorem de ipsa ebuccinando, *ipsius quoque authoritatem ac dignitatem elevent, loro bovino ipsum flagellando*, sicut dicitur; *Et flagellabunt eum*. In pœnam denique illius, quòd libidini suæ nimiùm indulsit, ac nil nisi voluptatem quæsivit, *tenebatur perpetuò eam retinere, nec unquam omnibus diebus vitæ suæ illam dimittere potuit*; quoniam nihil aliud ipsum hûc induxit, quàm quòd deformis videbatur in ipsius oculis. Hoc pacto curantur qualitates istæ pravæ, quando Medicus ipsorum est Præceptum Divinum, nec termini manifesti juris & æquitatis ullo modo excedunturaut removentur, si res probè consideretur. Observa enim, quâ ratione æquale fecerit judicium diffamantis Uxorem suam, eo fine, ut detineat & ad se trahat id, quod Uxori suę deberet dare; judicium furis res proximi sui injusto titulo accipientis: & deniq; judicium falsorum Testium, qui damnum inferre cogitârunt, licèt re ipsâ non fecerint: horum inquam trium judicium idem fecit Lex Divina. Admirare igitur sapientissimam ordinationem in judiciis DEI Opt.

De eo, qui diffamare studet Uxorem suam. Deut.22.13.

Ibid.v.19.

Exod.22.9.

*s.c.*41.

Deut.22.18.

Ibid.v.19.

Max., ficuti illam admiraris in ipfius operibus! Sic ait Scriptura;
Deut. 32. 4. *DEI perfectum eft opus*: Q. D. Quemadmodum opera ejus funt perfectifsima, fic judicia ejus funt juftifsima: fed animi noftri angufti nimis funt, ad operum ipfius perfectionem & judiciorum æquitatem capiendam. Sicuti autem ex parte mirabilia operum ipfius apprehendimus in membris Animalium, & motibus Sphærarum cœleftium; ita quædam etiam tantùm judicia ipfius apprehendimus. At verò quæ in illis utrisque ignoramus, longè plura funt, quàm quæ fcimus. Sed revertor ad noftrum propofitum.

Omnis itaque generis concubituum illicitorum prohibitio facta eft, ut libido Hominis diminuatur, Veneris caftra fugiantur, nec nifi moderatè & parcè illâ utamur.

Cur Lex prohibuerit cum Mafculo & Beftia commifceri? Lev. 20. 13. 15. & 18. 22. 23.

Cum Mafculo verò & Beftiâ commifceri cur Lege vetitum fit, evidens eft. Nam fi actio illa naturaliter & legitimè non debet fieri nifi ad necefsitatem, quantò minùs permitti poteft actio illa, quæ eft contra naturam, ubi fœda tantùm voluptas refpicitur, & deteftabilis ac infatiabilis libido?

De congreffibus illicitis cum fœminis, propinquis fc. carne. Levit. 18.

Congreffuum illicitorum cum fœminis una ferè eft ratio, hæc videlicet; quòd propemodùm fingulæ utplurimùm in eadem domo commorentur cum Viro illo, cui funt prohibitæ, promptæ fint ad voluntati ejus obtemperandum, facilè & fine labore ab ipfo pofsint haberi, ac denique judex non pofsit illos feparare, etiamfi unà inveniantur. Quòd fi autem judicium ipfarum effet idem quod aliarum Viro folutarum & liberarum, ut nempe in matrimonium duci poffent, nec fub pœna aliqua hoc prohibitum effet, major pars Hominum indefinenter in fcortationibus viverent. Quia autem omnibus modis illarum congreffus eft prohibitus, & quidem fub gravifsima comminatione Mortis Domûs Judicii & Excifionis, neque ulla permifsio ac licentia hîc fperanda eft, hinc novit unusquisque, fe intentionem & cogitationem fuam ad iftiusmodi res non debere dirigere. Quòd verò ejusmodi inceftus facillimè committi & perpetrari poffet, ut antè diximus, id manifeftum eft. Vir enim, qui Uxorem habet, ferè femper apud fe habet ejus matrem, aviam, filiam, neptem, aut fororem, fubindeque in illas incidit, quando exit, ingreditur, & negotia fua expedit. Sic Uxor frequentifsimè converfatur cum Mariti fui fratribus, cum ejus patre & filio. Ita quòd creberrimè verfetur Homo inter fuas forores, amitas & uxorem avunculi, utpote cum quibus vel inter quos educatur, luce meridianâ eft clarius. Et hi funt omnes *Concubitus propinquorum carnis.* Hæc itaque una cauf-

fa

ta est, propter quam *conjunctio cum propinquis carnis* est prohibita.

Altera caussa meo judicio est, ut Pudor & Verecundia nobis commendetur. Nam quia impudentiæ summæ est opus istud inter *Radicem & Ramum*, (h.e. in Uxorem ducere Matrem aut Filiam); idcircò *prohibitum est matrimonium inter Radicem & Ramum.* Neque est differentia, sive Radix Ramum, aut Ramus Radicem ducat, sive Radix & Ramus in corporis tertii connubio conveniant, ut nempe aliquis corpus suum Radici & Ramo detegat. Ideò enim prohibitum est ducere *Mulierem & Filiam ejus*, item *Uxorem Patris* & *Uxorem Filii*; quia ista sunt Retectio nuditatis corporis unius nuditati Radicis & Rami. Fratres se habent ut Radix & Ramus: hinc quia prohibita est *Soror*, prohibita etiam est *Soror Uxoris*, & *Uxor Fratris*; quoniam hæc est duorum Individuorum, quæ sunt sicut Radix & Ramus in conjunctione corporis tertii.

Præthereà, cùm conjunctio Fratrum sit prohibita, & censeantur tanquam Radix & Ramus, quin-imò sicut unum corpus; idcircò prohibuit etiam in Uxorem ducere *Sororem Matris*, quæ loco Matris est; *Sororem* item *Patris*, quæ Patris loco est. Quemadmodum autem non prohibita est *Filia Fratris Patris*, *neq; Filia Sororis Patris*; sic eâdem ratione non prohibita est *Filia Fratris*, *neq; Filia Sororis*. Verùm quòd *Frater Patris* permissus sit *Uxori Filii Fratris sui*; & quòd *Filius Fratris* prohibitus sit *Uxori Fratris Patris sui*; id factum est propter primam rationem, quam dedimus: quia *Filius Fratris* utplurimùm in domo *Fratris Patris sui* esse solet, & familiaritas vel conversatio cum *Uxore Fratris Patris sui* æqualis ipsi est, quæ cum *Uxore Fratris sui*: *Frater* autem *Patris* non ita frequenter existit in domo *Filii Fratris sui*, neque tanta familiaritas est *Fratri Patris* cum Uxore *Filii Fratris sui*. An'non enim vides, quia *Pater* æquè familiaris est cum *Uxore Filii sui*, ac *Filius* cum *Uxore ejus*, quòd æqualiter & sub eadem mortis pœnâ ambo sint prohibita?

Cur verò vetitum sit accedere *Mulierem menstruatam*, & *alterius Viri Uxorem?* ejus rei ratio manifesta, neque necesse est sollicitè eam investigare. Nôsti enim, prohibitum esse nobis ullo modo voluptatem ex nuditate corporis capere, etiam per aspectum, si voluptatis caussâ fiat, sicut in *Halachoth Issure biah* exposuimus; ubi simul & hoc indicavimus, quòd in Lege nostrâ, ne quidem in mente ejusmodi actum cogitare, aut membra ad libidinem excitare, permissum sit; & quod Homo, cui præter suam intentionem id accidit, cogitationes suas

Cur Mulier menstruata sit prohibita, & alterius Viri Uxor?

Levit. 18. 19.

suas ad alia, de quibus mediterur, debeat convertere, donec iterum recedat. Hinc dicunt Sapientes nostri; *Fili mi, si occurrat tibi* Menuvval h.e. *impurus ille, trahe illum ad Scholam; si ferrum fuerit, liquefiet;*
Jer. 23.29. *si silex, comminuetur: sicut dicitur; Nónne sic est Verbum meum, dicit* DOMINUS, *tanquam ignis, & veluti malleus, qui conterit petram?* His verbis dicit quidam filio suo per modum correptionis; Cùm ad libidinem incitatis, ac dolorem sentis, ito in Scholam, ibi legas, discas, quæras, dispures, & recedet à te iterum dolor ille sine dubio. Admirare, quod dicat *Menuvval* h.e. *Impurus ille*; nam in rei veritate maxima hæc est impuritas & turpitudo. Neq; solùm ex parte Legis data est nobis ista paranesis; verùm etiam apud Philosophos repetitur. Nam alibi jam indicavi tibi, quid Aristoteles in hunc sensum scripserit, quando ait; *Iste sensus, qui opprobrio nobis est*: vult dicere, *Sensus Tactûs*, qui incitat ad Bacchum, Cererem, & Venerem. Præterea, vocat in libris suis eos, qui Gulæ ac Libidini dediti sunt, *Homines leves*, & multis ac prolixis verbis turpitudinem illorum nobis describit. Inveniuntur ista in libris ipsius *Ethicorum* & *Rhetorices*. Secundùm excellentem & præstantissimam hanc, omnibus meritò sectandam, Virtutem præceperunt quoq; nobis Sapientes nostri, ne intueamur Jumenta & Volucres eo momento & tempore, quo carnaliter commiscentur. Hæc ipsa mihi ratio subesse videtur in eo, quòd DEUS
Levit. 19.19. prohibuit *diversarum specierum Animalia inter se commiscere*. Certum enim est, non appetere facilè Individuum speciei unius coire cum Individuo speciei alterius, nisi manibus illi fuerit superimpositum; sicuti vides levissimos illos Homines facere, qui generationem Mulorum adjuvant & promovent. Lex verò nostra noluit, ut Vir aliquis ex Israële dignitatem & excellentiam suam ad opus istiusmodi deprimat, quia magna inest ei levitas & inverecundia, & quia versatur circa tales res, quæ Lex nostra non vult nominari, multò minùs committi & perficere, nisi tempore necessitatis. At nulla necessitas cogit, ista (*Animalia heterogenea*) copulare. Quin-imò nullam aliam ob caussam prohibita mihi videtur esse Lege Divinâ *diversarum specierum Animalium in quocunq; opere conjunctio*, quàm ut hac ratione im-
Deut. 22.11. pediatur, quò minùs sese commisceant: ut e.g. quando dicitur; *Non arabis bove & asino simul.* Nam si ita conjungerentur, facillimè posset contingere, ut quandoque unum cum altero commisceretur. Probatio autem hujus rei est hæc quòd hoc judicium præter Bovem & Asinum quaslibet duas species comprehendat. Sed loquuta est Scriptura de præsenti, (h.e. *sed Scriptura illarum duarum in specie meminit,*

minit, eò quòd illarum in quotidianis negotiis major sit usus, quòd sint frequentiores).

Porrò, *Circumcisio* etiam, meo judicio, propter hanc rationem instituta est, ut libido Hominum diminuatur, & membrum hoc, quantum fieri potest, ad actum istum debilitetur. *De Circumcisione.*

Quidam existimârunt, Circumcisionem istam esse perfectionem defectûs nativitatis; prout quilibet contradicendi avidus facillimè materiam invenire potest.

Dicendum autem illis, quâ ratione res naturales ita imperfectæ esse possint, ut exteriùs perfici opus habeant? præter id, quod afferri potest de utilitate, quam pellicula illa membro isti adfert. Præceptũ itaque istud non est datum ad supplendum defectum Creationis, sed ad corrigendum defectum Morum. Damnum enim illud, quod membro isti infertur, est illud ipsum, quod intẽditur, quo nulla actio corrumpitur, in quo essentia Viri consistit; neque etiam facultas generandi adimitur, sed superfluus tantùm appetitus coëundi diminuitur. Quòd autem Circumcisio virtutem intensivam membri illius voluptatemque debilitet, id extra omnem dubitationem est. Nam cùm membrum illud statim in ipsa nativitate sanguinem suum effundit, tegumentumque amittit, sine omni dubio exinde debilitatur. Hinc dixerunt Sapientes nostri; Mulierem cum Viro incircumciso matrimonio junctam difficulter ab ipso posse abstrahi. Atque hæc est principalis ratio, meo quidem judicio, in Circumcisione. Quis autem alius opus hoc incepit, quàm Abraham pater noster? de quo notum est, quantoperè peccatum pertimuerit, (h.e. *quàm pius, sanctus & castus fuerit*), sicuti Sapientes nostri commemorârũt super illud, quod ait; *Ecce, nunc novi, quòd Mulier pulchra aspectu sis?* (Ex hoc enim colligunt, Abrahamum tùm primùm cognovisse Uxorem suam). Genes. 12. 11.

Sed est adhuc alia quoque ratio valdè necessaria in Circumcisione, ut videlicet illi, qui hujus sunt fidei, (h.e. *qui credunt Unitatem*), habeant unum quoddam signum, quod illos conjungat, & ne quis alius, qui non est ex illis, dicere possit, se ex illis esse. Nam solet quandoque Homo id vel propter suum commodum, vel in aliorum contumeliam & detrimentum facere. Sed hæc actio, Circumcisionis nempe, ita comparata est, ut nemo vel sibi, vel liberis suis, nisi propter Fidem & Relligionem, eam sit facturus. Nam non est levis aliqua cruris læsio, vel brachii adustio, sed res durissima & difficillima.

Insuper constat, quàm intensè mutuò sese ament & adjuvent

ejusmodi Homines, qui commune aliquod signum habent, quod fœderis formam habet. Sic verò Circumcisio fœdus est, quod pepigit Abraham pater noster super fide Unitatis DEI; & omnes, qui circumciduntur, ingrediuntur in fœdus Abrahami, credendo Unitatem, sicut dicit DEUS; *Ero tibi in DEUM, & semini tuo post te.* Atque hæc ratio æquè firma & valida est ac prior, & fortassis adhuc solidior.

Genes.17.7.

Cur in Infantia Circumcisio peragi debuerit.

Quòd verò non fieri potest Circumcisio nisi in Infantia, ejus rei ratio triplex est: primò enim, si exspectaretur donec infans adolesceret, tùm fortè non ampliùs faceret: *secundò*, quia non tàm magnum sentit dolorem sicut adultus, tùm propter cutis suæ teneritatem, tùm propter imaginationis debilitatem; nam adultus timet & horret rem aliquam, quam futuram cogitat, antequàm adsit: *tertiò*, quia parentes admodùm exiguam adhuc habent rationem infantis recenter nati; quoniam tùm nondum tàm fortis est forma imaginatrix, quæ amorem in parentibus erga liberos caussatur; illa enim forma imaginatrix subinde per aspectum augmentum capit, & cum infante accrescit, posteà tamen iterum incipit diminui & decrescere, *(cùm nempe fit adultior & ad annos pubertatis ac ulteriùs pervenit).* Etenim nequaquam est tàm vehemens amor Patris ac Matris erga Filium cùm in lucem editur, sicuti est cùm anni unius esse incipit; neque tantoperè amat infantem anni unius, sicut filium sex annorum. Quòd si itaque ad biennium vel triennium Circumcisio differretur, sæpissimè fieret ut planè intermitteretur, propter tenerum parentum erga liberos affectum & amorem; sed circa ipsam nativitatem forma illa imaginatrix adhuc est valdè debilis, præsertim apud Patrem, cui præceptum hoc est datum.

Cur octavo die fieri debebat Circumcisio?

Quòd octavo die fieri jubetur Circumcisio, ideò factum est, quia omnia Animalia, quando recenter in lucem sunt edita, propter summam humiditatem nimis sunt debilia, & ferè non aliter, quàm si adhuc in utero Matris essent, idque usque ad finem septem dierum, post quos demùm incipiunt numerari inter *videntes Aërem hujus Mundi.* An non vides idem in Bestiis quoque observari, sicut dicitur; *Septem dies erit cum Matre sua*; quasi ante illos septem dies esset abortivum. Sic itaq; & Homo circumciditur demùm post completos septem dies. Res hæc plana est & definita, idcircò ne des locum aliis conjecturis.

Exod.22.30.

Membra generationi non sunt corrumpenda.

Porrò, ex iis, quæ sub hac parte comprehenduntur, est & hoc, *ne membra generationi inservientia corrumpantur ullo modo vel ullâ in parte in Animantibus,* prout nempe in omnibus justa sunt ista Statuta & Judicia,

Levit.22.24.

dicia, h.e. ut omnia fiant secundùm æquitatem. Non multiplicabit Homo coitum, sicut diximus, neque etiam omninò eum tollet, cùm dictum sit; *Crescite & multiplicamini.* Sic debilitatur quidem istud membrum aliquo modo in Circumcisione, sed non prorsus abscinditur, verùm remanet in sua constitutione naturali, & cavetur, ne aliquid addatur. Genes.1.22.

Ne is, qui contusione fractos aut abscissos habet testiculos, ducat Israëlitidem, prohibitum est: propterea quòd tale conjugium sit inutile & inane; & quòd nuptiæ tales offendiculo sint tùm ipsi (Virgini), tùm illis, qui requirunt eam, prout manifestum est. *De Spadonibus & Eunuchis.* Deut.23.1.

Ne Spurius ducat filiam Israëliticam, vitandę scortationis caussâ prohibuit; ut ita adulteri videant, se totam suam familiam irreparabili labe affecturos, si actum ejusmodi infamem perpetrent. Et sanè propter contemptum Spuriorum in omni lingua & natione semper in honore habitum fuit semen Israëlis; eò quòd se nunquam cum illis commiscuerint. *De Spuriis.* Deut.23.

Propter honorem verò & dignitatem *Sacerdotum* factum est, quòd illis (*Sacerdotibus*) *Scorta, Repudiatas* & *Prophanatas* ducere non licuerit: *Sacerdoti* autem *magno*, qui præcipuus & summus erat Sacerdos, *Vidua* quoque, & quæ jam maritum experta est, fuit prohibita. Horum omnium rationes sunt manifestæ. *Quænam Sacerdotibus & summo Sacerdoti in Uxores fuerint prohibita.* Levit.21.7. v.14.

Quòd si autem prohibitum fuit Spurios in congregationem DOMINI admittere, quantò magìs *Servos* & *Ancillas*?

Cur vetita fuerit *Affinitas Gentium*, ejus rei ratio in Scriptura ipsa consignata est, cùm dicitur; *Et ne capias de filiabus ejus filiis tuis, & fornicentur filiæ ejus post Deos ipsarum*, &c. *De Affinitate cum Gentibus non contrahenda.* Exod.34.16. Deut.7.3.

Ea omnia ex ingenti ista Statutorum multitudine, quorum ratio nobis est occulta, nullum alium in finem data sunt, quàm ut nos ab Idololatria elongarent. Particularia quædam quod attinet, quorum caussæ nobis sunt absconditæ, & mihi utilitas illorum ignota, id inde provenit, quòd res auditæ non ita se habeant, sicuti res oculis visę & perceptæ. Hac de caussa non sunt ea ita solida, quæ ego per auditum de ritibus Zabiorum ex libris ipsorum scio & addidici, sicut sunt apud illos, qui ipsimet opera illorum viderunt, inprimis cùm illæ opiniones & sectæ mille ab-hinc annis interierint, & nomina illarum deleta sint. Quòd si verò circumstantialiter omnia & singula ipsorum opera sciremus & audiremus, sine dubio meliùs quoque nobis constarent rationes & modi sapientiæ in particularibus actibus Oblationum, Pollutionum, & aliorum, quorum rationē jam ignoro.

ejusmodi Homines, qui commune aliquod signum habent, quod fœderis formam habet. Sic verò Circumcisio fœdus est, quod pepigit Abraham pater noster super fide Unitatis DEI; & omnes, qui circumciduntur, ingrediuntur in fœdus Abrahami, credendo Unitatem, sicut dicit DEUS; *Ero tibi in DEUM, & semini tuo post te.* Atque hæc ratio æquè firma & valida est ac prior, & fortassis adhuc solidior.

Genes. 17.7.

Cur in Infantia Circumcisio peragi debuerit?

Quod verò non fieri potest Circumcisio nisi in Infantia, ejus rei ratio triplex est: primò enim, si exspectaretur donec infans adolesceret, tùm fortè non amplius faceret: *secundò*, quia non tàm magnum sentit dolorem sicut adultus, tùm propter cutis suæ teneritatem, tùm propter imaginationis debilitatem; nam adultus timet & horret rem aliquam, quam futuram cogitat, antequàm adsit: *tertiò*, quia parentes admodùm exiguam adhuc habent rationem infantis recenter nati; quoniam tùm nondum tàm fortis est forma imaginatrix, quæ amorem in parentibus erga liberos caussatur; illa enim forma imaginatrix subinde per aspectum augmentum capit, & cum infante accrescit, posteà tamen iterum incipit diminui & decrescere, *(cùm nempe fit adultior & ad annos pubertatis ac ulteriùs pervenit)*. Etenim nequaquam est tàm vehemens amor Patris ac Matris erga Filium cùm in lucem editur, sicuti est cùm anni unius esse incipit; neque tantoperè amat infantem anni unius, sicut filium sex annorum. Quòd si itaque ad biennium vel triennium Circumcisio differretur, sæpissimè fieret ut planè intermitteretur, propter tenerum parentum erga liberos affectum & amorem; sed circa ipsam nativitatem forma illa imaginatrix adhuc est valdè debilis, præsertim apud Patrem, cui præceptum hoc est datum.

Cur octavo die fieri debebat Circumcisio?

Quòd octavo die fieri jubetur Circumcisio, ideò factum est, quia omnia Animalia, quando recenter in lucem sunt edita, propter summam humiditatem nimis sunt debilia, & ferè non aliter, quàm si adhuc in utero Matris essent, idque usque ad finem septem dierum, post quos demùm incipiunt numerari inter *videntes Aerem hujus Mundi*. An non vides idem in Bestiis quoque observari, sicut dicitur; *Septem dies erit cum Matre sua*; quasi ante illos septem dies esset abortivum. Sic itaq; & Homo circumciditur demùm post completos septem dies. Res hæc plana est & definita, idcircò ne des locum aliis conjecturis.

Exod. 22.30.

Membra generationi non sunt corrumpenda.

Levit. 22.24.

Porrò, ex iis, quæ sub hac parte comprehenduntur, est & hoc, *ne membra generationi inservientia corrumpantur ullo modo vel ullâ in parte in Animantibus*, prout nempe in omnibus justa sunt ista Statuta & Judicia,

dicia, h.e. ut omnia fiant secundùm æquitatem. Non multiplicabit Homo coitum, sicut diximus, neque etiam omninò eum tollet, cùm dictum sit; *Crescite & multiplicamini.* Sic debilitatur quidem istud membrum aliquo modo in Circumcisione, sed non prorsus abscinditur, verùm remanet in sua constitutione naturali, & cavetur, ne aliquid addatur. Genes.1.22.

Ne is, qui contusione fractos aut abscissos habet testiculos, ducat Israëlitidem, prohibitum est: propterea quòd tale conjugium sit inutile & inane; & quòd nuptiæ tales offendiculo sint tùm ipsi (Virgini), tùm illis, qui requirunt eam, prout manifestum est. *De Spadonibus & Eunuchis* Deut.23.1.

Ne Spurius ducat filiam Israëliticam, vitandę scortationis caussâ prohibuit; ut ita adulteri videant, se totam suam familiam irreparabili labe affecturos, si actum ejusmodi infamem perpetrent. Et sanè propter contemptum Spuriorum in omni lingua & natione semper in honore habitum fuit semen Israëlis; eò quòd se nunquam cum illis commiscuerint. *De Spuriis.* Deut.23.

Propter honorem verò & dignitatem *Sacerdotum* factum est, quòd illis (*Sacerdotibus*) *Scorta, Repudiatas* & *Prophanatas* ducere non licuerit: *Sacerdoti* autem *magno*, qui præcipuus & summus erat Sacerdos, *Vidua* quoque, & quæ jam maritum experta est, fuit prohibita. Horum omnium rationes sunt manifestæ. *Quanam Sacerdotibus & summo Sacerdoti in Uxores fuerint prohibita.* Levit.21.7. v.14.

Quòd si autem prohibitum fuit Spurios in congregationem DOMINI admittere, quantò magìs *Servos* & *Ancillas*?

Cur vetita fuerit *Affinitas Gentium*, ejus rei ratio in Scriptura ipsa consignata est, cùm dicitur; *Et ne capias de filiabus ejus filiis tuis, & fornicentur filiæ ejus post Deos ipsarum*, &c. *De Affinitate cum Gentibus non contrahenda.* Exod.34.16.

Ea omnia ex ingenti ista Statutorum multitudine, quorum ratio nobis est occulta, nullum alium in finem data sunt, quàm ut nos ab Idololatria elongarent. Particularia quædam quod attinet, quorum caussæ nobis sunt absconditæ, & mihi utilitas illorum ignota, id inde provenit, quòd res auditæ non ita se habeant, sicuti res oculis visę & perceptæ. Hac de caussa non sunt ea ita solida, quæ ego per auditum de ritibus Zabiorum ex libris ipsorum scio & addidici, sicut sunt apud illos, qui ipsimet opera illorum viderunt, inprimis cùm illæ opiniones & sectæ mille ab-hinc annis interierint, & nomina illarum deleta sint. Quòd si verò circumstantialiter omnia & singula ipsorum opera sciremus & audiremus, sine dubio meliùs quoque nobis constarent rationes & modi sapientiæ in particularibus actibus Oblationum, Pollutionum, & aliorum, quorum rationē jam ignoro. Deut.7.3.

Sed nullum mihi dubium est, quin omnia hęc ita ordinata sint, ut opiniones istæ perniciosæ & falsæ è memoria Hominum deleantur, actionesque illæ inutiles, quæ dies nostros in vanitate nobis consumunt, aboleantur: impediunt enim opiniones illæ cogitationes Hominis, ut non possit eas impendere indagationi & considerationi rerum intelligibilium, neque vacare operibus, quæ utilitatem aliquam habent, quemadmodum Prophetæ nostri nos docuerunt. Sic

1.Sam.12.21. inquit Samuel: *Ne declinetis post Idola, quæ non proderunt, neq; eruent,*

Jerem.2.8. *quia vanitas sunt.* Sic Jeremias; *Ambulaverunt post ea, quæ non prosunt.*

Jerem.16.19. Et iterum; *Verè mendacium possederunt Patres nostri, vanitatem, & non est in eis utilitas.* Proinde considera quæso, quanta hæc pernicies & corruptio fuerit; & an necessarium sit, ut Homo omnes suas vires impendat ad auferendam eam, nécne? Ideoque maxima pars Præceptorum (sicuti declaravimus) non aliò respiciunt, quàm ut pravas istas opiniones tollant, maximumque illum laborem, molestiam & defatigationem, quam Homines illi in Deorum suorum cultibus habebant, mitigaret: omnia item Præcepta tàm negativa, quàm affirmativa, quorum nobis ratio est occulta, nihil aliud sunt, quàm Remedia & Medicinæ morborum quorundam illius temporis, quæ ad nostram scientiam (DEO sit laus) non pervenerunt; prout quivis credet, qui perfectionem veram habet, & veritatem novit ejus, quod DEUS ait; *Non dixi semini Jacob in vanum, quærite me!*

Sic itaque commemoravi tibi particularitates & rationes hujus quoque classis Præceptorum, nullumque ex eis intactum reliqui, cujus rationem non reddiderim; pauculis quibusdam particulis exceptis, etsi in rei veritate illorum quoque rationes dederim, quas intelligenti facile est ex verbis nostris eruere.

Finiunt rationes Præceptorum.

CAP. L.

In quo agitur de illis rebus in Sacra Scriptura, quæ nullam videntur habere utilitatem, & quædam illorum explicantur.

De quibusdam Narrationibus historicis, quæ nullam videntur habere utilitatē.

SUPERSUNT adhuc quædam, quæ etiam sunt de Arcanis Legis, in quibus hactenus multi impegerunt, ac proinde explicatu necessaria; illæ nempe *Narrationes historicæ*, quæ narrantur in Lege, de quibus multi existimant, quòd nullam habeant utilitatem: ut, *Genea-*

Genealogia, Nomina, & Loca Familiarum Noachi, & *Filiorum Sehir Horita*; *Recensio* item *Regum, qui regnârunt in Terra Edom*, & similia. Nôsti enim, quòd Rabbini nostri de impio Manasse dicant, illum in levibus suis congregationibus nihil aliud egisse, quàm ut subtiliter loca ista cavilletur. Dicunt; *Sedebat, ac turpiter & ignominiosè historias istas explicabat: dicebat, Non debebat Moses scribere, Et soror Lothan Thimnah.* Ego verò *primò* in genere rationes illorum tibi indicabo, *deinde* ad specialia descendam, quemadmodum feci in rationibus Præceptorum.

Scias ergo, unamquamque Narrationem, quam in Lege scriptam invenis, ad necessariam aliquam in Lege utilitatem inservire; vel scilicet ad confirmandum fundamentalem aliquem Fidei articulum; vel ad Actionis alicujus moralis correctionem & emendationem, ne iniquitas ac violentia inter mortales regnet.

Quandoquidem enim (ut omnem tibi dubitationem adimam) fundamentum Legis fuit, quòd Mundus sit innovatus, & quòd principiò creatum fuerit Individuum unum ex specie humana, Adam nempe primus; quòd item ab Adamo usque ad Mosen non longius temporis spatium intercesserit, quàm mille quingentorum annorum circiter: si nudè hoc saltèm in Lege narraretur, multi de rei veritate dubitarent; quia tùm temporis Homines dispersi fuerunt usq; ad fines totius Terræ, Familiæ dissipatæ, Linguæ divisæ. Hæc verò dubia tolluntur descriptione Familiarum, Genealogiarum, Nominum propriorũ, Annorum, & Locorum habitationis illorum; indicatione item caussæ Efficientis dispersionis ipsorum in extremas Terræ oras, Linguarum confusionis, & quòd fuerint ab initio in loco uno, omnibusque una & eadem lingua, prout filios Viri unius decet. *De Genealogiis, supputationibus annorum, temporum &c. ante Diluvium.*

Sic *historia Diluvii, Sodomæ* item *& Gomorrhæ* docent nos veritatem illius, quod Psalmista ait; *Verè est fructus justo: verè est* DEUS *judicans in Terra.* *De historia Diluvii, Sodomæ item & Gomorrhæ.* Psal.58.12.

Historia Belli novem Regum indicat nobis miraculum in victoria Abrahami, in qua paucis Viris nullum Regem habentibus quatuor magnos Reges devicit. Prætereà docet nos, quàm calidè dilexerit proximum suum, eò quòd in sua fide erat educatus, ita ut ad eum liberandum vitam suam periculo belli exposuerit. Ad hęc exemplum nobis præbet *Αὐταρκείας* ipsius, quòd paucis animus ipsius fuerit contentus, divitias spreverit, atque ex Virtute potiùs laudem quæsiverit. Hinc enim ait; *Si à filo ad corrigiam calceamenti usque accepero.* *De historia Belli novem Regum.* Gen.14. Ibid.v.23.

De recensione familiarum & stirpium filiorũ Sehir. Exod. 17. *Enarratio Familiarum & Stirpium Filiorum Seir* est propter certum quoddam præceptum, hoc videlicet; quòd DEUS præceperit delere omnem memoriam Amalek, (Amalek etenim fuit filius Eliphas ex Thimnah sorore Lotanis); reliquos verò filios Esavi non jusserit interimere. Esavus autem affinitate fuit junctus cum filiis Seir, (sicuti in Scriptura declaratum est), h.e. Uxorem ex illis duxit, genuit ex illis liberos, regnavit super eos, semen ejus commixtum est cum semine illorum, deveneruntque Terræ & Familiæ Seir omnes ad Familiam potentiorem, quæ fuit filiorum Esau, præsertim verò semen Amalek, quia ipse potentissimus fuit inter illos. Nisi itaque Familiæ illæ & particulares ipsarum descriptiones fuissent consignatæ, omnes pariter fuissent interfecti. Idcircò distinctè explicat Scriptura Familias illorum, & ait; Illi, quos videtis in Seir & Regno Amalek, non sunt omnes filii Amalek, sed sunt filii N. & filii N. Amaleko autem attribuũtur, quia mater ipsorum fuit ex Amalek. Hæc omnia Æquitatis & Justitiæ Divinæ sunt opera, ne videlicet una Familia in medio Familiæ alterius occidatur; quia decretum DEI non pronunciavit, nisi contra semen Amalek.

Reges Edom cur recenseantur? Genes. 36. 31. Deut. 17. 15. *Reges, qui regnaverunt in terra Edom*, ideò recenset Moses, quia inter Præcepta Divina & hoc legitur; *Non poteris constituere super te* (tanquam Regem sc.) *Virum alienigenam, qui non sit frater tuus.* Istorum autem Regum, qui ibi commemorantur, ne unus quidem fuit ex Edom. An'non enim vides, quòd tùm ipsorum Stirpes, tùm Terras (patrias sc.) indicet: N. ex loco N., & N. ab N.? Ac præterea videtur mihi, quòd consuetudines & mores illorum Regum Edom tùm temporis fuerint noti, ac Idumæos serviliter habuerint & oppresserint. Illos ergo hîc nunc recenset, quasi vellet dicere; Considerate fratres vestros filios Esau, quorum Reges fuerunt N. N. N. N. &c. qui quâ ratione illos tractârint, est notum. Nam nulla natio unquam Regem supra se constituit ex aliena Stirpe, qui illam non vel parùm, vel multùm afflixerit. Summa verò rei hæc est: Quemadmodum in præcedentibus tibi dixi, dogmata & ritus Zabiorum hodiè nobis esse incognitos; ita quoque latent nos Historiæ & Annales temporum illorum. Quòd si autem illa, omniaque particularia, quæ in illis temporibus acciderunt, nobis essent cognita, multarum quoque in Lege Divina rerum particularium rationes scire possemus.

Differentia inter Res scriptas & Visu perceptas. Cæterùm, sciendum tibi, longè aliam esse rationem notionis vel intellectûs Narrationum scriptarum, & intellectûs Rerum visu perceptarum. Nam Res visæ multa sæpè habent particularia, quæ copiosa

piosa quoque verba requirunt, & non nisi prolixo sermone explicari possunt. Istas verò Narrationes si Homo consideret aut legat, existimat, nimiam illis inesse prolixitatem vel *ταυτολογίαν*; quòd si autem vidisset id, quod narratum fuit, intelligeret, nihil præter rem & necessitatem dictum fuisse. Quocirca quando in Lege præter Præcepta tibi occurrunt Narrationes quædam historicæ, & tibi videtur, hanc vel illam Narrationem non fuisse necessariam, aut nimis prolixè enarrari, id non aliunde venit, nisi quia non vidisti particularia, quę induxerunt Authorem ad commemoranda ea, quorum mentionem facit.

Ex hoc ordine est *Commemoratio profectionum vel itinerum Filiorum Israël.* Ex sensu enim litterali videtur, ac si commemoraretur ibi res prorsus inutilis, cujus cogitationis avertendæ caussâ dictum est; *Scripsit autem Moses egressus eorum per profectiones eorum, juxta sermonem* DOMINI. Necessitas autem hoc loco incubuit maxima. Miracula enim nulla sunt verè, nisi apud eum, qui illorum est spectator; tempore autem futuro convertuntur in Historiam vel Narrationem rei gestæ, & facilè possunt ab audiente illa falsitatis coargui & in dubium vocari. Nam notum est, impossibile esse, neque etiam animo & cogitatione concipi posse, quòd Miraculum aliquod per omnes ætates Hominum subsistere & durare possit. Maximum Legis miraculum est, quòd Filii Israël per quadraginta annos in deserto substiterint, & quotidiè in illo Manna invenerint! Desertum enim illud fuit, sicut Scriptura loquitur, refertum serpentibus & scorpionibus, locus aridus, aquis destitutus, à Terra habitabili procul remotus, & naturæ Hominis prorsus repugnans, sicut dicitur; *Quare ascendere fecistis nos ex Aegypto, ut venire faceretis nos ad locum malum istum, non locum sementis, ficuum, & vinearum, & malogranatorum, & in quo aqua nulla est ad bibendum?* Ita dicitur de hac Terra quoq; apud Prophetam, *quòd per eam Vir non transiverit, neque Homo ibi habitârit.* Et in Lege; *Panem non comedistis, neque vinum & potum inebriantem bibistis.* Ista omnia sunt maxima miracula, oculis corporis visa & percepta. Quandoquidem ergo DEUS Opt. Max. cognovit, quòd miracula ista tempore futuro eludi & cavillari aut suggillari possent, sicuti aliis historiis & narrationibus accidit; (ut, quòd commorati fuerint in Terra quasi habitabili, in locis, in quibus Homines habitare aliquo modo possint, sicuti Deserta Arabiæ comparata sunt; aut, quòd fuerint loca commoda & idonea ad arandum, ferendum, & metendum; aut, quòd ibi herbæ fuerint, è quibus vivere & susten-

De profectionibus Israëlitarū.

Num.33.2.

Num.20.5.

Jerem.2.6.

Deut.29.6.

sustentare se potuerint; aut, quòd Manna in illis locis ordinariè è Cœlo descenderit, aut denique, quòd putei ibi fuerint): idcircò ad cogitationes istas è medio tollendas, & miracula illa confirmanda, sigillatim Profectiones illorum exposuit, ut alii ista loca videntes & permeantes intelligant, quanti miraculi negotium fuerit, quòd per quadraginta integros annos Homines ibi subsistere potuerint; quemadmodum propter illam ipsam rationem Anathemati devovit Josua illum, qui urbem Jericho reædificaturus esset, ut nempe hac ratione miraculum illud in perpetua memoria remaneret: nam quicunq; visurus erat materiam illam in Terram profundè demersam, clarè perspicere poterat, non esse hanc formam ædificii alicujus destructi, sed miraculosè collapsi. Sic quòd dicitur, *Juxta sermonem* DOMINI *castrametati sunt, & juxta sermonem* DOMINI *profecti sunt*, videri posset alicui ab initio cogitationis (h.e. obiter rem consideranti) sufficere potuisse, & quòd ea, quæ post ista verba sequuntur, superflua sint, ac nullo modo necessaria; ut, quod dicitur, *Cùm verò morabatur Nubes*, &c. *Quando autem Nubes diebus paucis erat supra tabernaculum*, &c. *Aut duobus diebus*, &c. idcircò ego tibi rationem omnium istorum particularium indicabo. Ratio enim illorum est, ut miraculum illud confirmetur, & omnes cogitationes, quas tùm prophani Populi de illo negotio habuerunt, & etiamnum habent, tollerentur; quasi nimirum Israëlitæ incerti oberravissent, ac nescivissent, quò vel quánam ire deberent, sicut ibi dicitur: *Perplexi sunt ipsi in Terra*. Et sic appellant Arabes usque in hodiernum diem Desertum illud מדבר התעיה h.e. *Desertum oberrationis*; existimantes, Israëlitas ibi oberrâsse & viam ignorâsse. Ideò incipit Scriptura explicare & confirmare, quòd Profectiones illæ, (quæ fuerunt inordinatæ), & Tempus, per quod in unaquaque profectione substiterunt, (quod inæquale fuit; nam in una profectione substiterunt octodecim annos, in alia diem unicum, in alia noctem unam), quòd inquam ista omnia ex singulari determinatione & ordinatione Divina ita facta, neque aberratio à via fuerint, sed secundùm ablationem vel motionem columnæ Nubis contigerint. Et hac de caussa recensuit particulares illas omnes circumstantias. Nam Scriptura declarat nobis, illam viam fuisse notam & tritam, viam inquam illam, quæ est inter *Choreb* (quò deliberato consilio & proposito venerunt, sicuti DEUS præcepit, quando dixit; *Servietis* DEO *in monte isto:*) & inter *Kadesch-barneah*, quæ est iterum principium Terræ habitabilis, sicuti in Scriptura dicitur; *Ecce, jam sumus in Kadesch civitate extremi termini tui:* spatium

Josua cur noluerit, ut Jericho iterum ædificetur?

Num. 9. 20.

Num. 9. 19.

v. 20.

v. 22.

Exod. 14. 3.

Arabes quomodo appellent Desertum, in quo Israelita per 40. annos commorati sunt.

Num. 20. 16.

ſpatium verò itineris eſſe undecim dierum, ſicut iterum dicitur; *Undecim dies à Choreb, viâ montis Seir, uſque ad Kadeſch-barneah.* Proinde impoſsibile fuiſſet, ut per quadraginta annos ibi errare potuiſſent. Ratio autem tàm diuturnæ moræ eſt illa, quæ in Lege ſcripta eſt. Deut. 1. 2.

Sic itaque omnia reliqua, quorum rationem ignoras, ſuas tamen validas habent cauſſas & rationes, adeoque ſequuntur fundamentum illud, de quo nos Sapientes noſtri monuerunt; *Nihil eſt inter vos fruſtrà: quòd ſi autem fruſtrà eſt aliquid*, (h.e. vobis ita eſſe videtur), *id ex vobis eſt*, (h.e. ex veſtra imperfectione & ignorantia). Deut. 32. 47.

CAP. LI.

De diverſis gradibus eorum, qui cupiunt apprehendere Veritatem Creatoris. De modo item, quo DEUS *coli debet ab illis, qui Ipſum apprehendunt: & quomodo eò perveniendum ſit.*

CAPUT iſtud, quod nunc inchoamus, nihil aliud complectetur, quàm cætera hujus Libri capita, ſed obſignationis & clauſulæ quaſi loco adjungetur illis, unà cum explicatione; Quâ ratione is, qui veram doctrinam de Natura & Proprietatibus DEI apprehendit, poſt illam apprehenſionem DEUM colere, eique ſervire debeat? Quâ in re cultus ille conſiſtat? Quo modo ad illum cultum, qui ſupremus eſt finis Hominis, pervenire debeat? Qualem denique DEUS Hominis curam in hoc Mundo gerat, donec inde in faſciculum Viventium transferatur?

Exordiar autem verba mea in hoc capitulo ab eleganti quadam, quam adducturus ſum, parabolâ, & dico. Rex quidam ſedet in ſuo palatio, & Subditorum ejus quidam ſunt in Civitate, quidam extra Civitatem. Illorum, qui in Civitate ſunt, quidam tergum ſuum vertunt versûs palatium Regis, faciem verò in viam aliam; & aliqui ſunt, qui volunt ire ad domum Regiam, faciem ſuam illûc convertunt, Palatium ejus videre & coram Rege comparere cupiunt, ſed tamen nondum vident muros domûs Regiæ; quidam verò ex iſtis domum ingredi volentibus pertigerunt uſque ad ipſam, & circumeunt eam, portam invenire quærentes. Ex his autem quidam ingrediuntur portam, quæ ducit in Veſtibulum, Anticameram; qui- *Similitudo ad declarãdam diverſitatem Apprehendentium Deum.*

dam intromittuntur in interiorem domum, ut sint cum Rege in uno eodemque loco, in domo videlicet Regis, non tamen vident Regem, aut cum illo loquuntur; sed postquàm in domum pervenerunt, opera ipsis danda est, ut ulteriùs perveniant, & tùm demùm conceditur eis, ut coram Rege comparere, illum vel propè, vel de longinquo videre, loquentem audire, aut denique ipsimet cum illo loqui possint.

Nunc declarabo tibi istam, quam in medium adduxi, parabolam. Qui *extra Civitatem* sunt, sunt omnes illi Homines, qui neque per speculationem, neque per Cabbalam habent fidem Legis, quales sunt quidam Turcæ habitantes in Septentrione, & Æthiopes commorantes in Meridie, & similes istis, ex iis, qui nobiscum sunt in nostris Climatibus. Atque istorum judicium idem est quod Animalium irrationalium, neque eos colloco in gradu Hominum, sed in gradu quodam Entium, qui est infra gradum Hominum, attamen supra gradum simiarum; quia habent figuram & formam Hominis, majorem autem, quàm simiæ, cognitionem. Qui verò sunt *in Civitate, sed posteriora sua obvertunt palatio Regis,* sunt illi, qui quidem fidem & speculationem habent, sed tamen quædam dogmata heterodoxa, sive ex speculationis ipsorum errore, sive ex falsa aliqua traditione, retinent. Et hi propter erroneas istas opiniones tantò longiùs à palatio Regis recedunt, quò longius progrediuntur, deterioresq; multò sunt prioribus; & quos necessitas essiagitat aliquando interficere, memoriamque opinionum ipsorum exstirpare, ne alios quoque seducant & inficiant. *Qui autem volunt ad domum Regis venire, & ad ipsum ingredi, sed tamen domum Regis nunquam vident*, sunt Vulgus Virorum Legis. h.e. Populus Terræ, (Plebeji, Idiotæ), qui operam navant in Præceptis. *Qui perveniunt ad domum Regis, & illam circumeunt*, sunt Thalmudici, qui credunt & amplectuntur sententias orthodoxas, & quidem per modum Cabbalæ, negotium cultuũ Divinorũ discunt, sed in speculatione fundamẽtorum Legis se non exercent, nec de Fide verificanda sunt solliciti. Qui occupantur in speculatione fundamentorum Legis, illi sunt, *qui introiverunt in Vestibulum*, & sunt in diversis ac inæqualibus gradibus. Sed qui eò usque pervenit, ut sciat demonstrationes omnium eorum, quæ demonstrationes habent, & nôrit in rebus Divinis veritatem eorum, quorum veritas cognosci potest, & appropinquet ad illius veritatem, ad quam non nisi appropinquari potest, is est, *qui cum Rege ipso est in medio domûs.* Et hic scias, fili mi, *quamdiù operam das Disciplinis Mathema-*

ma-

maticis & Logicæ, te ex illorum esse numero, qui eunt circa domum, & portam illius quærunt, sicuti Rabbini nostri ajunt, *Adhuc Aben-zoma foris est: cùm intelligis Res naturales,* ingressus es in Vestibulum domûs: *quando verò Naturalia absolvisti, & Theologica intelligis,* ingressus es cum Rege in conclave interius, & versaris cum ipso in una eademque domo. Atque hic est gradus Sapientum, qui diversas perfectiones habent. Qui verò, postquàm perfectionem rerum Theologicarum est adeptus, omnes suas cogitationes ad DEUM dirigit, quin imò sese-ipsum totum DEO consecrat, cogitationes suas ab aliis avertit, & facultates ingenii sui omnes in consideratione Entium exercet, ut ex illis discat probationem de eo, quòd DEUS sit, & quàm mirabiliter multisq; modis DEUS illa possit gubernare, ille inquam est, *qui in domum Regis venit.* Et hic est gradus *Prophetarum,* quorum *unus (Moses* sc.) propter summam Apprehensionem, & cogitationum suarum ab omnibus aliis rebus, excepto DEO, aversionem, eò usque pervenit, ut de ipso dictum fuerit, *Et fuit ibi cum DEO,* & ibi sc. interrogabat, ac vicissim responsa accipiebat in statione illa sancta. Ac propter summam, quam ex Apprehensione illa percepit, lætitiam nec panem comedit, nec aquam bibit. Nam Intellectus ita fortis in ipso fuit, ut omnis crassa virtus corporea, species sc. sensus Tactus, cessaverit & succubuerit. Præter hunc sunt quidam Prophetæ, qui vident tantùm, & horum quidam propè, quidam de longinquo, sicut dicitur, *De-longè DOMINUS apparuit mihi.*

De gradu Apprehensionis Mosis.

Exod. 34. 28.

De gradibus reliquorum Prophetarum.

Verùm suprà jam de Prophetiæ gradibus loquuti sumus; unde nunc ad Argumentum hujus capitis revertor, quod est, monere, ut Homo omnes suas cogitationes in DEO solo collocatas habeat, posteaquàm ad ejus cognitionem pervenit, sicuti exposuimus. Hic enim est *Cultus* proprius illorum, qui Veritatem apprehendunt, qui tantò fit major, quantò magis de DEO cogitant, & coram ipso comparent. Sed qui sæpè de DEO cogitat & loquitur absque sapientia, vel suam propriam imaginationem, vel alius alicujus fidem & traditionem sequendo, is, meo calculo, est ex illis, qui versantur extra domum, & longè ab illa absunt; quia non verè cogitat de Ipso, nec rectè de Illo loquitur. Nam res illa, quæ in Imaginatione illius existit, & cujus ore suo mentionem facit, non est Ens aliquod, sed purum-putum figmentum in Imaginatione ejus effictum, sicuti declaravimus, quando de Attributis Divinis egimus: in hac autem Cultûs Divini specie incipiendum & procedendum est secundùm conceptionem formalem Intellectûs. Secundùm hanc verò notionem

Cultus Dei principalis.

Intellectûs si DEUM & ejus opera apprehenderis, incipies te totum illi tradere, studebis illi quàm proximè appropinquare, corroborabiturque Conjunctio, quæ est inter te & inter ipsum, Intellectus nimirum tuus, sicut dicitur; *Tibi ostensum est, ut scires DOMINUM esse DEUM, & non esse præter eum.* Item; *Scies hodiè, & revocabis ad cor tuum,* &c. Quòd autem ultimus iste Cultus, de quo in præsenti capite agimus, non fit nisi post Apprehensionem, declarat nobis Lex, dum ait; *Ut diligatis DOMINUM DEUM vestrum, & colatis cum toto corde vestro, & totâ animâ vestra:* sæpiùs enim jam ostendimus, quòd Dilectio ista fit secundùm Apprehensionem, & post Dilectionem Cultus ille, de quo nos monuerunt Rabbini nostri, dicentes; *Hic est cultus, qui est in corde.* Consistit autem *(Cultus nimirum ille)* meo judicio, in eo, ut omnes suas cogitationes Homo consumat in Intelligibili primo, & illi soli, quantum fieri potest, adhæreat. Hinc invenimus, quòd David p.m. filio suo præcepta dans, severè ipsum ad hæc duo adhortatus sit, Apprehensionem inquam DEI, & Cultum ipsius post Apprehensionem: *Tu itaque,* inquit, *Schelomoh, fili mi, cognoscito DEUM Patris tui, & servi ei corde perfecto, & animo voluntario,* &c. *Si quæsiveris eum, invenietur à te; & si dereliqueris eum, abjiciet te in æternum.* Admonitiones enim vel hortationes (אַזְהָרוֹת) perpetuò sunt de rebus Intellectualibus, nunquam de Imaginariis. Cogitatio namque de rebus Imaginariis, vel per Imaginationes, nō vocatur Scientia, sed vocatur, *Quod ascendit in spiritum vestrum.*

Deut. 4. 35. v. 39.

Deut. 11. 13.

1. Chron. 28. 9.

Sic itaque expositum tibi est, quòd post Apprehensionem (DEI) nihil aliud requiratur, quàm ut Homo totum se ei tradat, & cogitationes suas intellectuales perpetuò in ejus desiderio collocet; id quod meliùs fieri nequit, quàm per *Solitudinem & Separationem.* Ideoq; studebit Homo pius, ut frequenter solus & ab aliis separatus sit, neque, nisi urgente necessitate, Hominum congregationibus & conventibus intersit.

Solitudo & separatio à conversatione Hominum necessaria est ad cultū Divinum.

Nὀbεοία. An'non exposui tibi, quòd Intellectus iste, quem DEUS Opt. Max. nobis infudit, sit cohęsio vel cōjunctio inter nos & ipsum? Facultas autem tibi data est, ut, si conjunctionem istam velis corroborare, id possis facere; si verò illam paullatim velis diminuere & debilitare, possis & illud. Corroboratur ista conjunctio, si illâ utaris ad diligendum DEUM, & omnes tuas facultates eò direxeris, sicut exposuimus. Debilitatur & decrescit, cùm cogitationes tuas convertis ad res alias.

Intellectus conjungit Nos & Deum.

Quomodo illa Conjunctio confortetur.

Scito autem, quamvis sapientissimus omnium esses in Veritate Sapien-

Sapientiæ Divinæ, si cogitationes tuas convertas ad alias res, veluti Victum, Amictum, & similia negotia, te jam abscidisse conjunctionem, quæ est inter te & DEUM Opt. Max., neque ampliùs vel te cum ipso, vel ipsum tecum esse; quia unio illa, quæ intercedit inter te & inter ipsum, illo tempore actu est interrupta. Hinc Sancti adeò sunt anxii & solliciti de illis horis, in quibus non cogitant de DEO Opt. Max., tamque diligenter de illis monent. Ita ajunt; *Ne convertatis vos ad scientiam vestram.* Sic etiam inquit David; *Posui DOMINUM* Psal.16.8. *coram me semper, quia à dextera mea est, non dimovebor.* Q. D. Nunquam diverto cogitationes meas ab ipso, est mihi quasi dextera mea, cujus Homo ne ad momentū quidem oculi obliviscitur, propter frequentem ipsius motum & agitationem; propterea non dimovebor, h.e. non cadam.

Præterea scito, quòd cultus illi Divini omnes, Lectio sc. Legis, Precatio, & reliquorum Præceptorum observatio, nullum alium in finem data sint, quàm ut te in Præceptis DEI exerceas, & à negotiis ac curis hujus Mundi avertas; ac si in solo DEO occupatus, & ab omnibus aliis rebus abstractus esses. Proinde, si orando labia tua moveas, faciemq; versùs parietem convertas, ac inter precandum cogites de negotiis & mercatura tua; aut, si Legem DEI linguâ tuâ legas, cor verò tuum in ædificiis & fundis tuis versetur, nec ad id, quod legis, attendas; aut, si præceptum aliquod Legis membris tuis facias, sicut quis nonnunquam vel fossam aliquam fodit, vel ligna in sylva amputat, sine consideratione illius, quod facit, vel illius, qui id mandavit, aut finis, propter quem laborat; si inquam hoc pacto istos cultus Divinos peragas, noli existimare, te finem assequutum esse, sed eris ex illorum numero, de quibus dicitur; *Propè es ori eorum, sed* Jerem.12.2. *longè à renibus ipsorum.* Quocirca modum tibi nunc præscribam, in quo te exercere debes, ad præstantissimum istum finem assequendū.

Principiò ergo hoc tibi faciendum est: Avertes cogitationes tuas ab omnibus, quando sectionem aliquam in Lege Divina legis, vel precaris, neque satis duces primum sectionis illius versum, vel primam Precationis benedictionem cum intentione & devotione recitâsse.

Quando ita huic rei assuetus eris, & per aliquot annos confirmatus, incipies deinde totum tuum animum, omnes cogitationes in id impendere, ut, quod in Lege Divina legis, vel ex illa audis, quoque intelligas.

Quòd si & hoc in manu tua confirmatum fuerit, incipies posteà

te exercere,ut perpetuò cogitationes tuæ conversæ sint in iis,quæ in reliquis Prophetarum libris legis,usq; ad Benedictiones omnes; operamque dabis,ut & hic intelligas & consideres,quæ legis.

Quando ergo hoc assequutus es in istis cultibus,atq; cogitationes tuæ eo tempore quoque,quo illos facis,ab omnibus aliis mundanis cogitationibus immunes fuerint; posteà cavebis, ne cogitationes tuas nimis defatiges in necessitatibus tuis, & iis, quæ ad comedendum tibi permissa sunt.

Summa : Habebis cogitationes tuas in Mundi hujus negotiis, quando edis,quando bibis,quando te lavas,quando cum uxore,liberis,aut aliis Hominibus colloqueris & confabularis; ista tempora multa & longa relinquo tibi ad cogitandum de omnibus tuis necessitatibus,negotiorum sæcularium,domesticorũ,valetudinis,&c. sed,cùm cultus Divinos Legis peragis, non defatigabis cogitationes tuas,nisi in eo,in quo occupatus es,sicut explicuimus; cùm verò solus es sine aliis,cùm item in lecto tuo expergisceris,cave,ne pretiosis illis temporibus aliis cogitationibus animum tuum occupes, quàm cultu isto Intellectuali, quo DEO appropinquas & præsens sis modo vero,quem tibi indicavi,non autem per passiones vel operationes Imaginarias. Hic summus gradus est,ut mihi videtur,ad quem pervenire potest is,qui per eam,quam indicavimus,exercitationis viam eò se præparaverit. At cùm aliquis ex Hominibus per suas veras Apprehensiones & lætitiam ex illis conceptam eò pertingit, ut,licèt cum aliis Hominibus loquatur, & negotia corporalia tractet, tamen illo tempore Intellectus ejus totus sit cum DEO Opt.Max., ipseque corde suo jugiter cum DEO, etiamsi corpore sit cum Hominibus, quemadmodum dicitur in Parabolis
Cantic.5.2. Cantici Canticorum, *Ego dormio, & cor meum vigilat; ecce vox dilecti mei pulsantis:* de hoc gradu nequaquam dixerim,quòd sit gradus omnium Prophetarum; sed dico,quòd sit gradus Mosis Doctoris no-
Exod.24.2. Exod.34.28. stri,de quo dicitur; *Et appropinquet Moses solus ad DOMINUM.* Item; *Et*
Deut.5.31. *fuit ibi cum DOMINO.* Item; *Tu verò sta hîc mecum:* quemadmodum in illorum locorum explicatione declaravimus. Hic item est gradus Patriarcharum quoque , qui tàm propè appropinquârunt ad DEUM Opt.Max.,ut in ipsis Nomen ejus Mundo notum factum fue-
Exod.3.15. rit,sicut dicitur; *DEUS Abrahami, DEUS Isaaci, DEUS Jacobi, hoc Nomen meum ad Mundum(sc.erit,sic videntur interpretanda verba illa ad mentem Authoris):* & propter summam animorum ipsorum in Apprehensione conjunctionem & unionem factum est,ut DEUS cum unoquoque

quoque

quoque fœdus pepigerit, ſicut dicitur; *Tùm recordabor pacti mei cum* Levit. 26.42.
Jacob, & pacti mei cum Iſaaco, & inſuper pacti mei cum Abraham recordabor. Nam illos quatuor quod attinet, tres nempe Patriarchas, & Moſen, notum eſt, quid Scriptura de illis teſtetur, quàm unanimes fuerint & ſeduli in apprehenſione & dilectione DEI Opt. Max., quanta item erga ipſos & liberos ipſorum fuerit DEI cura & providentia; & tamen cum hoc occupati quoque erant in Hominibus gubernandis & regendis, divitiis acquirendis, pecoribus alendis, honores ambiebant, &c. Et hoc argumento mihi eſt, illos opera iſta non niſi membris ſuis externis peregiſſe; cor verò & animum ipſorum à DEO nunquam receſſiſſe. Id verò, quod quatuor dictas perſonas ad ſummam iſtam apud DEUM perfectionem evexit, & continuam erga ipſos DEI providentiam excitavit, etiam cùm opibus & divitiis accumulandis operam navabant, h. e. quando vel pecora ſua paſcebant, vel Terram colebant, vel domi familiam ſuam adminiſtrabant, id inquam hoc mihi videtur fuiſſe, quòd unicus ipſorum in omnibus actionibus finis fuerit, quàm-proximè DEO appropinquare. Summus enim ipſorum finis ſemper fuit, Populum aliquem ad veram DEI cognitionem & cultum adducere, ſicut dicitur; *Novi* Geneſ. 18.19.
enim, quòd præcepturus ſit filiis ſuis & domui ſuæ poſt ſe, ut cuſtodiant viam DOMINI, faciantq́; juſtitiam & judicium.

Sic itaque conſtat tibi, quòd omnium ipſorum conatuum & ſtudiorum finis fuerit, Unitatem DEI in Mundo divulgare, & Homines ad amorem DEI deducere. Et propter hoc ipſum digni facti ſunt iſto gradu; fuerunt enim illa opera & ſtudia ipſorum ſummus & gratiſſimus DEO cultus.

Non eſt autem hic gradus ita comparatus, ut alius quis ad illum pervenire poſſit; ſed gradus ille, cujus ante hunc mentionem fecimus, ſtudio & exercitatione præſcriptâ impetrari poteſt; DEUMq́; rogando, ſupplicando, ut impedimenta omnia, ſeparationem inter nos & ipſum facientia, è medio tollat, licèt maxima pars illorum à nobis ipſis proficiſcatur, quemadmodum in aliis hujus libri capitibus declaravimus, & ſicut Propheta inquit; *Iniquitates veſtræ diviſe-* Jeſa. 59.2.
runt inter vos & DEUM veſtrum.

Hic verò admiranda mihi revelatur ſpeculatio, quâ & multa dubia tolluntur & ſecreta Divina non pauca aperiuntur.

Expoſuimus in præcedentibus hujus libri de Providentia DEI capitibus, Secundùm menſuram Intellectus uniuscujusque Intellectu prædìti eſſe quoque menſuram Providentiæ Divinæ; proinde erga

erga Virum in apprehensione perfectum, cujus Intellectus nunquam à Creatore recedit, perpetua quoque & continua est Providentia; erga illum autem, qui perfectus quidem est in Apprehensione, sed cogitationes suas nonnunquam à DEO avertit, eo quoque solùm tempore Providentia DEI agit, quo de DEO cogitat, & iterum ab illo recedit, quando circa sua negotia est occupatus. Attamen non ita recedit ab eo, sicuti ab illo, qui nihil planè intelligit: sed diminuitur, quandoquidem illo tempore, quo Vir ille perfectus aliis negotiis est intentus, Intellectus ejus non in actu existit, sed in proxima tantùm potentia; atque ita similis est Scribæ veloci & expedito, eo tempore, quo non scribit. Qui autem planè non intelligit Creatorem, similis est ei, qui in tenebris latet, neque unquam

1 Sam. 2.9. lucem vidit, sicuti declaravimus in illo; *Ac impii in tenebris conticescent.* Qui verò apprehendit Creatorem, & cujus intentio tota est in Intelligibili suo, is similis est ei, qui in clarissima Solis luce versatur. Verùm qui apprehendit quidem, sed intereà aliis quoque negotiis se implicat, is tempore occupationum illarum suarum similis est Homini in die nebuloso degenti, quo Sol non lucet, propter densam & crassam inter ipsum & Solem interpositam nubem.

Unde mala proveniant, quæ piis eveniunt. Propterea videtur mihi, quòd Mala quæcunque, quæ Prophetis & aliis Viris piis & sanctis contingunt, eo tempore tantùm illis accidant, quo DEI obliviscuntur, & quòd secundùm longitudinem oblivionis, vel negotii, in quo occupantur, gravitatem item vel levitatem, gravitas quoque mali existat.

Quandoquidem itaque ita res sese habet, maximum aufertur dubium, quod Philosophi adduxerunt ad negandam particularem DEI erga singulos homines Providentiam, & æqualem eam erga Homines & reliqua Animantia faciendam.

Ratio enim illorum hæc est, quòd pios quoque & sanctos Homines plurima & maxima mala maneant. Sed hîc revelatur mysterium, etiam juxta ipsorum sententiam; secundùm quam Providentia DEI est perpetua & continua erga eos, ad quos pertigit Influentia illa, cuilibet præstò existens, qui operam dat, ut ad illam pertingat: & cùm cogitationes Hominis purificatæ sunt, DEUM per veras vias apprehendit, & super eo, quod apprehendit, lætatur, tùm illi nihil quicquam mali eo tempore potest accidere: quia tùm ipse cum DEO, & DEUS cum ipso est; sed cùm cogitationes suas à DEO avertit, separatur à DEO, & DEUS ab ipso, omnibusque malis est expositus, quæ ipsi possunt evenire. Influentia enim Intellectualis

est

est illud, quod Providentiam DEI caussatur, & ab omnibus accidentibus liberat: illa autem quibusdam temporibus à pio & sancto Homine abstrahitur, malo autem nunquam communicatur; proptereaq; ambobus contingit id, quod eis contingit.

Confirmatur ista doctrina præter hæc dicta ex verbis quoque Legis. Hinc enim dicit DEUS: *Et abscondam faciem meam ab eu, & consumentur, & invenient eum mala multa & angustiæ, & dicet in die illa; Nónne propterea quòd non est DEUS meus in medio mei, invenerunt me mala hæc?* Palàm enim est, quòd nos caussa simus absconsionis istius faciei, & parietis illius, qui separationem facit inter nos & Ipsum; unde porrò dicit: *Ego verò abscondendo abscondam faciem meam in die illa, propter omne malum, quod fecit, quòd converterit se ad Deos alienos.* Nullum verò dubium quoque est, quin idem sit judicium singularis alicujus Hominis, quod totius Ecclesiæ. Deut.31.17. v.18.

Sic ergo manifestum tibi est, caussam, propter quam Homo omnis generis accidentibus est expositus, ut sicut Bestia prædæ sit objectus, esse separationem ejus à DEO: in cujus autem medio DEUS est, ei nullum omninò malum posse accidere, sicut DEUS dicit; *Ne timeas, quoniam tecum sum ego; & ne terrearis, quia tecum ego sum.* Item; *Cùm transieris per aquas, tecum ero, & flumina non operient te.* Nam qui eò pervenit, ut effusus sit super eum splendor ille Intellectûs, ei inseparabiliter adhæret Providentia, malaque omnia ab ipso cohibentur, sicut dicitur; *In DEO confido, non timebo, quid faciat mihi Homo.* Item; *Assuesce quæso cum eo, & pacem habeto, per ea eveniet tibi bonum:* h.e. Converte te ad ipsum, & pacem habebis ab omni malo. Lege Psalmum nonagesimum primum, qui incipit, *Qui habitat in adjutorio Altissimi*, & videbis, quàm eleganter agat de Providentia illa magna, & de Protectione & Custodia ab omnibus malis, tàm universalibus, quàm particularibus, quæ singulari alicui Homini & Individuo præ aliis eveniunt, & quidem tùm ab iis, quæ naturam ejus consequuntur, tùm ab iis, quæ ab Hominibus proveniunt. Dicit; *Ipse eruet te de laqueo venatorù, & peste pravitatum. Alis suis teget te, & sub alis ejus securus eris, scutum & clypeus veritas ejus. Non timebis à timore noctis, à sagitta, quæ volaverit per diem. A peste, quæ in caligine ambulat; à peste, quæ vastat meridie.* De conservatione verò ab afflictionibus Hominum (h.e. *quæ ab Hominibus proveniunt*) dicit; Si fortè accideret, ut transires per prælium districtorum gladiorum, & tu in via tua esses, ac mille interficerentur à sinistra, & decem-millia à dextera tua, tamen te non tanget malum ullo modo, sed oculis tuis aspicies, & judicium Jesa.41.10. Jesa.43.2. Psal.56.12. Jobi22.21.

ac retributionem impiorum à DEO videbis, quòd sc. illi perituri sint, tu verò salvus & incolumis permansurus. Hoc enim est, quod dicit; *Cadent à latere tuo mille, & decem-millia à dextera tua, tibi tamen non appropinquabit, sed oculis tuis aspicies, & retributionem impiorum videbis:* & quod ibi prætereà adjungit de protectione Divina. Post-hæc reddit rationem hujus magnæ custodiæ, & dicit: Caussam, propter quam tantoperè custodiat ejusmodi Virum, esse hanc; *Quia me* chaschak *valdè amat, ideò eruam eum, exaltabo eum, quia novit Nomen meum.*

In aliis hujus libri capitibus præcedentibus explicatum est, quòd notitia vel cognitio DEI nil aliud sit, quàm ejus Apprehensio: perinde igitur est, ac si diceret; Custodia talis Viri ideò à me suscipitur, quia novit & *chaschak* diligit me posteà. Nôsti, quænam sit differentia inter hæc duo verba *Chaschak* & *Ahabh* (Dilectionem significantia). Amor enim summus, quando cogitationes nullibi sunt quàm in re amata, est propriè *Cheschek* (vel *significatur verbo* Chaschak). Docent nos Philosophi, Facultates corporales in diebus juventutis plurimas honestas qualitates & virtutes impedire; quantò igitur magìs impedient cogitationem istam purissimam, quæ contingit Homini ex perfectione Intelligibilium, inducentium ad *Choschek* Amorem istum cordialem DEI Opt. Max.? Falsum etenim est, eam Homini conferri, quamdiù humores isti corporales tàm calidè in ipso fervent *(tempore caloris juvenilis)*. Nam quò magìs Facultates corporales debilitantur, ignisque cupiditatum extinguitur, tantò magìs Intellectus roboratur, lumen ejus augetur, apprehensio purificatur, & de eo, quod apprehendit, lætatur, ita ut, cùm Homo perfectus ad maturam ætatem pervenit & morti appropinquat, supra modum Apprehensio, Lætitia ex Apprehensione orta, & Amor rei apprehensæ augeantur, ut Anima à Corpore quasi separetur tempore Voluptatis illius. Hûc respexerunt Sapientes nostri, dum de morte Mosis, Aharonis & Mirjam ajunt, quòd isti tres mortui sint *binschikah*, h.e. in Osculo, vel, per Osculum. Ajunt enim; *Quod dicitur, Et mortuus est ibi Moses servus DOMINI in terra Moab* al pi *ad os DOMINI*, id docet nos, quòd *in deosculatione* mortuus sit *(binschikah)*. Et sic dicitur de Aharone; *Ad os DOMINI, & mortuus est ibi.* Sic dicunt de Mirjam, quòd *binschikah*, h.e. in deosculatione sit mortua: sed tamen de illa non dicitur in Scriptura, *Ad os DOMINI*, eò quòd fuerit mulier, atque ita parabolica ista locutio ei non convenerit. Sensus autem ejus est, quòd præ nimio amore mortui sint in Voluptate:

Differẽtia inter חשק *&* אהב.

נשיקה Neschikah *quid Rabbinis.*

ptate Apprehensionis illius. Phrasin quod attinet, desumpserunt eam Sapientes nostri ex Cantico Canticorum, ubi Apprehensio Creatoris cum summo Amore DEI conjuncta, vocatur *Neschikah* Osculatio, sicut dicitur; *Osculetur me osculo oris sui.* Speciem verò istam hujus Mortis, quæ in rei veritate est Liberatio à Morte, nemini alii evenisse memorant dicti Sapientes nostri, præterquàm tribus istis personis, Mosi, Aharoni, & Mirjam. Sed alii Prophetæ, & Viri sancti in inferiore fuerunt gradu: omnibus tamen corroboratur apprehensio Intellectûs prope mortem, sicut dicitur; *Et ibit coram te Justitia tua, gloria JEHOVÆ colliget te:* posteaque remanet Intellectus ille in æternum in uno eodemque statu, quia ablatum est impedimentum illud, quod nonnunquam distinguebat inter ipsum & inter ejus Intelligibile, & subsistit ita in Voluptate illa magna, quæ nequaquam est ex voluptatibus corporalibus, quemadmodum & nos alibi declaravimus, & alii quoque præter nos. Cap. I. v. I.

Quocirca appone cor tuum ad intelligendum istud caput, operamque da omnibus tuis viribus, ut multiplices tempora illa, in quibus es cum DEO Opt. Max., aut ad Ipsum pervenire laboras; & diminuas horas illas, quibus es cum aliis, nec ad DEUM appropinquare satagis. Sed de hac directione satis nunc dictum est pro Intentione hujus capitis.

CAP. LII.

Hominem debere esse in summo gradu humilem & verecundum; quia Humilitas sit columna timoris DEI.

NEQUAQUAM tales sunt gestus & actiones Hominis (ut sessio ejus, motus, & alia opera) quando solus est in domo sua, quales sunt, cùm versatur coram magno aliquo Rege: neq; eodem modo solet Homo loqui & os suum aperire coram domesticis & propinquis suis; & coram Rege.

Quare, quicunque elegit perfectionem humanam, & in rei veritate Vir DEI esse cupit, expergiscatur à somno suo, sciatque, Regem maximum perpetuò ipsi adesse & inhærere, Regem inquam longè majorem omnibus Regibus mortalibus, ipso etiam Davide & Salomone. Rex ille inhærens est Intellectus Hominis, qui effusus est super nos, quique nihil aliud est, quàm Unio & Conjunctio inter

nos & DEUM. Et quemadmodum nos eum (*Intellectum agentem*) apprehendimus per illud lumen, quod supra nos effundit, sicut dicitur;
Psal.36.10. *In lumine tuo videmus lumen*: sic per idem lumen Ipse respicit super nos, & propter illud perpetuò nobiscum est videns & respiciens,
Jerem.23.24. sicut dicitur; *Num occultabit se quispiam in occultis, & ego non videbo eum, dicit DOMINUS?* Tu hoc animadverte & intellige, ac porrò scito,
De Humilitate, Verecundia, & Timore Dei. quòd Viri perfecti hoc scientes, ita impulsi sint ad humilitatem, reverentiam, & timorem DEI, ut verè, non imaginariè, pudore affecti fuerint coram Ipso, & secreta sua cum Uxoribus, in balneis item negotia æquè verecundè tractârint & peregerint, atque publica cum aliis, quemadmodum ritus & consuetudines Sapientum nostrorum cum Uxoribus suis notæ sunt. Ajunt enim; מגלה טפח ומכסה טפח. Item; *Quis est verecundus? Qui ambulat noctu, si ut interdiu.* Ita nôsti, quòd monuerint, *non esse erectâ staturâ incedendum*, propterea quòd
Jesa.6.3. dicitur; *Plena est tota Terra gloria ejus*: ut videlicet animis Hominum implantent opera ista commemorata, quòd semper simus in manibus DEI Opt.Max., & in conspectu Majestatis ejus Divinæ eamus & revertamur. Quidam Sapientes eò usque pervenerunt, ut *capita sua detegere* noluerint, propterea quòd Majestas Divina Hominem tegat & operiat. Sic eandem ob caussam continentes & parci erant in verbis suis; de qua paucitate verborum, quæ scitu necessaria sunt, in capitulis Patrum exposuimus, in dicto illo, *Quia DEUS est in Cœlis, & tu in Terra, ideò sint verba tua pauca.*

Atque hæc res, quam nunc tibi declaravi, scopus & intentio est omnium Legis Divinæ operum. Nam per particularia ista præcepta practica, illorumque observationem, semper accedit aliquid Hominibus singularibus & sanctis, quo in perfectione humana perficiantur, DEUM timeant ac revereantur, quis cum ipsis sit, sciant, & posteà, quod decet, faciant. Declaravit enim nobis DEUS, quod omnium Legis operum hic sit finis, ut Homo istam virtutem consequatur, de qua in hoc capite egimus, & demonstrationem attuli-
Deut.28.58. mus, Timorem inquam DEI & Verbi ipsius, sicut dicitur; *Nisi custodiveris, ut facias omnia verba Legis istius, quæ scripta sunt in libro isto, ut timeas Nomen istud gloriosum & terribile, DOMINUM DEUM tuum.* Attende, quâ ratione ostēdat, omnium verborū Legis unum eundemq; esse finem, Timorem sc. Nominis gloriosi & terribilis. Quòd vero iste finis ex operibus illis Legis acquiratur, inde intelligis, quòd in citato versu ait, *Si non custodiveris ad faciendū*: hinc enim liquet, quòd comparetur ex operibus, quæ sunt tùm facienda, tùm non facienda.

Scien-

Scientias verò quod attinet, (h.e. *dogmata fidei, res credendas, sciendas*), quas Lex nos docet, ut Apprehensionem Existentiæ DEI Benedicti, & Unitatis ipsius, illæ nos deducunt ad Amorem DEI, sicuti jam aliquoties declaravimus, ad quem Amorem quàm seriò & diligenter Scriptura Sacra nos hortetur, non ignoras: ut, *Et diliges DOMINUM DEUM tuum, ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & ex omnibus tuis viribus.* Duo etenim isti fines, Amor inquam DEI, & Timor ejusdem, ex duabus rebus proveniunt. *Amor* oritur ex scientiis (h.e. *rebus sciendis & credendis*) Legis, quæ complectuntur Apprehensionem Existentiæ DEI Opt. Max. secundùm illius veritatem. *Timor* provenit ex operibus Legis, sicut exposuimus. Deut. 6.5.

CAP. LIII.

In quo tres istæ voces explicantur, חֶסֶד Chesed, מִשְׁפָּט Mischpat, *&* צְדָקָה Tzedakah.

COMPLECTETUR præsens hoc caput expositionem trium Vocabulorum, quę expositione indigent, nempe *Chesed, Mischpat, & Tzedakah.*

Vocabulum ergo *Chesed* quod attinet, monuimus de eo in Commentario super *Avoth*, quòd significet *Excessum* & *supremum gradum* rei alicujus, quæcunque demùm sit. In specie verò usus ejus est ad significandam *summam Beneficentiam.* Notum autem est, Beneficentiam duo comprehendere; & *primò* quidem Benignitatem erga aliquem, cui nihil planè debes; *deinde* Benignitatem erga eum, qui beneficio dignus est, sed non tanto. Apud Prophetas majori ex parte denotat ejusmodi Beneficentiam, quæ exercetur erga eum, cui nihil planè debetur. Hac de caussa *Chesed* appellatur omne Bonum, quod nobis à DEO Opt. Max. communicatur: ut, Chasde *Beneficentias DOMINI recordabor.* Hinc etiam Mundus, h.e. Creatio ejus à DEO Opt. Max. vocatur *Chesed:* sicut dicitur, *Mundus* chesed *ædificabitur:* sensus enim est, Ædificium hujus Mundi esse *Chesed* Beneficentiam. Quin imò DEUS ipse in proprietatum suarum enarratione se vocat *Rabh chesed,* h.e. *multæ benignitatis & beneficentiæ.* חסד Chesed *quid significet.* Psal. 89.3. Exod. 34.6.

Tzedakah derivatur à *Tzadak* vel *Tzedek*, quod significat *Jischer. Jischer* autem est, ut unicuique relinquatur & tribuatur quod ei debetur, & ut unicuique Enti tribuatur secundùm quod ei convenit. In libris Prophetarum non vocantur ea, quæ secundùm priorem sen- צדקה Tzedakah *quid significet.*

ſum aliis dare & exhibere teneris, *Tzedakah* Juſtitia, quando ea perſolvis; nam cùm exſolvis mercedem mercenario, vel creditori reddis debitum, id non vocatur *Tzedakah* Juſtitia; ſed illud, quod Virtutis & Honeſtatis ſolius cauſsâ aliis facis: ut, cùm pauperem aliquem à ſuo vulnere curas & ſanas, id vocatur *Tzedakah* Juſtitia. Hac de cauſſa dicitur de Reſtitutione pignoris, *Et erit tibi* Tzedakah *Juſtitia.* Nam quando in via honeſtorum morum & qualitatum incedis, Juſtitiam exerces erga animam tuam intelligentem; quia perſolvis ipſi debitum ejus. Et hinc omnes Virtutes vocantur *Tzedakah* Juſtitia: ut, *Et credidit* DEO, *& reputatum eſt ei* Tzedakah *pro juſtitia*, Virtus *nempe* Fidei. Sic dicit Moſes p.m., *Et juſtitia erit nobis, cùm cuſtodiverimus, ut faciamus omne præceptum iſtud.*

Gen.15.7. Deut.6.25.

משפט Miſchpat *quid ſignificet.*

At verò vox *Miſchpat* ſumitur de Æquitate in Judicio, quando judicatur ſicuti res requirit, ſive *Cheſed* Miſericordiam, ſive Vindictam & Pœnam exercendo.

Sic itaque patet, *Cheſed* dici de mera Beneficentia & Benignitate; *Tzedakah* de Bono, quod fit Virtutis & Honeſtatis cauſsâ, ad perfectam reddendam animam; *Miſchpat* autem ſignificare tùm Pœnam & Vindictam, tùm Bonum & Præmium.

Porrò alibi oſtendimus, Omne attributum, quod Creatori in libris Prophetarum attribuitur, deſumptum eſſe ab ipſius operibus. Quatenus itaque omnibus rebus dedit exiſtentiam, vocatur *Chaſid* Beneficus; reſpectu Miſericordiæ ejus, h.e. quatenus Animantia, vel Viventia per facultates ipſorum gubernat, vocatur *Tzaddik* Juſtus; propter bona deniq; & mala magna, quæ innovantur in Mundo, & ex Judicio illius ſapienti conſequuntur, vocatur *Schophet* Judex.

Gen.18.25. Deut.32.4. Exod.34.6.

Tria iſta Epitheta DEI ſcripta ſunt omnia in Lege: ut, *An Judex* ſchophet *totius Terræ*, &c. *Juſtus & rectus eſt* (Tzaddik vejaſchar.) Item, Verabh cheſed *Et multæ benignitatis.*

Intentio verò noſtra in hoc capite fuit, per trium iſtorum vocabulorum explicationem viam ſternere ad proximum, quod nunc ſequitur, caput.

CAP.

CAP. LIV.

De vocabulo חָכְמָה Chochma, *h.e. Sapientia, & in quot partes sit divisa.*

VOCABULUM *Chochmah* in Lingua Hebræa de quatuor rebus dicitur. חכמה Chochmah *de quibus rebus dicatur.*

Primò, de veritate illarum Apprehensionum, quarum supremus finis est Apprehensio Creatoris, sicut dicitur; Vechochma *Et sapientia undénam invenitur?* Item; *Si quæsiveris eam* (sapientiam sc.) *tanquam argentum, & sicut thesauros scrutatus fueris eam, tùm intelliges timorem DOMINI, & cognitionem DEI invenies.* Et sic alibi. Jobi 28.12.

Secundò, dicitur de Scientia & Peritia Artis alicujus, qualiscunque demùm sit: ut, *Et omnes sapientes corde in vobis venient, & facient, quacunque præcepit DOMINUS.* Item; *Omnis præterea mulier sapiens corde.* Exod.35.10. v.25.

Tertiò, de Acquisitione Virtutum moralium: ut, *Et senes ejus sapientes efficeret.* Item; *In decrepitis est sapientia.* Nam id, quod Homo de Sapientia acquirit in senectute, est dispositio ad recipiendas laudabiles Virtutes. Psal.105.22. Jobi 12.12.

Quartò, usurpatur de Astutia, Calliditate, & Solertia: ut, *Age, sapientiores simus illis.* Et ex hoc quoq; sensu est illud; *Et tulit inde mulierem sapientem*, h.e. astutam & callidam. Item; *Sapientes sunt ad malè faciendum.* Exod.1.10. 2.Sam.14.2. Jerem.4.22.

Potest etiam vocabulum hoc *Chochmah* in Lingua Hebræa significare Calliditatem, Solertiam, Dexteritatem, & usum Cogitationis sive Rationis, vel ad acquirendas qualitates Intellectuales, vel ad Virtutes morales, vel ad Artem aliquam mechanicam addiscendam, vel denique ad discendas tùm scientias, tùm qualitates pravas ac vitiosas. *Sapiens* enim appellatur *tùm* is, qui magnis præditus est Ingenii & Intellectûs dotibus; *tùm* qui Virtutibus moralibus excellit; *tùm* qui egregiè artem aliquam callet; *tandem* etiam, qui solers & ingeniosus est in rebus turpibus & inhonestis.

Secundùm hanc itaque expositionem is, qui rectè & solidè totam Legem intelligit, duobus modis *Sapiens* vocabitur, respectu videlicet tùm rerum Intellectualium, tùm Moralium in illa comprehensarum: verùm, quia Intellectualia in Lege sunt tradita per modum Cabbalæ, non speculationis; ideò invenimus in libris Prophetarum & Sapientum nostrorum, quòd *Notitia & Scientia Legis* ponatur tanquam una species, & *Sapientia mera & absoluta* pro specie altera. *Sapientia*

pientia autem *ista mera & absoluta* est, quâ per demonstrationem explicatur id, quod per Cabbalam ex Lege discimus de illis Intellectualibus. Quæcunque itaque in Lege reperis in Sapientiæ laudem & encomium dicta, de paucitate item eorum, qui Sapientiam acquirunt vel possident; ut. *Non multi sunt Sapientes:* Item; *Sapientia ubinam invenitur?* & similia alia; ea omnia intelliguntur de Sapientia illa, quæ nos docet Demonstrationes de scientiis vel sententiis Legis. Sed & in Sapientum nostrorum scriptis multa similia reperiuntur; quia & ipsi *Scientiam Legis* unam constituunt speciem, & *Sapientiam* speciem alteram. Ita ajunt de Mose; *Pater in Lege, Pater in Sapientia, Pater in Prophetis.* Quod verò de Salomone legitur, *Sapientior fuit omni Homine,* & non de Mose; ideò est, quia per id, quòd dicitur, *Omni Homine,* intelligitur tantùm Homines illius sæculi, unde mentio fit Hemanis, Chalcholis & Dardæ, filiorum Mahol, Sapientum illius temporis celeberrimorum. Sic ajunt Rabbini nostri, requiri ab Homine primò Scientiam Legis; secundò Sapientiam; tertiò illud, quod convenit Studio Legis, h.e. ut ex ea educat & extrahat quæ facienda sunt: unde hic observandus & tenendus erit ordo; sciendæ sunt primò scientiæ per Cabbalam; secundò per Demonstrationem; tertiò, accuratè consideranda & examinanda opera, quæ bonas faciunt vias Hominis. Hęc verò sunt verba ipsa Sapientum nostrorum de tribus istis rebus, quæ ab Homine hoc ordine requirũtur. Dicunt; *Quando Homo ingreditur in Judicium, dicitur ei ante omnia, Statuisti tempora Legi, studuisti in Sapientia, intellexisti verbum unum ex alio?*

Jobi 32.9.
Jobi 28.12.
Cur de Salomone dicatur, Sapientior omni Homine, & non de Mose?
1.Reg 4.31.

Ex his patet tibi, quòd juxta illos Notitia Legis sit species una, & Sapientia species altera, ad scientias Legis per speculationes veras confirmandas.

Quatuor species Perfectionũ Hominis.

His itaque sic præfatis, attende ad ea, quæ nunc dicturus sum. Constituerunt jam pridem Philosophi tàm antiqui, quàm recentes, quatuor species *Perfectionum* Hominis.

Prima, eaque minima & levissima, est illa, in qua omnes ferè dies suos Homines mundani consumunt, Perfectio sc. acquisitionis Divitiarum, Opum, Vestimentorũ, Vasorum, Supellectilis, Domorum, Fundorum, Agrorum, & similium; quin-etiam Ambitio Honorum & Dignitatum. Atque inter hanc Perfectionem & inter Virum illum nulla realis intercedit Conjunctio & Unio; sed propter utilitatem tantùm, quæ ex iis ad illum redit, ipsi attribuuntur per purampuram Imaginationem, quando videlicet dicit: Hæc est mea domus; Hic est meus servus; Hæ sunt meæ opes; Hi sunt mei greges; Hic

Hic est meus exercitus: & cùm consideratur corpus ejus, deprehenditur quòd omnia sint extra ipsum, & unumquodq; illorum existat separatim. Ideoque, quando illa Attributio cessat & aufertur à Viro illo, nulla est differentia inter illum, qui fuit Rex, & inter Hominem abjectissimum, sine ulla vel minima mutatione illarum rerum, quæ ipsi attribuebantur. Docuerunt autem Philosophi quoque, Hominem, qui operam & studia sua in hanc impendit speciem, non nisi circa meram imaginationem & phantasiam occupari, adeoque circa rem infirmam & instabilem: ac licèt opes illæ omnibus diebus vitæ ejus apud ipsum remaneant, nullam tamen Essentiæ ipsius perfectionem inde accedere.

Secunda species magìs adhæret & conjuncta est ipsi Homini, quàm præcedens, perfecta videlicet Proportio, Dispositio & Forma Corporis, h.e. Temperamentum Hominis æquale & proportionatum, Membra ejus aptè cohærentia, composita, valida item & robusta. Sed & ista Perfectio non potest Hominem deducere ad summum ipsius finem, quia est Perfectio corporalis tantùm; neque Homini inest quatenus Homo est, sed quatenus Animal: commune enim habet hoc cum quovis, vilissimo etiam Animali; immò licèt Homo fortitudinem habeat summam, nunquam tamen accedet ad fortitudinem & robur Equi, multò minùs Leonis aut Elephantis, sed summus ejus gradus hîc est, quemadmodum alibi commemoravimus, grave onus portare, durum aliquod os confringere, vel simile quidpiam, in quo non est magna utilitas corporalis; ad Animam verò nihil omninò utilitatis inde redit.

Tertia species adhuc magìs inhæret Homini, quàm secunda, Perfectio sc. Morum & Virtutum in summo & perfectissimo gradu. Atque hûc tendunt magna Præceptorum pars, ut Hominem ad istam Perfectionem extollant. Est autem ista Perfectio fundamentum tantùm ad Perfectionem sequentem, neque supremus finis Hominis. Sunt enim illæ Virtutes omnes tantùm inter Homines invicem, ac videtur ista Perfectio solùm ad Hominum utilitatem esse directa, ejusq; esse quasi instrumentum. Nam si in corde tuo cogites, Hominem aliquem solum & sine aliis posse subsistere, ita ut nullum ipsi cum aliis sit negotium, tùm Virtutes illæ omnes sunt otiosæ, inanes, inutiles, nullamque ei perfectionem largiuntur; sed opus illis habet, & utilitatem ex illis accipit cum aliis.

Quarta species, vera Hominis est Perfectio, quando videlicet Homo veras consequitur Virtutes intellectuales, & ex illis veras scien-

tias ac opiniones addiscit in rebus Divinis. Atque hic ultimus est finis Hominis, Hominem perfectione verâ perfectum reddens, eiq; soli propria; per illam Homo dignus fit Æternitate & Immortalitate; per illam Homo est Homo. Si consideres unamquamque de reliquis tribus perfectionibus præcedentibus, invenies, quòd illæ sint aliorum, non verò tuæ: aut si existimas, non posse aliter esse, quàm ut sint tuæ, sunt tuæ & aliorum, (h.e. concedere coges, quòd non solùm tuæ sint, sed & aliorum.) Ista verò perfectio ultima tibi soli prodest, nec cum illa communicat quisquam alius; tua est sola, nec in ea partem habet alius. Idcircò operam dare debes, ut illam acquiras, quæ tibi soli relinquitur & perpetuò remanet: noli te defatigare & laborare in acquirendis aliis, tu qui animæ tuæ oblivisceris; ita ut albedo faciei ejus nigra reddatur, dum facultates corporales dominium in ea obtinent, sicut dicitur ab initio Cantici Canticorum:
Cant.1.6. *Filii matris meæ iratæ sunt in me, posuerunt me custodem vinearum, vineam meam, quæ erat mihi, non custodivi.* Sic legimus alibi in hunc sensum;
Prov.5.9. *Ne des alienis decorem tuum, & annos tuos crudeli.* Sed ipsi quoque Prophetæ nostri exposuerunt nobis istas res, & quidem eodem modo, quo Philosophi. Expressè testantur, Divitias, Sanitatem, Honestatem morum non esse Perfectionem illam, de qua gloriari, aut quam quærere debeamus; sed Perfectionem illam, de qua nos gloriari decet, & quæ unicè nobis est quærenda, esse Cognitionem DEI, quæ vera est Sapientia. Ita ait Jeremias de quatuor istis Perfectionibus;
Jerem.9.23. 24. *Sic dicit DOMINUS: Ne jactet sese sapiens in sapientia sua, nec jactet sese potens in potentia sua, nec jactet sese dives in divitiis suis, sed in hoc jactet sese, qui se jactat, quòd intelligat & cognoscat me,* &c. Animadverte, quòd eo ordine Prophetæ ista enumerant, quo apud Homines vulgò in pretio & ordine haberi solent: pro maxima enim perfectione habent Divitias, deinde Fortitudinem, post hæc Sapientiam, h.e. eum, qui egregiis Virtutibus est ornatus; nam & hujusmodi Vir in aliquo apud Vulgum, ad quem verba ista dicta & directa sunt, haberi solet pretio, & proptereà in hoc ab ipso collocata sunt ordine. Sapientes nostri ipsi apprehenderunt & didicerunt ex hoc versu ista, quę commemoravimus & in hoc capite adduximus, quòd sc. Sapientia absolutè sic dicta, quę est finis Hominis, sit Apprehensio DEI Opt. Max., & quòd ista, quæ Homo tanquam peculium suum sibi comparat & acquirit, perfectionemque esse putat, nequaquam sint perfectiones, quòd item opera Legis omnia, h.e. Cultûs Divini species & Virtutes Hominibus in mutua ipsorum inter se conversatione & socie-
tate.

tate utiles, quòd inquam hæc omnia non sint comparanda vel adæquanda Hominis fini ultimo, sed præparationes sint ad finem illum ultimum inservientes. Sed audi ipsamet Sapientum nostrorum verba ex *Bereschith rabbah*. Dicitur ibi; *Scriptum est, Omnia desiderabilia tua* Prov.3.15. *non æquantur ei.* חֲפָצִים *Desiderabilia*; hæc sunt Præcepta, & Bona opera. חפציך *Desiderabilia tua sunt lapides & margaritæ pretiosæ. Desiderabilia, & Desiderabilia tua* (חפצים וחפציך) *non æquantur illi. Sed* (inquit porrò Propheta) *in hoc gloriabitur, quicunque gloriatur, quòd intelligat & cognoscat me.* Ecce, quàm breviter & nervosè hic omnia ea dicantur, quæ nos prolixè commemoravimus & explicuimus.

Posteaquàm ergo ex parte jam ostendimus, quàm mirabilia versus iste complectatur, verbaque Sapientum nostrorum de illo percepimus, absolvemus reliqua etiam, quæ complectitur. Non enim solùm voluit in hoc versu ostendere, quòd Apprehensio DEI sola sit omnium Perfectionum præstantissima; nam si hæc intentio ejus fuisset, dixisset utique, *Sed in hoc glorietur, qui gloriatur, intelligendo & cognoscendo me*; hicque verba sua abrupisset, vel dixisset, *Intelligendo & cognoscendo me, quòd ego sim unus*; vel, *quòd nullam habeam similitudinem*; aut, *quòd nullus sit sicut ego*; vel simile quippiam: sed ait, *Non esse gloriandum, nisi in Apprehensione & Cognitione Viarum & Proprietatum ejus*, (h.e. Operum ipsius, sicut exposuimus in eo, quod Moses ait, *Notas fac mihi quæso vias tuas*, &c.) atque exponit nobis ita in hoc versu, quòd Opera illa, quæ scienda & nobis imitanda sunt, sint *Beneficentia, Judicium & Justitia.*

Post hæc aliud quid summoperè quoq; necessarium adjicit, dum ait, *In Terra*, quod est principale quasi punctum & cardo Legis. Non enim ita est, ut prophani quidam existimant, quòd Providentia DEI Opt. Max. finiatur in sphæra Lunæ, & Terra, ac quicquid in ipsa est, à DEO sit derelicta; *Dereliquit DOMINUS Terram*, ajunt: sed ita sese res habet, ut omnium Sapientum Princeps ait, *DOMINI est Terra*, h.e. quòd Providentia ejus se extendat super Terram, quemadmodum se extendit super Cœlos. Et hoc est, quod dicit, *Quòd ego sum DOMINUS, qui facio Benignitatem, Judicium & Justitiam in Terra.* Denique, concludit sermonem suum hoc pacto, & ait; *His enim delector, dicit DOMINUS.* Ait: In Benignitate, Judicio, & Justitia delector, dicit DOMINUS. Q. D. Intentio mea est, ut à vobis egrediatur Benignitas, Judicium & Justitia in Terra, sicuti in tredecim DEI proprietatibus exposuimus, quòd scopus illarum sit, ut eis assimilemur & in illorum vestigiis incedamus. Summa itaq; & scopus istius

versûs est hic; Perfectio Hominis, de qua in veritate gloriari debet & potest, in hoc consistit, ut, quantum fieri potest, ad DEI Apprehensionem perveniat, Providentiam ejus erga Creaturas tùm in ipsarum Creatione, tùm Gubernatione cognoscat, & post Apprehensionem illam in viis istis ambulet, faciendo Benignitatem, Judicium, & Justitiam, ut istis operibus DEO similis fiat & evadat, sicuti aliquoties in hoc Libro exposuimus.

Atque hæc sunt ea, quæ visum mihi fuit in isto Libro proponere, & quæ tibi ac tui similibus profutura judicavi. Confido etiam, te, diligenti adhibitâ consideratione, omnia assequuturum, quæ, Divinâ mihi assistente gratiâ, hic complexus sum.


Ipse autem DEUS Opt. Max. purificet nos & totum Israëlem, secundùm quod promisit nobis: tùm aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum. Populus sedens in tenebris vidit Lucem magnam: Iis, qui sedebant in umbra mortis, Lux exorta est.

Jesa. 9. 1.

Propinquus valdè est DEUS omni invocanti,
Si in Veritate oret, ac non desistat:
Invenitur ab omni, qui eum quærit,
Si ambulet coram Ipso, & non erret.

SOLI DEO GLORIA.





מורה



מורה מקום הפסוקים

H. E.

INDEX
LOCORUM SCRIPTURÆ,
quæ allegantur.

Indicem hunc completum, & cum ipsis Scripturæ locorum verbis, prout in Hebræo codice Savionetæ excuso habetur, exhibemus: sed Latinè translatum, & cum additione capitum & versuum Biblicorum, qui illic desunt.

GENESIS.

22. Ad-

26. Et

EXODUS.

13. Et

10. Et

LEVITICUS.

XVI. 31. Ju-

NUMER.

15. Min-

22. Equi-

12. *Quia*

JOSUA.

JUDICUM.

I. SAMUEL.

IX. 2. Ap-

II. REGUM.

JESAJAS.

IIX. 10. Inite

EZECHIEL.

5. Si-

HOSEAS.

JOEL.

JOEL.

AMOS.

JONAS.

MICHAEAS.

NAHUM.

HABACUC.

TZEPHA-

TZEPHANIAS.

HAGGAEUS.

ZACHARIAS.

MALACHIAS.

PSALMI.

XCVII. 2. Nu-

XXX. 12. Est

RUTH.

CANTIC.

ECCLE-

ECCLESIASTES.

THRENI.

ESTHER.

DANIEL.

16. Ac-

INDICIS LOCORUM SCRIPTURÆ

FINIS.






INDEX
RERUM PRÆCIPUARUM.

A

Intel-

SOLI DEO GLORIA.





Index Vocum Hebraicarum,

quæ explicantur.

f

EMENDANDA.

Pag.13.*pro Jesa*.60.*lege*, 66.
p.17.*pro* 1.Reg.8.20.*l*.1 Sam.1.23.
p.46.*ad lineam pen. appone in margine, Jerem*.3.14.
p.57.*pro Lev*.19. 26. *l*.20.*pro Eccl*. 11.12.*l*. 10.2.
p.59.*pro Gen*.38.*l*.23.
p.60.*pro Jesa*.5.8.*leg.Jos*.
p.61.*pro Deut*.6.18.*leg*.8.1.& *adde, Ibid*.22 .7.
p.63.*post Exod*.6 9.*insere locum hunc, Job*.36. 11.
Ibid. pro Deut.18.19.*lege Jos*.1.18.
p.116.*l*.24.*post*, gloriâ ejus,*adde*, cui simile est illud, & *in margine*, Hab.3.3.
p.206. *in marg.pro* aliquis *lege* antiquis.
p.270.*l*.24.*pro* ait,*l*.sicut dicitur. & *in margine appone*, Deut.33.29.
Ibid.lin.25.*pro* Et,*lege*, ita inquit.
p.286.*pro Jos*.33.11.*lege* Exod.
p.309.*pro Ibid*.32.*leg*.31. *Ibid. pro Gen*.31.24.*leg*.46.2.
p.314.*pro* Ezech.17.12.*leg. Zach*.4.5. *Ibid. pro Zach*.1.44.*leg*.4.5.
p.318.*pro* 2.*Chron*.10.14.*leg*.24.20.
p.319.*pro Ibid*.2.9.*leg*.9.2.
p.320.*pro Gen*.31.1.*leg*.31.11.
p.324.*pro Zach*.11.12.13.*leg*.11.7.12.
p.349.*lin.ult.pro* Schiphchah *lege* Schophchah, & *appone in marg. Deut*.23.1.
p.350.*l*.2.*pro* Kibbathah à Kibbah *lege* Kobhatah à Kebhah, & *appone in marg. duo hæc loca, Num*.25.8.*Ibid*.18.3. *lin*.5.*pro* sed semen genitale, concubitus seminis: *lege*, Semen genitale autem, concubitum seminis. & *in margine appone Lev*.15.16.
p.351.*pro* Jerem.43.2.*lege* Ezech.
p.366.*in marg.pro* creata *leg*.creatæ.
p.382.*pro Psal*.44.3.*leg*.144.
p.383 *pro* Lev.26.16.*leg*. Jer.23.2.
p.399. *ad lin*.6.*appon.in marg*.Eccl.4.13. *Ibid.ad lin*.8. Eccl.9.14.
p.414.*ad lin.ult.adde in marg*. ex Deut.32.47.
p.438.*pro Num*.5.5.*leg.Num*.6.5.
p.446.*pro Deut*.26.22.*leg*.Levit.
p.456.*pro Exod*.21.14.*leg.Deut*.23.16.
p.460.*ad lin*.16.*appone Exod*.21.19.
p.463.*pro Lev*.23.18.*leg*.23.28. *Ibid.pro Exod*.21.26.*leg.Deut*.24.7.
p.480.*pro Exod*.8.22.*leg*.8.26.
p.491.*l*.13.*pro* libuerit, *sic lege*; voluerit sc. DEUS, id quod fundant in eo, quod Salomon ait: & *in marg. Prov*.25.17.
p.516.*ad lin*.23.*Ezech*.20.32.

F I N I S.

